
Et 128
Inv. 74

Est 128
Nº 74

3

BEN. ARIÆ MONTANI HISPALENSIS

IN XXXI. DAVIDIS PSALMOS PRIORES Commentaria.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
Es deste Conv.to cIↃ. IↃc. v. del Carmen descalço
de Barrameda

10

AD

SANCT^MAM^ ECCLESIAM ROMANAM CATHOLICAM MATREM,

EIVSDEMQ. PONTIFICEM MAX. ET LEGITIMOS MINISTROS OMNES,

Petrus Valentia filius.

ILLVSTRIBVS te ſemper notis, Mater Sanctiſſima, & quæ filiorum oculos mentemque confirment, inimicorum autẽ præſtringant aciem, & affectatæ cæcitatis ac damnationis admoneant, manifeſtam ſemper claramque fecit, & facere pergit Deus. Inter quas vel prima Sanctæ ſobolis fœcunditas: Neque enim ſancti alio gigni ſemine quàm incorruptibili illo Verbi Dei poſſunt, nec alia naſci matre præterquam te vnica Verbi ipſius Christi IESV ſponſa. Atque frequentioribus quidem antea huiuſmodi filiis ornata nitebas; nunc autem, licet non ita propter ſeculi vitia frequentes, aut propter Sanctorum ipſorum modeſtiam vulgo noti, extant tamen extabuntq; apud te ſemper ſancti aliqui doctiq; viri, qui doctrina atque operibus decori ti-

bi & teſtimonio à Deo ſint. Qualis apud nos his annis vixit BENEDICT. ARIAS MONTANVS, inſigne Chriſtianæ pietatis virtutumq́; omniũ exemplũ, & diſciplinarũ veterumq́; linguarum cognitione nobiliſſimũ: quarum rerum, id eſt, veræ pietatis doctrinæq́ue ſingularis, honeſtiſſimis nominibus nõ ſolũ apud vulgus, ſed apud Põtifices tuos Catholicoſq́; reges ac principes præcipuè atq; apud bonos doctoſq́; omnes per Europam ac per Orbem celebris, eximium ſæculi lumen & ornamentum habitus claruit. Hic vir à ſacri Tridentini Concilij patribus (in quorum cenſu Doctor olim fuit) in excellentiſſimo miniſterij opere, quod circa ſacrarum ſcripturarum interpretationem verſatur, excellere maximè iudicatus & probatus, in mandatis accepit, ei rei ad tui ædificationem perpetuis operis vacare. Quod & ipſe tuo ſemper cultui & obſequio deditiſſimus filius ſedulò egit: nec in aliam rem quoad vixit ſeriò incubuit, niſi vt tuam, hoc eſt, veram & Catholicam, doctrinam certa & irrefragabili oraculorum diuinorum interpretatione aſſertam & confirmatam, filiis commendabilem gratamq́ue magis, aduerſariis verò tuis manifeſtam redderet & inexpugnabilem. Quo in opere conſtanter perſeuerans multa tibi dicauit ſcripta, quæ piorum doctorumq́ue

q́ue

q́ue apud te cenſura probata in manibus pridem ſunt, & laudantur. Alia verò non minùs vtilitatis & elegantiæ nominibus commendabilia moriens necdum conſummata reliquit. quæ tibi offerenda tuæq́ue cenſuræ permittenda & tutelæ ſacranda teſtamento ipſe cauit; exequi verò, exſcriptaq́ue illa ac tibi primùm oblata excudenda curare, mei officij fuit: cui munus hoc vetus & familiariſſima cum incomparabili viro illo amicitia iniunxit. Affero igitur nunc atque fouendum in iſtud, Mater ſanctiſſima, gremium coniicio imperfectum fœtum, hoc eſt, in triginta vnum Pſalmos Dauidis priores Commentarium: qui liber cum aliis quæ ſub tuis auſpiciis & tutela quamprimùm edere paramus, ſatis oſtendet, quanta iactura tantum filium his temporibus in terris habere deſieris: magnum profectò apud te vtroque nomine, vitæ exemplo & doctrina, & in quo nihil excipere aduerſarij noſtri queant, quo minùs ipſius de te teſtimonium (etſi hominũ teſtimonio tu non indiges) graue omnino nõ ſit: non linguarũ imperitiam, non antiquitatis, non ſcripturarũ inſcitiam, non contentionis ſtudiũ, non mores minùs probandos, in viro videlicet vltra omne ſæculi huius exẽplum omnigena imbuto diſciplina, virtuteq́ue ac pietate ornatiſſimo. Atq; ne qua foret virtus,

cuius nõ illuſtre aliquod viuẽs vir ille documentũ daret, inuidia etiã nõ leuiter attingi & exerceri aliquando permiſſus, nunquam de Chriſtianæ caritatis ſtatu deiici, aut de conſtãtiæ ac patiẽtiæ gradu dimoueri potuit. Supra firmã enim fundatus petrã iræ concedendũ locũ, nec alia ſibi aut defenſione aut apologia vtendũ eſt arbitratus quã Spõſi tui illa: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo* verbo apud legitimos Eccleſiæ miniſtros: Hoc enim tuũ eſt: *Si autẽ benè, quid me cædis* inſontem, cũ nec ſontẽ quẽquã cædere tui ſit muneris? Atq; metuere fortaſſe prudenter debeamus, qua Satanas eſt in Chriſti vera mẽbra omnia inuidiæ rabie ferus & pertinax, ne aliqui adhuc ex ipſius ſuperſint ſatellitio, qui quã non iam apud Deum ſancto viro gloriã detrahere poſſunt, apud homines inuidere pertendant, illius vel nomẽ vel ſcripta lacerãtes. Fruſtra. Namq; (confido) Mater ſanctiſſima Inferiq; victrix ac cõtemptrix portarũ, inuidię faſcinum, pulchrioribus tuis partubus plerunque infeſtũ virus, cauebis amouebiſq; (Amantiorum matrũ hoc eſt, atque, vti aiunt, columbarum, quæ tua nomina) antiquumq; obtinebis tuum, & qua fortitudine Athanaſios & Hieronymos alioſq; fœtus verè tuos defendis & foues, Benedictum etiam hunc ab eorum, qui illi atque tibi inuident, morſu tutabere.

INDEX PSALMORVM,

ET QVIBVS SVA IN SINGVLOS COMMENTARIA AVCTOR INSCRIPSERIT.

Pſalm. I. BEatus vir qui non abiit. *Pontifici Summo inſcriptus.* 1
II. Quare fremuerunt gentes. *Imperatoribus, Regibus, & Principibus Chriſtianis.* 6
III. Domine quid multiplicati. *Iis qui pro iuſtitia, pro vera pietate, variis periculis & laboribus exercentur.* 12
IV. Cùm inuocarem exaudiuit me. *Chriſtianæ Reip. legitimis miniſtris.* 15
V. Verba mea auribus percipe. *Gabrieli Saiæ.* 21
VI. Domine, ne in furore tuo. *Ægrotantibus piis.* 31
VII. Domine Deus meus in te ſperaui. *Iuſto Lipſio.* 37
VIII. Domine Dominus noſter. *Abrahamo Ortelio.* 48
IX. Confitebor tibi Domine. *Franciſco Cano Algarbiorum Epiſcopo.* 58
X. *Secundùm Hebr.* Vt quid Domine receſſiſti longè. *Gedeoni Hinoioſo Conſiliario Regio.* 70
X. In Domino confido. *Ioſepho Siguntino Monacho.* 85
XI. Saluum me fac Domine. *Franciſco Paccieco Canonico.* 92
XII. Vſquequo Dñe obliuiſceris me. *Petro Diezio Leoni.* 99
XIII. Dixit inſipiens in corde ſuo. *Ioanni Alfonſo Curieli Theologo.* 104
XIV. Domine quis habitabit. *Alfonſo Ramirez de Prato Conſiliario Regio.* 111
XV. Conſerua me Domine. *Ludouico Perezio.* 119
XVI. Exaudi Domine iuſtitiam meã. *Fernando Ximenio.* 129
XVII. Diligam te Domine. *Matthæo Doomio.* 141
XVIII. Cæli enarrant gloriam Dei. *Iacobo Monauio.* 167
XIX. Exaudiat te Dominus. *Philippo* II. *Hiſpaniæ Regi, & Philippo* III. *ſecundi filio.* 184

xx. Do-

XX. Domine in virtute tua lætabitur rex. *Philippo* II. *Hiſp. Regi & Philippo* III. *ſecundi filio.* 191
XXI. Deus Deus meus reſpice in me. *Luciano Negroni Canonico.* 200
XXII. Dominus regit me. *Petro Mudarræ Auellanedæ.* 232
XXIII. Domini eſt terra. *Abrahamo Ortelio.* 244
XXIV. Ad te Domine leuaui animam. *Gaſpari Velezio Alcocero.* 260
XXV. Iudica me Domine. *Iacobo Gomezio Matritio Epiſcopo Pacenſi.* 283
XXVI. Dominus illuminatio mea. *Franciſco Ariæ Bobadillæ Comiti Punniroſtri.* 300
XXVII. Ad te Domine clamabo. *Ferdinando Ximenio.* 315
XXVIII. Afferte Domino filij Dei. *Gabrieli Palæotto Cardinali.* 326
XXIX. Exaltabo te Domine. *Petro Carillo Mendocæ Comiti de Pliego.* 345
XXX. In te Domine ſperaui. *Iulio Antonio Sanctorio Cardinali.* 355
XXXI. Beati quorum remiſſæ ſunt. *Petro Valentiæ.* 381

BEN. ARIÆ MONTANI
IN PSALMVM I.
COMMENTARIA.

PONTIFICI SVMMO FELICITATEM.

PASTORI ſummo per Chriſtum Dei conſtituto quidnam exigua & ex poſtremo grege ouicula præſtare valet, præter fidem & obſequium? Vtrumque ego apud ſanctam, cui præfectus es, Eccleſiam ab infantia profeſſus, anteceſſoribus tuis, ô CLEMENS octaue, ex Dei beneficio probaui, probarique maximi beneficij loco duxi. Idem quoque iudicium apud te mihi cōſtare certus, primi Dauidici Pſalmi elucidationes, vt totius operis, Eccleſiæ Catholicæ dicati, primitias tibi offero: non qui maximum doctorem meum aliqua ex parte docere poſſim, ſed qui ſtudij atque officij ſedulitate & eruditione, quæ ex veſtra doctrina mihi contigit, breui ſpecimine iuuare ſperem.

ARGVMENTVM PSALMI I.

HVmanæ beatitudinis vnus Deus auctor eſt efficax, curator verò & poſtulator homo ipſe: cuius duplex ad eam rem cura exigitur, impietatis odium, & pietatis ſtudium. Pietas duabus præſtatur partibus, fide dictorum promiſſorumq́ à Deo, & præceptorum obeditione: vtraque verò pars rectam & ab errore ſemotam notitiam exigit; hanc autem diuina lex abundè cumulateq́ præbet.

1. Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

Beatitudo quibus contingat.

Vir.

BEatus vir] *Verbum* ASSERIM *plurale, pro quo beatum vel beatitudinem Latini reddunt, ſummam ſignificat earum rerum, quaſcunque vt optimas & præſtātiſſimas expeti oporteat, præter quas cæteræ omnes neglectu dignæ habendæ. Hanc felicitatem à Deo hominibus non ex ſententia ſingulari, ſed ex vero pietatis ac ſerio ſtudio conſequi parantibus contingere Vates affirmat, ídque ſingulis fortiter hoc agentibus, quod nomen* vir *ſignificat, à quo nec mulier excipitur, quæ ſingulariter ac viriliter ſuas egerit partes. Nec quiſquam excipitur ex omni natione, quæ ſub cælo eſt, mortalis, modò hoc ipſum quod hîc præſcribitur, agat.*

Peccatorũ hominum claſſes tres.

Impij. Improbi.

Peccatores.

In conſilio impiorum] *Hominum à vera virtute degenerantium turba in tres diſtribuitur claſſes (nonnullorum etiam nomina in omnes data deprehenduntur.) Prima eorum, qui ad vim & iniuriam & fraudem aliis inferendam conſilium ſtudiamq́; conferunt: hi dicuntur* RESAGHIM, *latinè impij, latiniùs improbi. Secunda eorum, qui quamquam aliis non noceant, tamen ipſi impurè agunt & viuunt, à vera pietatis & humani officij via aberrantes,* HHATAIM *ab errore nominati, id eſt, errones ſiue peccatores; quorum, quia frequentiſſima turba eſt, conſuetudinem, viam tritam ſacra diſciplina vocat. In ea non eſt, qui non fuerit ex mortalibus à primis vſque parentibus, præter vnum Chriſtum & Chriſti matrem: verùm hîc non legimus qui non fuit, ſed, qui non* GHAMAD ſtetit *ſiue* conſtitit. *Namque fuiſſe humano vitio, ſtetiſſe verò pertinaciæ apponitur: quare quiſquis ab iſta via per pœnitentiam reuocatus receſſit, in beatorum cenſum transfertur. Tertia claſſis eos conſcribit qui quamquam aliis non noceant, lingua tamen & ſermone officiunt, quocumque pacto id fiat, ſiue detrahendo, ſiue illudendo vel irridendo, vel artificioſè & fraudulenter inuidendo. Hos ſignificat nomen* LETSIM *detractores, illuſores, defraudatores maledicos & inuidos, delatores. id quod non poteſt agi ſine arbitris & adiutoribus, vel ſaltem ſpectatoribus ac diſcipulis, quibus illa ſcabies & prurigo facili contage adhæret: quamobrem* cathedra peſtilentiæ *ab interprete noſtro rectè dicta eſt: quam aliàs hîc idem Vates indicauit,* Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. *Omne autem pietatis ſtudium duabus curis præſtatur, vitiorum deteſtatione & virtutum exercitatione ſeria. Vitia, quæ & qualia bono viro vitanda ſint, oſtenſum primo verſu: virtutes quemadmodum capeſſendæ, deinceps indicatur.*

Detractores.

Pſal. 49.

2. Sed in lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Sed in lege Domini] *Prima humanarum vitæ actionum, agendarum*

rum ac gerendarum rerum notitia eſt. Ea nullibi æquè benè clarè & certè & vtiliter comparatur atque in viuentis Dei ſchola ac diſciplina: cuius copia, quondam rara & paucis hominum propter ipſorum cæcitatem conſtans, poſt editam legem quam ſcriptam dicimus, omni terrarum orbi, modo doceri cupienti & ſtudenti, facta fuit; & deinde per euangelij miniſtros longè latéque publicata & propagata vnà cum vera interpretatione. Hanc legem ſacra ſcripta THORAH *vocant, nomine, non præcepta ſolummodo ſignificante, ſed vniuerſam hominum generi cognoſcendorum agendorumq́ doctrinam; id eſt, veri à falſo diſtincti cognitionem, ac decori totius à turpi ſeparati præceptionem. Cuius quidem doctrinæ ſtudium vt felicitatis obtinendæ cauſſa Deo probetur, ſtudentis deliberatam electionem & perpetuam agitationem atque meditationem aſsiduam poſtulat: quia nulla vitæ pars officio vacare poteſt, & ex conſequenti ab officij cognitione & conſilio atque expeditione, quam iugis meditatio præſtat, aliena eſſe debet.* Meditabitur die ac nocte] *Namque fæcunda arbor, ex cuius tranſlatione carmen hoc deſcriptum eſt, nullo non tempore fertili terræ inhærens, commodos & opportunos exugens conbibenſq́ ſemper ſuccos, ad proprium & generoſum fructum tempeſtiuè reddendũ idonea efficitur. id quod identidem cõdita, eruta, tranſmutataq́ non ita præſtiterit.* Legis diuinæ beneficium.

3. Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo: & folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet, proſperabuntur.

Et erit tanquam lignum] *Sæpe admonuimus in ſacra lectione plurimum adiuuare obſeruationem rerum, ex quarum imagine argumentum dicendæ rei petitum fuerit: quam non adeò abſtruſam aut longiſsimè petitam Spiritus ſanctus voluit, quin aliquo indicarit vel nomine vel verbo ex eadem arte collato, ad inſtructionem eorum, qui diligenter legerint.* Comparationum ratio.

Secus decurſus aquarum] *Nam duo ſunt bonæ arbori ad fructum ferendum opportuna elementa, terræ bonæ ſolum, & aquarum commoditas: quarum vis eſt, ſeſe vnà cum pingui illo terræ indito ſucco immiſcendo inſinuare per omnes totius plantæ venas. vtrumque ſuccum ſolis calore concoctum ad fructus concipiendos, proferendos, & maturandos, comparat & promouet. Terra, humanum cor cum virtutibus diuinitus inditis & conſeruatis: Aqua, doctrina legitima & ſancta ſapientiam præſtans paruulis: Sol verus, Dei virtus, à cuius calore nemo abſconditus, in bene plantatis rectéque comparatis & irrigatis ſemper efficax.* Quod fructum ſuum] *Foliorum tãtùm ac frondium vmbræq́ nomine nullam in paradiſo voluptatis arborem commendatam legimus, nec etiam in Euangelio à Iohanne probatam. hanc vnicam cauſſam etiam diuinæ legis latæ accepimus:* Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. *Hac ergo mente diuinæ le-* Arbor bona. Terra. Aqua. Sol. Arbor ſterilis nulla probatur. *Pſal.* 118.

iucundum ſtudium eſt iis quibus optatur expetiturq́ felicitas, vt fructum ſuum Deo agricolæ & hominibus vſuris probandum vnuſquiſque proferat, non alienum fructum. Nec enim probantur, imò nec leguntur, ex ſpinis vuæ aut ex tribulis ficus. Arbores omnes natura non ſteriles fructum debent in tempore ſuo reddendum, non omnes eundem, ſed ſingulæ pro conditionis ratione & conditoris inſtitutione; ficus ficus, vitis vuam, oliua oleam, punex malogranatum. verùm ab vnoquoque genere proprius & generoſius expectatur fructus, aliàs ingratus cultoribus futurus. Ita varia ſunt hominum munia & officia, quæ tamen vna bonitatis lege Deo probentur, vna malitiæ exceptione reÿciantur: quare non certum ac ſingulare arboris genus hîc indicatum, ſed commune appellatum. Vnuſquiſque quam arborem ſe Deus eſſe voluerit, agnoſcat, & ſe hominem primùm virumq́ ſtatuat bonum. Bonus vir ex corde bono fructus à ſe ferendi curam Deo proſperanti probandam habeto.

Bonarum arborum fructus. *Matt. 7.*

In tempore ſuo] *Non præposterè nec importunè aut intempeſtiuè vel præmaturè: nam quæ tales edunt fructus arbores, aut ſui ipſarum aut fructuum, aut vtrorumque vitÿ à cultoribus arguuntur. Itaque in humanis officiis & actionibus ſeſe opportunam comitem prudentia præbet, fructibus à primo flore ad maturitatem vſque adiuncta.*

Externa ornamenta pietatis.

Et folium] *Quæcunque humanum piumq́ exornant officium, & ex eiuſdem doctrinæ virtute proficiſcuntur ornamenta externa, vt voces, verba, habitus, geſtus, ritus, conſuetudoq́ omnis, præterquàm quod decori merentur laudem, neque vana neque caduca euadunt, ſed homini gratiam nitoremq́ addunt. In arborum autem natura ſpecies hæc oliuæ præcipuè tribuitur, quæ in diuina pietatis cultura omni arbori bonæ adrogatur: quæ ſi tantùm folia, quanquam ſpecioſa, proferret, à bonitatis præconio exciderit. Valent autem vt folia in arbore ad fructus fouendos & exornandos, ita externa omnia ex eadem diſciplina concinnè enata, ad pietatis profeſſionem.*

Oliua.

Fructum facere.

Et omnia quæcunque faciet, proſperabuntur] *Vt latinè nomen fructus cum verbis edere, proferre, & nonnullis aliis aptè coniungitur, ita in ſacra lingua cũ verbo* GHASSAH, *quod latinè vertimus in facere. Significat autẽ auctor, nullum vel minimum huiuſmodi piorum hominum officium, nullum opus, deciduum, vanũ & caducum fore, ſed omnia ad plenam maturitatem & oportunam vſuram, Deo felicitatem proſpiciente & efficiente, euaſura. In compluribus arboribus videmus, promiſſorum fructuum primæ recentis & acerbæ copiæ ſpem demum mentiri: id quod vel plantæ vitio vel aduerſæ tempeſtati vel vtrique adſcribitur. Hîc verò & ingenuam arborem & diuina tutela inſtrũctam deſcribit Vates.*

4. Non ſic impij, non ſic: ſed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ.

Non ſic impii] *Voculam* CHEN *omnibus his latinis ſimul coniunctis referri etymologia docet, ſic, certè, rectè, verè, firmiter, ad amuſſim & libel-*

& libellam. Omnia hæc piorum rationi tributa, improbis prorſus negantur; quibus nec recta vlla actionum ratio, aut probitatis ſpecies, nec vlla conſtantia, neque ex conſequenti, vlla vera & certa conceditur felicitas, nullo bonæ terræ loco hærentibus, ſed ex cordis libidine fluctuantibus, atque noua ſemper conſiliorum mutatione pulſis & vagantibus, glumæ aut pappi vento pulſi inſtar, nunc ſublimia petentis, nunc ad infima redeuntis, interdum in illud & in aliud mundi latus ex diuerſo & ex tranſuerſo proiecti. Ex huiuſmodi farina ij ſunt quos omni doctrinæ vento circumlatos Apoſtolus notat, nunc illud pro Deo habentes, nunc repudiantes, aliudq́ue ſubſtituentes. Quanquam verò & vitiorum & virtutum formæ multæ & variæ pluribusq́ue nominibus diſtinctæ ſint, vt in principio adnotauimus, tamen vtriuſque partis genera omnia ad duo communia referuntur vocabula, TSADIKIM & RESAGHIM; *quæ latinè vertimus in iuſtos & impios ſiue improbos. Nam Iuſtitia etiam Romano in ſermone Virtutes complectitur omnes, tametſi vna etiam ex virtutum ſit numero; vt improbitas Iuſtitiæ contraria pro omni vitio vſurpatur, & impietas omnia etiam adſciſcit crimina.*

Improbi quales. Eph. 4. Iuſti. Impij. Iuſtitia. Improbitas Impietas.

5. Ideo non reſurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iuſtorum.

Ideo non reſurgent] *Diximus impios ſiue improbos eos propriè & preſſè dici, qui alium quempiam vel vi vel fraude lædunt, eſſeq́ue vocabulum forenſe oppoſitum iuſto, & cuius in lite melior eſt cauſſa. Hanc verò forenſem tranſlationem hoc loco Vates obtinet: ex qua etiam ſurgendi ſiue reſurgendi verbum eſt: vt ſurgere in iudicio contrarium ſit ei verbo, quod apud latinum forum cauſſa cadere dicitur. Cauſſam itaque improborum iudicio diuino ſemper damnatam improbatamq́ue fore, ait Vates, & peccatorum gregem à iuſtorum ſocietate procul pulſum iri, aſſeuerat, idq́ue iudicio diuino ſemper integerrimo. Nulla enim communio eſt Deo cum Beliaghal, nulla luci cum tenebris, nulla ſpiritui cum carne & ſanguine, nulla agnis cum hædis, vtrumque cælitum ſeparante iudice.*

Impij. Improbi. Surgere ſiue reſurgere in iudicio. Cauſa cadere. Iudicium diuinum.

6. Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit.

Quoniam nouit Dominus] *Documenti ratio per orationem abſoluitur: qua ſignificatur, bonorum ac malorum examen exactum non ex humano, quod non rarò fallitur aut fallit, ſed ex diuino iudicio æſtimatum demum iri, ex eodemq́ue vtriuſque partis euenta & præmia profectura. Verbum* nouit *curam, agnitionem, probationem, & gratiam hoc loco & alibi ſæpe ſignificat. vt apud Paulum,* Nouit Dominus qui ſint eius. *eſtq́ue vocabulum poëticum pro gratum habet, curat: vt,* Tu cognouiſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam. *Apud latinos poëtas idem ſignificat ſentire.*

Cognoſcere. 2 Tim. 2. Pſa'. 138. Sentire.

tire. Id verò, quod Deus nouit, perpetuum eſſe oportuit : nam diuina numquam mutatur aut fruſtratur notitia: quod verò in ignotis habet , id in rerum natura nihil eſſe poteſt . Sed quod nihil eſt , neque durare nec conſtare valet, quanquam ab improbis vſurpatum frequentatumq́ appareat ; tamen cùm mera ſit vanitas , euaneſcet & peribit prorſus . Et iter impiorum peribit.] *Idem in ſacra lingua nomen vtrobique eſt ,* DERECH, *à calcandi frequentia dictum.*

IN PSALMVM II.

IMPERATORIBVS, REGIBVS, ET PRINCIPIBVS CHRISTIANIS, FELICITATEM.

Adhortatio & denunciatio.

POteſtatis veſtræ amplitudinem vni Deo acceptam tribuentes, eidemq́ue eiuſdemq́ue IESV CHRISTO omnium regi ac domino adorando colendoq́ue prorſus dicate : dedicationis ritus ſumma inter vos concordia inite , illud itentidem recolentes, auctoritatem vobis non deſtruendi ſed ædificandi cauſſa conceſſam: ædificationis autem ſtudium in obſeruanda , præſtanda , ac vendicanda diuina lege poſitum , certiſſima Dei tutela promotum & maxima veſtra veraciq́ue felicitate amplificatum iri perſuaſi, confidite, nunquam profectò hac ſpe fallendi. Siquid præter hæc egeritis, aduerſo ſucceſſu exceptũ, humano & à caritate legeq́; Chriſti nimis alieno vitio adſcribendũ fuerit.

ARGVMENTVM.

DIVINI CONSILII PRÆSTANTIA.

IEſu Chriſti regni ac legum ſimplicitas, æquabilitas, & innocentia, iis qui terrena ſapiunt & auaritiæ atque ambitioni inſeruiunt , cùm omnino aduerſetur, ſummo ſtudio maximoq́ conatu reijcitur & impugnatur. fruſtra tamen: quoniam Deus, inferis ac mundo inuitis atque etiam victis & confractis , cælorum regnum conſtituturum & firmaturum ſeſe recepit . id quod per Chriſtum ſuum præſtitit, præſtat, & demum perficiet.

1. Quare

1. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?

QVare] *Ab interrogatione exordium Pſalmo factum, indicat nullam eſſe cauſſam odij atque belli hominibus aduerſus Euangelij doctrinam & veritatem ſuſcepti, niſi vnicam ipſorum peruerſitatem, malitiam, & ex his ortam temeritatem. S. S. E.* Qui credit in eum, nõ iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus eſt: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc eſt autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum mala opera: omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta. *Iure ergo rogatur cauſſa, cùm nulla vel in ſpeciem honeſta reddi poſſit ab iis qui rogantur, præter ſtultum & improbum ſui ipſorum amorem, quo nullus maior humanis mentibus inſaniæ morbus incidit.* Fremuerunt] *Tumultum, temeritatem, & animorum, ſtudiorum, actionumq́ turbationem ſignificat verbum* RAGSV. Gentes & populi] *Hominum genus in duas partes diuiſum eſt: eorum, qui Deum ex certa diuini verbi doctrina cognoſcunt, & eorum, qui tantùm naturali notione & domeſticis diſciplinis inſtructi, varijs opinionibus circa diuina diſtrahuntur; illi* gentes, *hi verò* populi *hoc in loco dicti. Vtrique parti doctrina Chriſti difficilis putatur: illi, quòd legis diuinæ ſimplicem & verum exactumq́ imperet cultum: alteri verò, quòd omnes de Deo diuiniq́ cultus rationibus & vſibus conceptas opiniones deſtruat: vtrique verò ſimul, quòd priuatum ſui ipſius amorem communem hominum peſtem damnet, & curare ſtudeat. ideoq́ ab omnibus maximo conſenſu & ſummo conatu impugnatur: præcipuè autem ab his qui inter homines principatum non ad communem vtilitatem, ſed ad priuatam commoditatem & gloriam gerunt.*

Belli hominibus aduerſus Euangeliũ ſuſcepti cauſſa.

Iohan. 3

Hominum generis diuiſio:

Gentes, Populi.

2. Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus CHRISTVM eius.

Reges terræ & principes] *exemplum ſecuti eorum de quibus ſcriptum eſt:* Conuenerunt enim verè in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum IESVM, quem vnxiſti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſrael, facere quæ manus tua & conſilium tuum decreuerunt fieri. Et nunc Domine reſpice in minas eorum, & da ſeruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quòd manum tuam extendas ad ſanitates, & ſigna, & prodigia fieri per nomen ſancti filij tui IESV. Conuenerunt] *magna improborum concordia ad improbitatem tutandam ac defendendam aduerſus medicinæ auctores maximos & efficaciſſimos,* Dominum & CHRISTVM eius, *quem Pater vnxit in Pontif. Max. & expiatorem orbis, atque in regem perpetuum in Dauidis domo regnaturum.*

Act. 4.

3. Dirum-

3. Dirumpamus vincula eorum: & proiiciamus à nobis iugum ipſorum.

Vincula. Dirumpamus vincula] Vincula *leges & præcepta ſunt, quibus imperium retinetur & præſtatur: hæc verò caritate contexta ſunt, quæ eſt perfectionis vinculum, & iugum retinent ſpiritus diuini, cuius vi & efficientia* Iugum Chriſti. *coniuncti homines ſuauiſſimã ſeruitutem ſeruiunt, Deo in omnibus obſecuti, & hominum aliorum vtilitati potiùs ac magis, quàm ſuæ ipſorum, conſulentes. Hoc iugum hominibus ſui amantibus graue viſum, detrectatur pro* Antichriſtus. *viribus. Hic eſt Antichriſtus. Inducitur verò detrectantium oratio & communis vox, poëtica & viua conformatione.*

4. Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.

In cælis habitare. Qui habitat in cælis] *Potentiæ, ſapientiæ, ac virtutis & efficientiæ præſtantia infinita hoc tropo ſignificatur: S. S. E.* Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram *Eccls. 5.* Deo: Deus enim in cælo, & tu ſuper terram. Irridebit eos] *Dei* Dei riſus. *riſus & irriſio hominum ſtultitiam arguit, & ſubſecuturam increpatio-* *Prou. 1.* *nem vel iram protendit. vt,* Ego in interitu veſtro ridebo: *& poëta,*

Ergo Deus quicunque aſpexit, ridet & odit.

Eos] LAMO, *omnes pariter ac ſingulos eorum, quorum conatus vaniſſimi euadent. Commune & ſingulare in homines iudicium indicat vox.*

5. Tunc loquetur ad eos in ira ſua: & in furore ſuo conturbabit eos.

Tunc loquetur] *Verbi forma & pronuntiatio in propria lingua terribilem indicat adlocutionem atque ex indignatione profectam, quæ vel cælum ac terram, nedum homunculorum mortalium corda turbare & con-* *Pſal. 93.* *ſilia diſſipare valet. S. S. E.* Dominus ſcit cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt.

6. Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.

Ego autem] *Sermonis diuini forma inducta in primæua lingua actiuè, in noſtra verſione paſſiuè eâdem prorſus ſignificatione legitur. Vox* autem *deliberatam, certam & conſtitutam rem hoc loco indicat, præſentis etiam & referentis Dei oratione publicatam, quæ nullo refringi poſſit pa-* Chriſti regnum. *cto aut modo.* Super Sion] *Regnum Ieſu Chriſti non eſt de hoc mundo, quale illud eſt, propter quod hominum filij tumultuantur, ac Deo*

aduer-

aduerſari ſeſeq́ inuicem perdere ſtudent: ſed eſt regnum diuinæ contemplationis & cognitionis ſublimitate fundatum, ex quo monte ſacroſanctæ ſanctitatis virtutes, munera, & officia promanant. Hoc ſignificant tria nomina SION HAR KODSI, *Sion montẽ ſanctitatis meæ. Verum autem eſt, hoc regnum, & mundanũ, vt ab hominibus definitur & exercetur, non poſſe ſimul in eodem conſtare animo: Nulla enim communio luci cum tenebris, nec Chriſto cum Beliaghal.* 2.Cor.6. Prędicans] *Patris Dei voluntatem ſecutus* IESVS CHRISTVS *ius ſibi arrogatum enarrat & refert:* Meus cibus eſt, *inquit,* vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius. Iohan. 4. Non poſſum ego à me ipſo facere quidquam: ſicut audio, iudico; & iudicium meum iuſtum eſt: quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me. Iohan. 5 *Pollicitus autem fuerat Pater Filium ſuum iam ſemel in Iordane clarificatum à ſe iterùm clarificandum. Clarificauit igitur iterùm Spiritu ſancto in credentium corda immiſſo, vt* certiſſimè ſciat omnis domus Iſrael, quia Dominum eum & Chriſtum fecit hunc IESVM, quem vos crucifixiſtis. Chriſtus bis clarificatus. *Act.* 2. Præceptum] HHOR. *ius ac decretum ſignificat in alicuius perſonam, ordinem, vel dignitatem, vel auctoritatem, editum ac pronunciatum, vt ius regis, id quod regi ex muneris iure debetur, vt honos, obſeruatio, ac tributum. Hiſpanicè* fuero *dicitur. Iubetur ergo Filius ſuum præceptum ſuumq́ ius pronunciare, ſeq́ Filium Dei ex virtute ſanctificationis declarare, & oſtendere verè genitum ex Deo eſſe, ac perpetuò in die æternitatis diuinæ gigni, & in iis etiam, quibus æterna illa dies illuxerit, genitum comprobare.* Chriſti ius ſiue mandatum.

7. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Filius meus] BENI *filium ſignificat cuius opera domus & progenies propagatur, vt, hic filius Dei eſt; qui multos filios in gloriam adduxit.* Filius. Hodie] *Cùm hæc vox ad diuina refertur, æternitatem ſignificat: cùm ad humana, diem Chriſti in hominibus. vt,* Hodie ſi vocẽ eius audieritis. Hodie vox. *Pſal.* 94. *Habet etiam ſignificationem veritatis certæ, claræ, ac manifeſtæ: vt,* Dediſti ei filium ſedentem ſuper thronum eius ſicut eſt hodie. 3. *Reg.* 3. *Omnibus autem ſignificationibus ac modis in hunc locum quadrat.*

8. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.

Poſtula] *Omnia ſibi eſſe à Patre ſuo tradita* IESVS CHRISTVS *in noua illa reſurrectionis die dicebat. Id veriſſimum futurum, per Dauidem Vatem in hoc pſalmo præcinebat idem* IESVS *Chriſtus, qui heri, hodie, & cras, videlicet Euangelij poteſtatem, auctoritatem, & iudicium in omnes orbis terræ partes & mundi nationes.* Chriſti in omnes gẽtes auctoritas. *Heb.* 13. Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit, & maiora his demonſtrabit ei Iohan. 5.

opera, vt vos miremini: ſicut enim Pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & Filius quos vult viuificat. Neque enim Pater iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium ſicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, ſed tranſiit à morte in vitam. *Hanc auctoritatem ſibi in omnes orbis nationes à Patre datam præcinit hoc in Pſalmo Dei verbum*: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quęcunque mandaui vobis. *Hæc hereditas & poſſeßio Chriſto non in terra Canaan tantùm, ſed in omni orbe conſtat; cui nulli hoſtes obſiſtere, nulli rebelles aut perduelles negotium facere valebunt. Namque*

Matth. 28.

9. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.

Euangelij vis duplex.

Reges eos in virga ferrea] *Duplex Euangelij Chriſti vis & efficientia; lucis, pacis, ac vitæ, in eos qui crediderint & obedierint: contrà excæcationis ac mortis, aduerſus eos qui tenebras magis quàm lucem dilexerint.* Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto IESV, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. *Hanc Euangelij virtutem* virgam ferream *vocat Deus; homines autem quamlibet ſapientes, quamlibet potentes, ac robuſtos* vas figuli *nominat.*

2. Cor. 2.

10. Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram.

Et nunc] *Carmen totum in ſuaſorio verſatur genere, tribúſque ex locis argumentorum copiam petit, ex difficili, imò impoßibili, repugnantia, vnde diſſuaſionis materia; ex honeſto & vtili, quæ ad ſuaſionem plurimùm momenti habent: à facili & modo, quibus vrgeri ſolet ſuaſio. Hactenus primus locus tractatus, nunc ſecundus vſurpatur: quidnam honeſtius quàm verum bonum cognoſcere, regibus ac magnatibus præcipuè?* Nunc reges intelligite] MELACHIM *à conſulendo dicti, quòd aliis conſulant; eoſdem verò ſibi ipſis conſulere, conſultißimum fuerit.* Qui iudicatis terram] SOPHETIM *dicuntur, qui ex iuſto & æquo aliorum cauſſas iudicant. Hos erga ſe ipſos bene informatos & animatos vult Pſaltes: ideo verbo* HIVACERV, *compellat. Vocula* nunc *hoc & aliis in locis exhortationi potiùs quàm tempori inſeruit: vt,* Nunc ergo filij audite me.

Reges.

Iudices.

Nunc vox.

Prou. 8.

11. Serui-

11. Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.

12. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus: & pereatis de via iuſta.

13. Cùm exarſerit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.

Seruite Domino] *Animi impulſum & affectum à proprio amore, ex quo ſtultitia ac tumultus, in Dei timorem ac reuerentiam mutare ſuadet, appellato miſericordis ac benigni Dei nomine* IEHVEH, *deinde verò trepidationem illam priorem ex inſania ortam, tremore ac metu ſeueri iudicij & potentis illius manus ac ferrei ſceptri reuocare & compeſcere monet. Hinc ad facilitatem inuitat, & conciliandi ſibi in ſuamq́; ſalutem diuini fauoris viam modumq́; docet: hoc eſt, vt ſanctam Euangelij diſciplinam complexi, Filium exoſculationibus & gratulationibus ſuum regem agnoſcentes excipiant & colant: fore enim hoc pacto vt diuinam iram, quæ breuis faciliſq́; placatu eſt iis qui reſipiſcunt, declinantes, clementiam, miſericordiam, & gratiam ac tutelam experiantur, & felicitatem demum nanciſcantur veram: quod quidem ſummum ac beatiſſimum regnum eſt, non regibus tantummodo, ſed omnibus Dei cultoribus promiſſum & paratum. In primæua lingua, vbi conſonantes notæ ſine vocalibus punctis leguntur, verba* N S K B R, *alijs atque aliis admotis vocalibus ſic latinè verti poſſunt,* oſculamini filium, *&* oſculamini claritatem *ſiue* diſciplinam: *vtrumque autem in eandem tendit ſententiam, ſuſcipiendum eſſe Chriſtum verbum Patris, hominúmque doctorem, atque adeò ſapientiam doctrinamq́; Dei. Latinus interpres noſter alterum reddidit, nos in carminibus vtrique ſatisfecimus, carminis ratione id ferente.*

IN PSALMVM III.

IIS QVI PRO IVSTITIA, PRO VERA PIETATE, VARIIS PERICVLIS ET LABORIBVS EXERCENTVR, SALVTEM ET CONSOLATIONEM.

INnocentiam & probitatem veſtram Deo iudici, tutori, ac vindici probantes, animo præterea eſtote intrepido, quando iſta ſiue tentatio ſiue exercitatio virtutis veſtrę auctorem eundemque amplificatorem ac tandem victoriæ Pontificem & coronæ liberaliſſimum opificem expectat. Non veſtrum ſolum aut veſtrorum temporum exemplum iſtud eſt. Sic quamplurimi, qui in omni ætate laudem commeriti ſunt, multis & variis laboribus ac diſcriminibus examinati, fidem, ſpem, & patientiam, fortiſſimorum virorum virtutes & curatrices ac teſtes, ad æterni præmij euentum vſque experti ſunt. Quorum perſonam atque ſuam Dauid rex & Vates antiquis temporibus, atque huius ſecundùm carnem ſoboles IESVS CHRISTVS omnium optimè & efficaciſſimè in ſuam gloriam aliorumque vtilitatem peregit.

ARGVMENTVM.

DIVINI PRAESIDII TVTELA.

Poſt multa pericula apud hoſtes, apud inimicos, & æmulos ſubita, & propter fidem conſtantiamq́ſuperata, domeſticam ſeditionem Abſolonis filij inſolentiſſima temeritate & familiarium inſidiis extructam, eamq́ grauiſſimam, pertulit, ac tandem diuini præſidij tutela & ope vicit Dauid, id quod Inſcriptione indicatur.

1. Pſalmus Dauid, cùm fugeret à facie Abſalom filij ſui.

2. Domi-

2. Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me? multi inſurgunt aduerſum me.

DOmine] *Nomen Dei appellat illud, quod ad clementiam, miſericordiam, & ſalutem præcipuè refertur, ab iniuriarum ſpectaculo prorſus abhorrens: quod nemo pius fruſtra vnquam appellauit: calamitatem verò ærumnamq́ ſuam duobus tranſlatis nominibus repræſentat, anguſtiæ & oppreſsionis. Se in arctum coactum & supernè oppreſſum queritur: ídque à plurimis, ijſdemq́ validis & potentibus ac maximis, pati ait.* Multi inſurgunt] RABBIM *& multos & magnos ſignificat.* Inſurgunt. *iam ſtantes & inſtantes infeſtoſq́ ſibi ſignificat vocabulum* KAMIN. Aduerſum me] GHALAI, *per caput & circa latus ſalientes, id quod vel robuſtiſsimis formidinem ac metum incutere, & ſalutis deſperationem afferre poßit; ſed illud maximè ad animi deſponſionem facere videatur.*

3. Multi dicunt animæ meæ: Non eſt ſalus ipſi in Deo eius.

Multi dicunt] *Humanæ vires, hoſtilibus præſertim minores, nihil ſine diuino auxilio valent. Dauid iuxta hominum iudicium vtroque ſubſidio ſe deſtitutum audiebat: tum quòd filij partibus quamplurimi fauerent ætatis præſtantia & victoriæ opinione freti, gratia etiam illecti; tum verò quòd vulgus magnæ in patre culpæ alicui, quamquam occultæ, daret filij impatientiam ac defectionem. Sequitur enim fortunam ſemper turba tremens, vt ait ille.* Animæ meæ] LENAPSI, *vitæ meæ nullum eſſe iam à Deo præſidium aut adiutorium, tanquam damnato ac morti deſtinato: id quod nomen* ELOHIM *ſignificat, quod ad iudicium, gubernationem, & prouidentiam refertur. Ad cuius vulgaris ſententiæ aſſeuerationem additur vox* ZZELAH, *interiectio admirationi, aſſeuerationi atque exultationi deſeruiens.*

4. Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

Tu autem] *Vnius Dei auxilium, præſidium, & ſubſidium atque tutamen, ſibi iam multis in periculis notum & exploratum, ad omnia mala vincenda præſtantiſsimum agnoſcit, laudat, appellat, ac fide firma concipit: idq́ exponit ac prædicat oppoſitione nominum ac verborum: multis & magnis aduerſarijs opponitur* tu Domine: tribulant *ſiue circundant & arctant, opponitur* ſuſceptor meus. *in primæua lingua* MAGENBAGHADI. *i. ſcutum pro me. qui me tanquam ſcutum munis ac defendis. Arctationi opponitur* CHEBODI amplificatio mea, *idem ſignificat* gloria. *Inſurgentibus & opprimentibus opponitur*, exaltans caput meum. *Hac fide & fiducia ſe ſecuriſsimè agere, & à ſpei conſtantia ne*

 tantillum

tantillum quidem dimoueri, ait Vates, certum appellationem ſuæ cauſſæ & oppreßionis in tuto loco poſitam.

5. Voce mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.

Voce mea ad Dominum] *Miſericordem & ſalutarem.* Clamaui] *Clamare ſoleo: namque in futuro eſt, quo omnia ſignificantur tempora. Ait ergo quidquid vulgus hominum atque inimicorum iactet & præiudicet, ſibi tamen certam diuinæ prouidentiæ ac tutelæ conſtare fidem.*

Futuri apud Hebræos ſignificatio.

De monte ſancto ſuo] *De illo monte de quo non vulgare iudicium, ſed ſanctitatis virtus & efficientia proficiſcitur.* Sanctum *communi & vulgari opponitur. Hunc verſum claudit voce* ZZELAH, *cum illa altera, quæ ab inimicis vſurpata eſt, præſtanter contendente. Ex hac inuocatione per fidem facta, diuini auxilij ſpem ſecurum ſe reddidiſſe ait; idq́; ſæpius expertum.*

Sanctum.

6. Ego dormiui, & ſoporatus ſum: & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.

Ego dormiui] *Integram ſecuritatem vterque habitus cum euentu ſignificat: cubui,* dormiui; *hoc ſignificat* SACHABTHI. Et ſoporatus ſum] *Non leuiter aut cum pauore dormire ſe ait, ſed intrepidum propter innocentiæ fiduciam & diuini præſidij fidem: euigilare verò ſedato animo illud verbum declarat,* exurrexi: *verùm illud aliud ex tranſlatione vſurpatum diuinam tutelam & prouidentiam pulcherrimè depingit.* Quia Dominus ſuſcepit] IIZZMACHENI, *fulciuit me in gremio, ſinu, brachiisq́; ſuis. Eſt tranſlatio ab infantibus qui in matris gremio vel patris vlnis dormiunt. Hac igitur tutela fretus & fultus,*

7. Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, ſaluum me fac Deus meus.

8. Quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa: dentes peccatorum contriuiſti.

Non timebo] *Non ſolùm multos & magnos, verùm nec* millia. *in primæua lingua* RIBBABOTH, *denas myriadas complures. Deſcribit autem ſe tali complexu fultum dormiuiſſe, deinde excitatum & tot myriadas inimicorum intuitum, hunc appellaſſe ſeruatorem, iudicem ac tutorem.* Exurge Domine] *Deum in illo diſcrimine non extremè vltorem ſui adeſſe orat, ſed vindicem tantùm & ſeruatorem, qui non armis aut maximis viribus, ſed leniore caſtigatione inimicos arceat & coerceat ſuos; hoc eſt, alapis in faciem impactis (tanta clementia & caritas deprecantis eſt Vatis) & molaribus quorundam, qui mordere ſtudebant, confractis,*

ctis. Id quod euenturum credit, vt iam factum pronuntiat. Quod ita quidem euenit percuſſo Abſalone, qui diſſidij & ciuilis belli auctor & facies fuerat, & Achitophelo ac Semei aliusq; ſimilis farinæ detractoribus & obtrectatoribus maleuolis confractis. Concluditur autem pſalmus epiphonemate ad doctrinam comparato:

9. Domini eſt ſalus, & ſuper populũ tuum benedictio tua.

Domini eſt ſalus] *Ille vnicè ſalutaris eſt, nec ſeruator tantummodo, ſed amplificator eorum omnium, qui huic regi, Domino, ac principi nomen dederunt, & ſeſe permiſerunt regendos: Hi enim* Dei populus *dicuntur. Mutatio perſonarum à tertia in ſecundam, & contrà, in ſacris carminibus frequens eſt.*

IN PSALMVM IV.

CHRISTIANÆ REIPVBLICÆ LEGITIMIS MINISTRIS SALVTEM.

AEmulantium omnium & maleuolorum detrahentiumque vobis inuidiam, duplici inſtructis virtute, id eſt, fide & integritate, & diuino præſidio, ſuperatum iri certiſſimè diuina ſcripta pollicentur; & omnia tandem, quæ ad rem benè gerendam faciunt, opportunè ſufficienda, modò ambitio omnis & auaritiæ vel ſuſpicio leuiſſima abſit: ſatis opum abundeque honorum in conſcientiæ ſimplicitate atque in animi magnitudine, non ſolùm ad contemnendum metum rumoreſque vulgi ferendos, verùm ad inimicos amandos, & ſtudio, beneuolentia, officiis, ac pietate leniendos; ſin minus, certè Deo vindice & aſſertore vincendos. Non ex ſententia hoc proponimus, verùm ex viuo Dauidis exemplo ac documento admonemus; qui pſalmum hunc vt cognitione & obſeruatione digniſſimum, ſummis vocibus, quod Inſcriptio indicat, canendum conſtituit. 1. IN FINEM IN CARMINIBVS, PSALMVS DAVID] carminis genus ſupremis tonis & vocibus decantandum.

ARGVMENTVM.

QVi Saulis partibus vel propter neceſsitudinem fauebant, vel propter potentiam adulabantur, multis modis Dauidi ſeſe iniquos præbuere, cauſſæ cum primis infamia & improbitatis atque animi erga beneficum regem ingrati opprobrio. Quod ad inuidiam in priuatum, humilem, ambitioſumq́; vti infamabant hominem creandam & alendam ſatis ſuperq́; fuerat, niſi contemptionis etiam cauſſa inopiam, egeſtatem, atque ſolitudinem quoque obiiciendam duxiſſent: quibus nominibus illum impium, improbum, atque etiam inſanum arguere ſtudebant; atque ideo non modò nobilium ac populi, ſed neceſſariorum quoque odio ac deſertione digniſsimum. Huic publicæ calumniæ propulſandæ, & periculis omnibus ex eadem creatis pellendis, vnicum ſibi præſidium opponit Vates, fide erga Deum ſua, & innocentia atque adeò beneuolentia aduerſus omnes homines fretus, quos & ſapere & ſibi quàm optimè conſulere optat.

2. Cùm inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ: in tribulatione dilataſti mihi. Miſerere mei, & exaudi orationem meam.

CVm inuocarem] *Cauſſam ſuam apud iuſtiſsimum iudicem agere ſe canit; cuius muneris præſidium ac tutelam appellat, cognitam ſibi antea multis exemplis, & ſemper certiſsimam in omni periculo ab hominibus magno conſenſu magnaq́; frequentia creato. Hoc ſignificat,* In tribulatione dilataſti mihi] *Tranſlatione ducta ab eo qui vndique preſſus & in arctum coactus præſenti alterius ope expeditur. Nullum verò ſibi eſſe vel patronum vel defenſorem in tanto impetu ac tumultu, niſi ſuum ipſius oppreſsi & appellantis clamorem, vnicum verò fiduciæ firmamentum in iuſtitia ſua conſiſtere, iudice integerrimo atque fraudis & iniuriæ omnis vindice fortiſsimo & efficaciſsimo.* Deus iuſtitiæ meæ] ELOHEISIDKA, *cauſſæ meæ conſultus, iudex, vindex; quem duobus nominibus appellat, iudicij ac miſericordiæ: quibus probandis occaſionem oblatam apud ſe oſtendit, tum quòd iuſtam tueatur litem, tum quòd non modò lite vexetur iniqua, ſed vi quoque ac potentia opprimatur.* Miſerere mei] *oppreſsi & vexati nimium. Nouerat Deum benignum, miſericordemq́; erga miſeros & vexatos; eundem etiam nouerat principem optimum, orborum parentem, viduarum iudicem, atque illatæ in immerentes iniuriæ vltorem: quare & ſibi cauſſam dicturo attentum optat.* Et exaudi orationem meam] *Quam orationem apud iudicem Deum totam ferè cum aduerſariis habet, defenſoremq́; hoc pacto agit; non qui quemquam lædat aut accuſet, ſed qui accuſantium ſe maledictis, detractionibus, aliisq́; argumentis reſpondeat. Ac primùm quidem ex perſonarum comparatione initiũ defenſionis exorditur: quòd rem, de qua agitur, oporteret*

teret

teret meliùs ac ſapientiùs putatam, non vulgaribus quidem tumultuariè agere ſolitis, verùm viris magnis & munere conditioneq́; grauibus, quales eſſe decet eos qui apud regem ſunt, & res belli ac domi publicè gerendas partiuntur & ſuæ pro parte ſinguli agunt: hos enim alloquitur, quorum ſtudia cætera turba ſequi ſolet.

3. Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Filij hominum] *Magnorum & primorum: namque* BENEIS *non quoſuis mortales, verùm ſingularis cuiuſpiam & præcipui viri filios ac familiares rebusq́; agendis adiutores ſignificat, quos non rudes eſſe, non vulgariter nec tumultuariè iudicare, nec temerè cuiquam detrahere oporteat. Huiuſmodi aduerſus Dauidem erant Saulis aulici & fautores omnes: aduerſus* IESVM *Chriſtum verò (quem Dauid mille repræſentauit modis) fuere qui pontifici fauebant, ſapientes huius mundi ac primores populi; quorum cordis duritiem miſertus Vates, ad meliorem mentem reuocare ſtudet. Namque inuidia inſanire arguit, quos tanta tamq́; frequentia diuinæ in ſe voluntatis ornamentiq́; ſigna non permouerint, & à peruerſa affectati vltro regni opinione, quam de ſe conceperant & ſpargebant, non diduxerint. Id quod fortaſſe in ipſis initiis ſuarum rerum ſuſpicatos non adeò eſſet mirandum; verùm poſt tam frequentia ſingularis in ſe prouidentiæ ſigna vrgere adhuc & contumaciter perſequi, non ſolùm vanum & inutile, ſed nefarium, ſacrilegumq́; cenſendum. Nos hîc latinam Vulgatam,* [graui corde] *interpretamur; alteram, imò vtramque verſionem ex lectione abſque punctis primæua in carmine ſumus interpretati.* Diligitis vanitatem] *Stultitiam & vulgaritatem ac nullius certi momenti opinionem ſignificat vox* RIK. *Vnde Euangelij illud* RAKA. *quod qui concipit, conſequens eſt vt mendacium quærat, & multa falſa & improba atque doloſa agat; idq́; fruſtra, cùm nemo poßit vel perdere vel impedire ac turbare, quem Deus ornandum & amplificandum ſuſceperit, & manifeſtis admirandiſq́; ſignis & auctoramentis ſuſceptũ oſtenderit. Hoc eſt quod ſubiungitur:*

4. Et ſcitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum: Dominus exaudiet me cùm clamauero ad eum.

Scitote] *Duo vocabula explicata ſenſum apertum reddent.* Mirificauit] *Admirabilem effecit Dauidem tot rebus vltra communem & humanam ſortem in duello ac bello, item etiam in pace geſtis; quæ diuinam planè probabant auctoritatem. Chriſtum* IESVM *opere & ſermone potentem, ſignis & portentis, quæ nemo alius fecit, illuſtratum accepimus.*

Sanctum ſuum] HHAZZID. *hoc loco piũ ac Deo gratum probatumq́; ſignificat, atq; illo elogio commendatum:* Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum: nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquita- Sanctus. *Pſal.* 88.

 tis

tis non apponet nocere ei. *Eandem orationem & Ieſus Chriſtus apertiùs*
Iohan. 5. *etiam & pluribus retulit verbis:* Sicut audio, iudico;& iudicium meum iuſtum eſt: quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me. Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum. Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me; & ſcio quia verum eſt teſtimonium, quod perhibet de me. *Ergo quem Deus ſolus ſingulariter extra communia prouidentiæ ſuæ exempla ponendum decreuit, quanquam aliâs omni humana facultate carentem quis videat, nemo tamen à ſe vel ab aliis hominum perditum, ſed neque impeditum iri autumet; namque & propugnabit certiſſimè Deus opportunè, & in tempore vocatus audiet, defendet, aſſeret ac tuebitur.* Dominus exau-
Prouidentiæ diuinæ opportunitas. diet me cùm clamauero] *Diuinam erga pios prouidentiam præſto ſemper eſſe & opportunè ſeſe oſtendere hoc teſtimonio cognoſcimus: opportunitatem verò maximam difficillimis temporibus ac diſcriminibus obſer-*
Pſal. 45. *uari. S.S.E.* Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis; propterea nō timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. *Quidquid in hoc pſalmo de Dauide expoſuerimus, id omne verè & propriè ad illius Filium Ieſum Chriſtum hominem verum, & ſolum optimum, eundem quoque Dei Filium, transferendum prædicamus.*

5. Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.

Iraſcimini] RIGZV *tremor in hominibus aliâs ſanis vel ex ira vel ex pauore oritur. vtramque affectionem verbum* RAGAZ *ſignificat. Monet igitur Vates aduerſarios, vt quem tremorem, quámque trepidationem ex ira & odio vano ac mendaci patiuntur, atque temerè & ſe ipſos & ſua conſilia & alios turbant, ad religionem, pauorem, metumq́ Dei transferant; & ſibi potiùs ipſis quàm Sancto Dei iraſcantur. Namque metu, pauore atque ira huiuſmodi, à peccato & errore homines reuocari ſolent, & ad meliorem mentem ſapientioresq́ cogitationes traduci poſſunt; cùm ſedata ira (quæ in hiſce moribus breuis eſt) ſecum ſoli & quieti res rationesq́ rerum & antecedentia & euenta expendunt. Vnde fit, vt præteritæ inſaniæ pœnitentia ducti, meliùs deinceps ac prudentiùs agant, ſibiq́ & ſuis conſulant, ac Dei prouidentiam & voluntatem agnoſcentes, venerentur demum, & placatione ac deprecatione & cultu ſibi conciliare ſtudeant: idq́ à clemente & miſericorde atque errantium reuocatore & reſipiſcentium aſſertore Deo impetrent. Monet autem Vates aduerſarios illos potentiores, vt non ex tumultuoſis ſermonibus & rumoribus, qui in huiuſmodi confabulationibus incendi feruereq́ ſolent, iudicium cenſurámque ſuſcipiant; dum vnuſquiſque vel ex odio, vel ex contentione, vel ex gratia aut metu aliorum, vel ex adulatione, aliarum partium putari metuens, excitatam accuſationem ac detractionem vrget & inſtigat; ſed potiùs, vt ſinguli*

noctu ſecum ſine arbitris, ſine impulſore, quietis tempore, dum mens apud ſeſe agens Deum attendere velit, monitorem experiatur: tunc tacitus ac ſilens rem exactè perpendat & examinet, illud inde certè commodum ſibi confecturus, vt videlicet ſeſe compeſcat, ac Dei voluntati deinceps pareat. Hoc ſignificat verbum compungimini] ZELAH DOMV, componite, comparate, & conferte [*res & rerum momenta*] tacete, quieſcite. *Hoc adeò conſilium vtiliſſimum ſibi, vtpote Deo gratum, fore ait; vt inter ſacrificia omnia illa quæ iuſtitiæ vocantur ſiue iuſta, gratiæ prærogatiuam habent.*

6. Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino. Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?

7. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: dediſti lætitiam in corde meo.

Sacrificate] *Sacrificiis cognomina à ſacrificantum conditione varia impoſita ſunt: Peccatum ſiue pro peccato, quod expiatorium dici poteſt; Iuſtitiæ ſiue iuſtum, quod à iuſtitiæ, æquitatis ac miſericordiæ amatoribus & profeſſoribus ritè fiebat; Pacis ſiue pacificum, quod profeſſionem amoris & caritatis repræſentabat. Atque vnumquodque ſacrificij genus vt purè fieret, talem ſacrificantis mentem animumq́ exigebat, quale præferebat cognomentum. In hac igitur cauſſa opportuniſſimum erat* ſacrificium iuſtitiæ *& æquitatis atque humanitatis (ita interpretamur nomen* TSEDEK) *ritè, rectè & purè faciendum; hoc eſt, poſt rationem & cauſſam, de qua agitur, iuſtè & æquabiliter atque piè putatam & iudicatam; cuius iudicium iiſdem ipſis aduerſariis eo quo excepit pacto ac modo faciendum committit. Quod cùm ita factum fuerit, cætera Deo permittere ac fidere monet, qui vnicuique ex vero, ex ſtudio, atque ex cõſilio, denique ſi non pro meritis, ex meritis tamen retribuet: illis ita iam reſipiſcentibus parcet; ei verò qui non ex vero, ſed ex ambitione aut ſtultitia aut dolo vel fraude vel vi egerit, quicunque is fuerit, dignum diuino iudicio maturabit exitum. Simile huic illud Gamalielis conſilium fuit:* Et nunc dico vobis, diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite illos: quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc aut opus, diſſoluetur; ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere illud; ne fortè & Deo repugnare videamini. *Hæc igitur ſatis & piè & prudenter atque modeſtiſſimè ad magnates, quorum iudicium exactiùs eſſe oportet.* Multi dicunt] *Supereſt reſpondere plebeiorum ac vulgi turbæ, quam nomen,* multi, *ſignificat; atque ita antiqui nominarunt,* οἱ πολλοὶ. *Ambigua eorum & inconſtans ſententia eſt: illa tamen communis & frequens vox Vtinam quiſpiam nobis verarum & bonarum probandarumq́ in hac cauſſa partium extaret index, cuius ſequamur auctoritatem.* Bona] TOB *bonum, bonam cauſſam à Deo probatam victricemq́ futuram. Hanc dubitationem certo ſigno tolli poſſe, &*

Sacrificiorum formę. Pro peccato. Iuſtitiæ. Pacificum ſacrificiũ. *Act.* 5. Multi vox οἱ πολλοι. *Ariſt. polit.* 1. c. 5.

in dies magis tollendam affirmat & poſcit orator. Nam cùm vtraque pars, Dauid, inquam, & Saul, cauſſam ſuam Dei cauſſam eſſe prætexeret; hic ſeſe regem ex Dei iudicio per Vatis Samuelis reſponſum allegaret, ille verò ſeſe non ſua ambitione, ſed diuina electione ad rem gerendam vocatum diceret; vter nam Dei teneret ageretq́ partes, aliquo argumento vulgus doceri cupiebat. Atqui in bellis tum hoſtilibus tum ciuilibus, partium factiones certis vel vexillis vel ſignis diſtingui ſolent, vt ad vtram ex illis cuique fauentum accedendum ſit, dignoſcatur. Hanc tranſlationem ſecutus Vates, diuinæ voluntatis ac prouidentiæ ſingulare ſignum à ſe ſtare & conſpicuum longè prominere ait. NEZZAHGHALINVOR PANECHA ADONAI, ſublatum *ſiue* vexillatum ſuper nos lumen aſpicientiæ tuæ Domine. *Nam* ſignatum *hic latinè à ſigno deducendum.*

Signa ſiue vexilla.

Facies Dei.

Vultus tui] PANECHA, facierum tuarum. *quod nomen à* PANAH *deductum, id eſt, aſpicere, reſpicere, intueri, prouidentiam in diuinis ſignificat; quam quidem luce meridiana clariorem vtpote diuinam ſuper ſe apparere affirmat, & in poſterum poſcit Dauid. Nam quæcunque ab illo geſta factaq́ ſunt, ab eo die quo Goliath occiſus fuerat vſque ad huius componendi carminis occaſionem, diuinũ prouidentiæ & voluntatis decus ſibi luce clariùs arrogauerant; & quæ in præſentiarum quoque conſpiciebantur, idem confirmabant. Nempe, illos diuites, opulentos, rebus omnibus ad vitam commodis affluentes, bellum & inimicitias vehementer turbatos ac ſolicitos gerere ſecum, qui nihil poſſideret quidem aut haberet; verùm vnius tantùm diuinæ tutelæ præſidio fiſus, ab ambitione & cupiditate alienam, atque adeò quietam vitæ conditionem in magna paupertate ſumma cum ſecuritate traduceret.* Dediſti lætitiam in corde meo] *Tantum abeſt vt illis copiam rerum inuideam, vt potiùs ex animo gratuler.*

8. A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt.

A fructu] *A cauſſam hoc loco indicat: eò quòd multiplicati ſunt, & abundant commoditate & opportunitate (hoc ſignificat* GHETH) frumenti, vini, & olei. *Omnis annonæ materia in duo ſumma diuiditur genera,* DAGAN, *quod omnem frugis in annum collectæ copiam cuiuſcunque formæ ſit, &* THIROS, *quod quidquid expreſſum reſeruatur ſignificat.*

Annonæ materia.

9. In pace in idipſum dormiam & requieſcam;

10. Quoniã tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

In pace] *Quàm primum cubo, quietus iaceo & ſecurus dormio;* Quoniam tu Domine ſingulariter, *ſolus vnica ac ſingulari prouidentia, quanquam ceteris diuitiis & opibus carentem*, in ſpe & *fiducia* conſtituiſti me. THOSSIBENI, *ſedere & ſecurè agere iuſſiſti.*

IN PSALMVM V.

GABRIELI SAIÆ, FRATRI IVRATO, AMICO VETERI S.

SImplex, candidum, fraudis ac doli prorſus expers ingenium iſtud, quo publicas & priuatas res per omnem ætatem miniſtraſti & adminiſtraſti, amici omnes tibi gratulati ſemper; æmuli verò inuidentiâ proſecuti, ac tandem victi; quantum valeat quantumque præſtet, ſenſerunt. Et meritò id quidem, quippe quòd inter conceſſa à Deo mortalibus munera, hoc potiſſimum & maximè optandum donum, cuius & ipſa diuina ſimplicitas exemplar eſt puriſſimum, & perpetuæ prouidentiæ tutela ſingulare profitetur patrocinium. Quod, qui in ſe expertus eſt Dauid, tibi tuique ſimilibus ad conſolationem & conſtantiam, eleganti carmine agnoſcendum & commemorandum celebrauit. Macte ergo virtute eſto; & quod huc vſque egiſti & agis, idem obtentum agito, & ad veræ virtutis æternum præmium (quod non longè iam eminet) præſcripti itineris ſpatium conſice. Vale. ex Caruancelo pago VII. id. Iunij. CIↃ. IↃ. XCII.

ARGVMENTVM.

SImplicitatis ac probitatis ſuæ tutelam & aſſertionem, iam pluribus exemplis agnitam, de integro Deo commendat Vates; nullum aliud ſibi præſidium cognitum, optatum, petitum aut petendum vnquam profeſſus aduerſus duplices, hoſtiles inimicasque partes, vim & dolum; quas ad inuidiam & deteſtationem deſcribit. Hoc pacto diuinam opem ſibi benignè conciliatam, iuſtè etiam confirmatum iri ſperans, felicis euentus gratulationem in ſacro templo celebrandam vouet.

1. In finem pro ea quæ hereditatem conſequitur, Pſalmus Dauid.

PSalmi Inſcriptio indicat carmen ſumma voce & poſtrema alternatim cantandum per diſtributos leuitarum choros, qui certis ordinibus, apum inſtar, ſuas vices peragebant, & tanquam hereditatum partes colebant. Sic interpretamur NEHHILOTH.

 2. Verba

2. Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum.

Orationis partes.

In humana oratione duo ſunt, animi impulſus ac motus, & huius interpretatio: impulſus vocis ſono & corporis oriſq́ geſtu & habitu arguitur, interpretatio verbis fit: vtraque pars vbi concordat, veritatem orationis comprobat. Hoc ad orantis perſonam attinet. Ad auditorem duo etiam excipienda pertinent, verborum ratio, quæ ex re magis quàm ex pronuntiatione, & vocabulis expendenda eſt, vt quod dicitur res ipſas repræſentet; ac dicentis affectus, qui mente potiùs quàm ſenſu dignoſcitur. Nam qui mentem adhibet, facilè diſcernit inter verum, & fictum vel nocte paratum dicentis habitum, geſtum, & motum, qui ex animi impulſu vel naturali vel compoſito proficiſcuntur. Verborum quidem cuiuis patet figura, vt quæ ſenſu externo excipitur; ſed impulſus animi cognitio poſterior eſt, vtpote quæ attentione mentis conſtat. Mens cùm orantem verè & ex animo agere intelligit, afficitur etiam ipſa & conciliatur ac fauet, atque attentionem verbis præſtandam ab animo impetrat; & hæc vnica ad perſuaſionem ratio & via eſt. Namque aliàs

Si dicentis erunt fortunis abſona dicta,
Romani tollent equites peditesq́ue cachinnum.

&, vt ille alter monebat,

Perſius Saty. 1. lin. 91.

Verùm, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incuruaſſe querela.

Non poſſumus in tam exactis ſanctorum ſcriptorum exemplis, breuitati, quam vellemus, & rei dignitati lectoriſq́ vtilitati quas optamus, ſimul conſulere. Quamobrem quædam, quæ doceri oportuerit, exerto tantùm, nonnulla verò intento digito indicamus; complura autem, quæ omitti nefas, leuiter tangimus. Igitur tametſi Deo orantis mens ante orationem nota perſpectaq́ ſit, tamen ſanctorum orationes & ſermones apud Deum ad humanæ perſonæ morem conformantur. idq́ ex numinis placito & ex hominis vſu ſolemne fit. Poſcit itaque Vates non tantùm orationi ſuæ attentionem, ſed animi etiam affectui conciliationem. Verba mea] DEBARAI; *nomen hoc res & verba pariter ſignificat. Vtriuſque ſignificationis collationem & examen & iudicium poſtulat; vt qui nihil vanum, nihil otioſum aut ſuperuacaneum ſeſe queri, dicere, & agere præfatur. Et verbis quidem aures poſcit, animo verò pernoſcendo mentis attentionem:*

Intellige clamorem meum] *Hic non de verbis ac rebus, verùm de ſpiritu ac ſono interni motus indice agit* HAGIGI, meditationem *ſiue* cogitationem meam. *Compone verba cum rebus, & vtraque ſimul cum mente & cogitatu animi; neque enim quaſi dictata verba, ſed ex rebus nata, ex animo profecta eloquar; id quod vel vox ipſa arguet, non ex luſu aut ſimulatione, ſed ex vero expreſſa:*

3. Inten-

3. Intende voci orationis meæ, rex meus & Deus meus.

Intende voci] HAKSIBAH, *diligentem & intentam ac ſeriam obſeruationem verbum hoc ſignificat*; KOL *non tam verbum aut vocabulum quàm ſonum. Examina igitur,*

Num ſolidum crepet aut pictæ tectoria linguæ Arguat.

Orationis meæ] SAVGHI *gemitum querelamq́ ſignificat vox, vtpote ex verè affecto ſenſu extruſam. Atqui petitio poſtulatioq́ omnis, eius qui appellatur auctoritatem, facultatem, & poſtulantis ad poſtulandum ius allegare debet, vt ritè inſtituta probetur. Id verò Vates hoc loco duobus titulis citandis & ſibi allegandis agit;* Rex meus, *qui mihi iudex & vindex vnicus,* & Deus meus, ELOHAI, creator & gubernator meus. *Regis munus & officium, iura dicere ac dare; Dei gubernatoris partes, opus tueri, aſſerere & conſeruare ſuum; orantis ius, vtriuſque nominis ac tituli implorare fidem, qui ſi minùs rectè ac legitimè perorauerit, cauſſa cadere non recuſet. Atque eo magis dignus auditu & fauore orator eſt, quo maiore ſtudio & ſolicitudine agit. His enim ſuam neceßitatem, & fidem etiam atque ſpem in regem Deumq́ ſuum oſtendit & probat; præcipuè verò dum intelligit argumentum non magis ex proprio ſui ipſius vſu, quàm ex iudicis auctoritate, dignitate, conſilio ac propoſito eſſe. Omnia hæc Vates ſubiunctis quatuor verſibus allegat.*

4. Quoniam ad te orabo: Domine manè exaudies vocem meam.

Quoniam ad te] *Solum, vnicum, & legitimum regem, ac iudicem, gubernatorem, eundemq́ benignum,* orabo. Domine] IEHVEH; *benigni, ſalutaris, & efficacis ſignificatione nomen hoc explicatur, eademq́ auctoritate appellatur hoc loco. Cauſſæ verò ſuæ neceßitatem, quæ & ſe ad agendum impellat, & Deum ad cognoſcendum excitet, temporis adnotatione & opportunitate, atque adeò ſolicitudine commonſtrat:* Manè exaudies vocem meam] *Adeò premor, vt ſummo manè tempeſtiuè admodum vociferari cogar, quo te mihi auxiliaturum ſolicitem.*

5. Manè aſtabo tibi & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

6. Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos.

Manè aſtabo] AGHAROCH, *comparabo me. Tranſlatio ſumpta ab iis qui ad iudicia & ius conueniunt; ex quibus qui primum locum occupat, primus etiam auditur, maximè ſi intento in iudicem vultu, habitu, & geſtu hoc agit, vt iudicis oculos in ſe vertat. Hoc ſignificat verbum* videbo, ATSAPE: *habitus enim & ſitus eorum eſt, qui in ſpecula conſtituti*

qua

qua parte aliquid exſpectant attentiſsimè intuiti contemplantur: pingit Dei tribunal. *enim tribunal iudiciumq́; Dei, in quod omnes homines conueniunt, alij quidem volentes & ſuam cauſſam agere ſtudentes, alij verò inuiti ſuam dicere iuſsi, prout quiſque egerit in corpore ſuo ſiue bonum ſiue malum. Ac non ſolùm in illo publico & communi iudicio poſtremo celebrandum hoc erit, ſed quotidie quoque agitur; nullo enim die diuina fora clauduntur, aut iudicia ceſſant: ſemper iudex ſuas partes agit, mortuoſq́; omnes, vbi vbi illi ſint, tamen ille coràm habet, ſpectat, & audit. Priores quidem & anteriores adſtant, quibus bona, poſteriores verò ſe ſiſtere conantur, quibus mala eſt cauſſa; animi conſcientia illis fiduciam, iſtis trepidationem horrorémque parit, & latendi, ſi impetrare poſſent, cupiditatem. Vates noſter ſuum nomen in illis profeſſus, intueri ſeſe atque exſpectare iudicis faciem, & mentem ac voluntatem ſibi cum primis adeſſe poſcit; ideóque tempeſtiuè ac ſummo mane ad ſubſellia properare, idq́; ſemper facturum ſe prædicit; vt qui nihil niſi verum & æquum tueatur & oret. Hæc duorum verborum* aſtabo & videbo *ſignificatio ac repræſentatio eſt. Atque hoc ipſum, quod agit, quod curat, & ex optimo iure & ex Dei iudicis inſtituto eſſe ait: qui cùm omnes audiat, examinet, ac iudicet, meliores tamen cauſſas improbis ac dete-* Pſal. 145. *rioribus perpetuò in omni actione præfert. S. S. E.* Facit iudicium iniuriam patientibus. *Cauſæ verò ſuæ argumentum exponit, iniuriam ſibi illatam innocuo ac ſimplici homini ab hominibus varia ac multiplici prauitate & malitia notatis, & propterea iudici ipſi inuiſis ac deteſtabilibus.*

Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es] *Improborum & maleficorum hominum ingenia ac turpes mores nominibus diſtinguit ſeptenis, quorum vnumquodque Deo inuiſum ait, cum homine cui adhæret; nedum ſi plura vel ſi omnia in vno aliquo notentur. Appellat autem duo diuina nomina, alterum* EL, *quod ad fortitudinem refertur, alterum* IEHVEH, *quod ſæpius diximus bonitatem, benignitatem, & miſericordiam arcanè includere. Ergo* Fortem & Bonum *ad partes vocat. For-* Fortitudo. *titudinis cum Bonitate coniunctæ partes eſſe ait, iniuſtè oppreſſos protegere,* Bonitas. *& ab oppreſſoribus defendere; Bonitatis cum Fortitudine ſociatæ ingenium & morem eſſe, quidquid turpe, quidquid improbum, prauum, fictum, fraudulentum, ſimulatum, aut violentum, aut alio nomine vitioſum & malum, odiſſe, deteſtari, abijcere, diſsipare, ac demum perdere. Nam aliàs fortitudo, vis, & potentia ſine bonitate inutilis, imò ſuſpecta & ſæpe calamitoſa iniurioſaq́; eſſe ſolet; bonitas verò ſine fortitudine & efficacitate tantùm bonitas eſt, & ad ſe tuendum alióſque vindicandum inualida. Vtrumque exemplum in hominibus frequens; contrà verò in Deo, cuius & ſumma virtus & bonitas pariter ſumma, alia ratio aliaq́; actio eſt. Tu, inquit, quem appello & oro, fortiſsimus quidem es; verùm non ea cauſſa fortis, vt vel quemquam vexes, vel ab improbo aliquo vexari probes aut velis, imò vbi iſtud fiat, vindices.* Iniquitatem] RESAGH, *eum ſignificat, qui iniqua lite vel alia iniuſta actione quemquam premit. Nam*

duplex

duplex in commune vitij humani genus eſt: alterum in priuatorum vniuſcuiuſque morum turpitudine computreſcens, alterum in iniuria aliis inferenda efferuens. Prius in genere concupiſcentia carnis vocatur; cuius plures formæ, vel deformitates potiùs, aliàs enumerandæ. Poſterius in duo deducitur genera, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. ita D. Iohannes, quidquid immundi eſt in mundo, complexus eſt. Vtrumque genus hoc in carmine accuſat Vates, ſed prius communiter premit; poſterius, vtpote nocentius ac ſibi multipliciter infeſtum, partitis nominibus indicat. Prioris nomen commune eſt RAGH, *quod abſolutè malum, ſiue maius ſiue minus, interpretamur: verùm cùm aliis malitiam ſignificantibus adiungitur, ſingulares mores & vitium etiam in mente conceptum, quanquam nondum in ſcelus productum, ſignificat. hoc etiam Dei bonitati & puritati inuiſum, reiectum, & valde faſtiditum declaratur* IEGVRCHA. *peregrinari & hoſpitem agere ſignificat verbum: atque ita explicamus;* Neque habitabit iuxta te] *Nulli malo non ſolùm ad habitandum, verùm nec ad peregrini aut hoſpitis vel breuem vſum, domum ciuitatémque tuam patere vis.* Neque permanebunt] *Inter alia vitia, quæ publicè importuna & faſtidioſa cenſentur, numeratur* HOLALVTH, *quam latinè arrogantiam, ſtultam iactationem, ac temerariam ſui ipſius laudem, aliorum deſpectum, interpretamur; ſcabiem in principum aulis ſolemniter graſſantem, & communis contagis cauſſa minimè curatam, imo nec pro nocumento animaduerſam & cognitam: qua qui pruriunt,* HOLELIM *vocantur. A quo malo adeò alienam diuinam domum eſſe prædicat Vates, vt neminem iſtius farinæ hominem coram ſe vel ſiſtere bonus ille Deus permittat.* Non permanebunt LOIITHIATSEBV, non ſeſe ſiſtent. *quippe qui quàm primùm ante oculos tuos vel repente apparuerint, extemplo pelluntur. Namque hi & ſuarum laudum iactatione faſtidio ſunt, & aliorum contemptione, ſanctæ aulæ puritatem contaminant. Illos verò, vt peiores ac longè deteſtabiliores,*

Vitiorum genus duplex. Concupiſcentia carnis. Concupiſcentia oculorum. Superbia vitæ. 1. Iohan. 2. Malum. Arrogãtia. Aulæ vitia.

7. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus.

Odiſti omnes qui operantur iniquitatem] *Qui non ſolùm animo malum cogitant, vel verbis vel iactationibus aliaq; ſermonum ſtultitia putent, ſed vel factis vel verbis aliis à iuſto & æquo atque ab officio deflectunt, nec ex vero & ſerio apud alios agunt, dicuntur* POGHALEAVEN, operarij iniquitatis. *Hi ſunt, qui quanquam iuſta faciant, non tamen iuſtè faciunt. quales illi, qui profeſſi;* Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? *tamen audierunt;* Neſcio vos, diſcedite à me operarij iniquitatis. Iniquitatem *hoc loco idem quod latinè prauitatem dicimus, quidquid à recto flectit;*

Operarij iniquitatis. Matth. 7. Luc. 13. Iniquitas.

ctit; rectum autem non ſolùm in facto, ſed in arte & modo ſpectandum. In hac cenſura, imò rigidiore etiam ſunt, omnes qui loquuntur mendacium] Qui vel re vel verbis eos, quibus officium debebant, fallunt, dicuntur DOBRECHAZAB. latinè, verba dantes. Namque hi duplici modo, fidem nimirum & ſpem violantes, nocent: quare non modò odibiles, ſed perdibiles Deo ſeſe produnt. Surgit autem & creſcit vlterius nocendi ars, atque cenſuri etiam rigor dureſcit magis. Virum ſanguinum & doloſum] Hactenus quidem communia & ſolemnia magis flagitia notata; nunc verò ſcelera per ſuperbiam commiſſa, vel per dolum concepta & admiſſa, tanquam planè humano generi inimica & hoſtilia longeq; infeſtiſſima, proſcinduntur. Vir ſanguinum is dicitur, qui aperta vi; doloſus verò, qui ex inſidiis & fraude vel malum vel damnum alij cuipiam immerito affert. Vtriuſque hoſtilis claſſis omnes ac ſingulos, perpetuò inuiſos, odioſos, ac deteſtandos Deo forti ac bono affirmat Vates, verbo vſus futuro, abominabitur IEHVEH, bonus, benignus, ac ſalutaris Dominus. Notanda in hoc pſalmo malorum incrementa. IMPROBITAS, IMPVRITAS, IACTANTIA, PRAVITAS, MENDACIVM, VIOLENTIA, ac DOLVS. obſeruandæ etiam cenſentis Dei notæ. IMPROBATIO, EXCLVSIO, PVLSIO, ODIVM, PERDITIO, ABOMINATIO. Externum poëtam, vel præſtantiſſimum, fuſtra cum hoc noſtro componas. Cum omnibus iſtis peruerſorum hominum gregibus litem & cauſſam ſibi Vates incidiſſe ait, eamq; agendam in baſilica ſacra coram tribunali Dei, cuius conſpectum illi adire minimè audebunt, vtpote inuiſi iudici, & ſuis ipſorum conſcientiis retenti. Se verò diuinam domum frequentaturum aſſeuerat, duabus fidentem partibus, vna & præſtantiſſima benignitatis & gratiæ Dei, qui tanta in maieſtate, tamen humillimum quemque hominem, modò ſimplicem & modeſtum, aſpicere ſoleat; idq; de ſe multis exemplis declarauerit: altera verò, cauſæ ſuæ veritate & iuſtitia, & oſtenſione malitiæ & improbitatis imò & ſceleris aduerſariorum; qui complures & magna manu ac variis docendi artibus vel palàm ſibi officiunt, vel occultè inſidiantur.

Mendaciũ loqui.

Verba dare.

Virſanguinum.

Doloſus.

8. Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam: adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.

Ego autem] Hactenus orationis exordium factum: in quo hypotheſis tractata; eius autem ſumma ratio fuit, Deo iuſto regi ac iudici & gubernatori, omnes quidem homines ſubiectos eſſe, non tamen omnes gratos, imò ingratos omnes quotquot vitiis inſtructi fuerint; ſimplices verò & candidos in tutelam receptos, atque in clietelam admittendos, quamquam tanto beneficio impares: qualem ſe hic profitetur, non quidem inſigni merito ſuo, ſed in multitudine miſericordiæ tuæ] Magnæ gratiæ & amicitiæ

amicitiæ veræ & conſtantes duabus conſtantur partibus, liberalitate & bonitate principum minores admittere gaudentium, & minorum fide atque obſequio perpetuo; ita vt minori ad familiaritatem nihil obſtet humilitas, dum modò ingenua adſit probitas, quæ vna maioribus obſeruanda; & vbi perſpecta ſit, non admittenda ſolùm, ſed amplexanda, & ab omnibus inuidentium calumniis ac dolis & maledictis, ab omni vi & inſidiis, defendenda ac tutanda. Hoc pacto maiores bonos ſibi ac fidos confirmant famulos: minores verò rectè ſemper ſuas exequuntur partes, inſidiarum ac ſimultatum ſub principis tutela ſecuri. Idem hoc Vates in hoc & ſequentibus agit verſibus, dum ſibi, non ſuo magno merito, ſed maximo Dei principis beneficio, diuinam domum liberè patere gratulatur. In multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam. *deinde etiam ſuam fidem, probitatem, modeſtiam, & perpetuam erga Principem ſuum reuerentiam, obedientiamq́ue, vita, moribus, habitu & geſtu, & omni pietatis parte ſedulò præſtiturum profitetur.* Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo] Timoris *nomine, veræ pietatis ex animo à ſana mente natum affectum hoc loco intelligimus: in vera autem pietate fides primum locum tenet, ab omni fraude, fictione, ſimulatione, atque auaritia & ambitione abhorrens. Namque mala huiuſmodi ſummorum principum aulas & familias non modò dedecent & infamant, ſed turbant maximè: quapropter horum diligens cura in hominum, quos recipere & receptos ſeruare velint, ingeniis dignoſcendis ac deligendis rectè ponitur, ex Dei imitatione & exemplo, apud quem non habitauit malignus, nec permanebunt iniuſti ante oculos eius; vt ſuperiùs oſtenſum eſt. Igitur ſuam fidem & probitatem profeſſus Vates, muneris atque officij à ſe faciendi arbitrium, imperium & iudicium Deo permittit, illa oratione.*

Principum gratia.

Timor Domini.

Principum aulæ.

9. Domine deduc me in iuſtitia tua: propter inimicos meos dirige in conſpectu tuo viam meam.

Domine deduc me] *Boni miniſtri eſt in agendis regis ſui rebus fidem & ſedulitatem præſtare: quas partes noſter Vates de ſe pollicitus eſt illo verbo*, in timore tuo. *Reliquum verò eſt videre, quid & quemadmodum vnumquemque miniſtrorum pro ſui ordinis ratione agere & exequi oporteat: verùm hoc vt rectè fiat, non ex proprio ac priuato conſilio, ſed potiùs ex principis præſcripto & iuſſu petendum: ita eueniet, vt facta probentur hero; & inuidentium, detractorum, atque proditorum calumniis, notationibus, ac dolis minùs obnoxia euadant.* Deduc me] NAHHENI, *verbum hoc quietè ac ſecurè ducere ſignificat, tranſlatum ab iis, qui maiorum & potentum auctoritate freti, iter aliquod aliàs non tutum inſtituunt & capeſſunt; vulgato iam vocabulo Saluus conductus dicitur. Intelligit bonus vir fiduſq́ue famulus, æmulos complures nocentum ac maleuolorum greges ſibi in vitæ decurſu paratos ad peiorem partem, atque adeò ad perniciem omnia inuertere doctos & promptos: à quibus vnica diuinæ æquita-*

tis ac iuſtitiæ tutela ſeſe munitum optat & poſcit. Vt ſi vſitato ſermone dicamus: Cedò vt iuſtitiæ tuæ ſaluo conductu fretus iter faciam; ita fiet vt non ex illorum dolo ac fraude, calumnia & improba delatione, ſed ex iuſtitiæ tuæ veritate, & integritate vitæ & ſeruitutis meæ, cauſſa cenſenda æſtimandaq́; ſit; tantumq́; innocentia, ſimplicitas, & probitas mea mihi apud te iudicem iuſtiſsimum & æquiſsimum patrocinentur; ac dum modò tibi placeam, neminem præterea metuam. hac autem tutela fretus, nihil recuſo in tuæ gratiæ obſequium vel ſubeundi laboris vel agendi negotij. Verumtamen vt placeam, non meo ingenio aut conſilio quid & quemadmodum ſim acturus permitto, ſed dirige in conſpectu tuo viam meam]

Via. *Nomen* via *pro ratione & inſtitutione vitæ ac morum etiam à latinis vſurpari ſemel atque iterum animaduerſum, nec faſtidioſè repetendum. Iam verò à quibus moribus & ingeniis metuat, diuidendo excipit:*

10. Quoniam non eſt in ore eorum veritas: cor eorum vanum eſt.

Quoniam non eſt in ore eorum veritas] *Quidquid à principio ad finem veritate, ſimplicitate, rectitudine, ordine atque firmitudine ſibi ſimile prorſus ac conſtans eſt, dicitur* NECHONAH. *Ea in ore eſſe negatur iis, qui præter verum ac rectum, atque etiam præter ſenſum de rebus actionibuſq́; loquuntur, ſiue fingant & commententur, ſiue aliàs aliter interpretentur. Hi latinis dicuntur, qui nigrum in candida vertunt. Hoc malum ſi ex errore aut temeritate naſceretur, minus culpæ affigendum ſit: ſed non ita; imò* cor eorum vanum eſt] KIRBAM HAVOTH *ex verbo, interiora eorum prauitates; non vna tantùm prauitas, ſed indefinitè prauitates, in quibus nihil excipias. Latinè mala mens, malus animus.*

11. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, iudica illos Deus.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum] *Sepulchrum* PETHVAHH, *conſultò apertum. Aperitur autem ſepulchrum cadaueris mortui inferendi cauſſa; interim verò dum apertum eſt, fœtore homines tentat & vicina malè inficit loca. Atque hac imagine, officiendi nocendiq́; auiditatem & conſuetudinem notat Vates, non quidem neceſſariam & naturalem (namque ab hoc vitio humanitas abhorret) ſed conſultò ac data opera initam & obtentam pertinaciter: ideò dicit* apertum *ſiue* patens *& vicino cuique peſtiferum, præcipuè quòd non vnum tantùm, ſed multiplex eſt,* eorum. *Neceſſe verò eſt ex pluribus variè corruptis exhalationibus difficillimam commiſceri peſtem, cum maxima accedentium aut proximorum pernicie; quæ eò minus vitari poſsit, quò in præſentiarum lenior viſa, minùs caueatur, atque ideò magis fallat.* Linguis ſuis doloſè agebant] LESONAM

NAM IAHHALIKVN, *lenem ac leuem faciunt & lubricam. In verbis mira lenitas, ſuauitas, vafra ambiguitas, & calliditas; nihil aſperi audias; venenum tamen melle obductum, quiſquis ſapit, cenſeat. Hoc verbo ac tropo Sapientia ſæpe fallaciam humanam notat:* Vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit ſermones ſuos. Prou. 2. Iudica illos Deus] DEI *iudicis & gubernatoris nomen* ELOHIM *hoc loco ex re appellatur. Neque enim aduerſus hanc peſtem vllum verum remedium niſi diuinum eſt; quod quidem ex Dei iudicio certiſſimum, exſpectandum. Namque Vates id poſtulant quod ex Dei prouidentia eſſe nouerunt. Atque operæ eſt, poſtulationis formam ex verborum vi cognoſcere.* Prophetarum preces. ASAM, *pro quo hîc latinè legimus* iudica, *ſignificat malo exemplo peccare: qua nota magnates plerumque inuruntur, quorum peccata multi imitantur: ſignificat etiam reſpuere, improbare ac deteſtari; & in tertia coniugatione, vt hîc pronuntiatur, ſignificat, exemplari ſupplicio, vt dici ſolet, afficere; adde etiam deſolare (Græci* παραδειγματίζειν *reddunt) qua pœna in magnates doli ac proditionis damnatos animaduerti ſolet, capite plexos, & publicatis bonis, ac ſolo æquatis domibus. Huiuſmodi in violentos iſtos pariter ac doloſos iudicium Vates appellat, editum tandem in Saulem, Saulisq́; factionem. Atqui ſimplicium ac piorum, quibus regnum promiſſum ſed nondum traditum, nemo eſt qui huiuſmodi actionem apud Deum iudicem & miſericordem non rectè & verè atque vtiliter vſurpare poſſit; ſi modò intelligat quàm multis & qualibus infeſtetur inimicis, non tam externis quàm internis, qui longè ſunt nocentiores. Idemq́; de cæteris pſalmis documentum. Myſterium ſcribimus, verùm non aperimus: nam tempore premimur, ac tempeſtate occupamur: tantùm, qui tenet, teneat, donec de medio fiat. Nos verò cœptum ſimplicis interpretationis repetimus curſum.* Piorum clamor.

12. Decidant à cogitationibus ſuis, ſecundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine.

Decidant à cogitationibus ſuis] *Fruſtrentur commentis, conſiliis, tum præterea inuentis propriis præcipites dentur. hæc omnia ſignificat nomen plurale* GHESOTH. Secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos] *Propoſitum Dei ad ſuam cauſſam allegat & appellat. Namque illud certum immotumq́; Deo affirmauerat:* Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos; odiſti omnes &c. *Illa hypotheſis fuerat, quam ad theſin iam vocat. Expelle à domo & familia tua, imò omni poteſtate & munere prorſus abdicatos reÿce. hoc eſt & ſignificat* HADDIHEMO, *depellere fac omnes & ſingulos: namque hoc adſignificat* MO *verbis adiunctum.* Impietatum] *Defectionum, deſertionum & præuaricationum. Quiſquis principis maiorisq́; ſui mandata, præcepta & prædicta, commiſſo in officio*

aut in quouis credito munere agendo violat, POSSEAGH *dicitur, & ipſum facinus* PESSAGH; *pro quo ſæpe interpres noſter præuaricatorem & præuaricationem reddit: id ſæpiùs admiſſum principis patientiam & lenitatem in vindicationem vertit. Ideo adnotatum:* Secundùm multitudinem] *Vt iudicis tarditas & patientiæ prolixitas pœnæ compenſetur magnitudine; eo maximè quòd patrandi contumacia non errorem excuſet, ſed magis accuſet deliberatam ac refractariam proteruiam.*

Præuaricator. Præuaricatio.

Quoniam irritauerunt te] MARVBACH. *Verbum* MARAH, *id eſt, contradictionis ſiue inuerſionis, notatum eſt, ac ſeuerè animaduerſum, depoſitis nimirum & excluſis à promiſſione terræ, nō modò vſura ſed aditu etiam: huc Vates dum hoc agit reſpexerat. Vox ipſa* MARAH *ſimpliciter inamareſcere & amarum reddere ſignificat: namque qui alterius purè & ſimpliciter pronuntiatum referendo inuertit & mutat, exacerbare & principis os & linguam amarore afficere, in ſacro ſermone dicitur; Hiſpanorum vulgata tranſlatione,* diſguſtar; Han te dado diſguſto en lo que les mandaſte. *Porrò huius diuini iudicij exitum ex conſequentibus prænuntiat, atque ita orationis ſuæ pondus ad impetrandum addit; nempe fore vt qui verè fideles piiq́ ſunt, huiuſmodi ſpectato exemplo publicè plaudentes, magis ipſi in diuinæ prouidentiæ cognitione, ac tutelæ fide, ſpe, & exſpectatione, firmentur; indéque maiorem inire ſtudeant gratiam.*

12. Et lætentur omnes qui ſperant in te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis. Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum:

13. Quoniam tu benedices iuſto. Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.

Et lætentur] *Futuri temporis verbum, certitudinem ac perpetuitatem hîc adnotat. Lætitiam verò plauſu, laude, atque adeò cantu celebrandam indicat;* In æternum exultabunt. *Cauſſam autem lætitiæ declarat atque confirmat;* Quoniam tu benedices *(etiam perpetuò)* iuſto] *Benedicere & benedictio felicitatis omnis copiam ſignificat in ſacra lingua. Diſcrimen ergo iuſti & improbi hoc pacto cognitum iri docemur; quòd improbus, quamquam aliquando ſtare videatur, tamen impulſus ruit ac de medio prorſus tollitur: iuſtus verò, vt felix planta bono ſita loco & cælo fauente fota, in dies beatiùs habet & agit. Denique gratulatorij plauſus & carminis argumentum pius omnibus celebrandum in peroratione ſubiungit:* Domine *(miſericors ac benigne)* ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos] THAGHATERENV *coronabis, coronare, vallare, ac munire ſoles nos.* RITSON, *bonam voluntatem Dei, hoc eſt gratiam, ſignificat.*

Benedicere.

IN

IN PSALMVM VI.

ÆGROTANTIBVS PIIS SALVTEM.

HVmana, quæcunque putantur, mala vel dura vel aſpera, prouidentiæ diuinæ fide leniùs & æquiore feruntur animo: cui enim nihil non iuſtis ex cauſſis in vita accidere perſuaſum fuerit, eidem ratio conſolationem, patientia fortitudinem, ſpes deprecationem ſuadent; quarum beneficio multum in aduerſis ferendis iuuamur, ac in veræ pietatis proficimus negotio. Hinc ſancta & legitima proficiſcuntur vota, quorum illa probatiſſima eſt norma: *Pater mi, ſi poßibile eſt, tranſeat à me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* Hoc pacto vel certiſſimum remedium, vel diuinæ voluntatis præſtantiſſimum ſolamen expectandum, & quidquid eueniat, id maximè expediens credendum. Huius rei documento ac exemplo in Dauidis perſona ad noſtram vtilitatem declarato vtimini & fruimini, ac valete. ex Carauancelo pago, XVIII. Kal. Sextil. CIↃ.IↃ.XCII.

Prouidentiæ fides ad conſolationem.

Votorum in duris norma.

Matth.26.

ARGVMENTVM.

IN firmitudinum humano corpori ex diuino iudicio ferendarum vnum genus, morbi ſunt; qui plerumque ex carnis vel innato vitio vel intemperantia naſcuntur, interdum verò diuino inferuntur conſilio; idq; altera ex duabus caußis, vel vtraque ſimul; aut ad inſolentiæ caſtigationem, aut ad fidei, fortitudinis, ac pietatis eruditionem, vel etiam tentationem. Quocunque pacto res cadat, à prouidentiæ rationibus minimè aliena eſt: ad cuius benignitatis præſidium humanus animus, ſi ſapit, appellare debet, & ſolet. Id quemadmodum procurari expediat, Vates hic ſuo commonſtrat exemplo; qui graui correptus morbo, Deo benigno & ſalutari ſtudioſè ac piè & miſerabiliter ſupplicat, vouet, ac demum litat.

Morborũ cauſſæ.

PSALMI INSCRIPTIO.

1. In finem in carminibus, Pſalmus Dauid, pro octaua.

Carminũ & inſtrumentorum muſicorum genera.

EX antiquis carminibus quædam humana tantùm voce canebantur, alia præter vocem, muſicorum inſtrumentorum comitem exigebant ſonum. Inſtrumentorum variæ fuêre formæ, vel chordarum numerus & ordinibus diſtinctæ, vel aliàs diuerſæ ſuisq; diſcretæ nominibus. Nec verò omnia carminum genera omnibus inſtrumentis promiſcuè conueniũt: quædam ad tibiam, quædam ad lyram, quædam ad cytharam, pro argumenti, pro dictionis, pro modi ratione & vſu comparanda: ſiquidem acria acriter, molliùs alia cantanda, ſingulaq; ſuis aptanda inſtrumentorum formis ac modis. Carmen hoc à gemente, dolente, interdum ſuſpiria, ſæpe clamorem ciente pectore & animo profectum eſt; ſublimi voce & acri inſtrumento dignum inſcriptio ipſa docet. Inter acria verò inſtrumenta octochordon ac decachordon cenſentur. Hoc ſemel hîc adnotatum, in ſimilibus deinceps titulis vſurpandum. Non enim repetemus.

2. Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Domine, ne in furore tuo arguas me] *Morbum, in quem inciderat, grauiſſimum ab offenſo numine caſtigationis cauſſa ſibi immiſſum interpretatur Vates: clementiæ ac benignitatis nomine* IEHVEH *appellato, ſupplicibus deprecatur modis. Indicat primùm verbera & flagella diuina ſæpe leuiùs, interdum vehementiùs quati: hæc quidem iratâ, illa verò clementi manu: vtq; prudens & cordatus ſupplex, nec ſe culpa carere nec detrectare correptionem ait; verùm mitiùs & breuiùs infligi orat. Inter* APH *&* HHAMAH, *diſcrimen eſt, quòd* HHAMAH *internum animæ ardorem,* APH *vultus irati impetum ſignificet: qui poſterior quidem eſt, quandiu durat, plerumque grauis, & niſi breuis foret, grauiſſimus; quare à latinis furor breuis definitur; ille verò prior, eſt conſtantior ac, donec deferueſcat, difficilior, magisq; horrendus. Alter parentum in filios, alter dominorum in ſeruos, tertius affectus planè Principis eſt, modò Principis qui ſedato ſemper caſtigat animo; aut ſi commoto, tamen ad clementiam & miſericordiam inclinante, & corrigere curante, non perdere: quippe cuius propoſitum ad ſalutem & vitam atque ad gratiam tendat, ad contraria verò non ſponte auocetur. Ideoq; à ſalutaris nominis appellatione ſupplicatio hæc inchoata eſt.* Arguas] *Reprehenſione corripias, animaduerſione & re: namque vtrumque grauiſſimum à numine irato & infenſo. Demùm illud ſignificat, non tam ſibi horrendam cenſeri ac ſentiri correptionem quamlibet duram, quàm Dei ipſius offenſionem & iram. ô verè pij hominis vocem & profeſſionem! ô ſanctum & ingenuum timorem!*

Furor. Ira.

Principes in caſtigatione quales.

3. Miſe-

3. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum] *Ad caſtigationem inflictæ mulctæ modus in deditione figendus cenſetur. Deditio eſt cùm improbata affectio in contrariam mutatur, ex qua medius reuocatur habitus, cui virtutis conuenit nomen: nam frigori calor; calori frigus; repletioni exinanitio; exinanitioni repletio medicina eſt: inde ad temperamentum reditus. In omni verò actione illud prouidendum, ne quid nimis. Si tantum quis contumacem ſeruum maceret, vt ad animi deliquium vſque exinaniat; ſi tantum debilitet, vt ad paralyſin aut integram reſolutionem adigat; medicum deinde agat oportet, & nimia illa inſtaurare diligenter curet, niſi prorſus perdere velit. Quod ſi voluiſſet, breuiùs conficere potuit. Cùm itaque Vates Dei iram & furorem deprecatus, clementiam & benignitatem appellarit, pro nominum ratione horum iam ſatis ſuperq́ pœnarum à ſe datum ait; vtpote adeò macilento & conſumpto, vt nihil ferè ſucci in toto ſit reliquum corpore, nihil in oßibus virium ac roboris, ita vt nullum membrorum ſuo fungi poßit officio.* Infirmus ſum] *Præcipuarum corporis partium facultatem nimium debilitatam verbum* VMLAL *ſignificat, vt cordis, ventriculi, iecinoris, ſplenis, atque adeò cerebri.* Conturbata ſunt oſſa mea] *Membrorum vſum & motum ademptum prorſus, vel nimis imbecillum, nec animo ſeruientem deſcribit: cuiuſmodi habitu Deum ad miſericordiam conuerſum ſperat, & orat;* Miſerere mei. *eundem etiam medicas manus ita habenti & laboranti admoturum appellat;* ſana me. *ad vtramque actionem ſalutare illud inuocat nomen* IEHVEH.

Caſtigationis modus.

4. Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine vſquequo?

Et anima mea turbata eſt valde] *Duplex in humano animo vis; altera cognitioni vacat propriè animus dictus: altera vitæ opportunas res appetit, incommodas reſpuit,* NEPHES *appellata, latinè anima. Huius motus, bonæ vel aduerſæ valetudinis conditionem in tantum comitantur, vt certiſsimè hanc vel illam indicent & ſæpe prodant. Medicorum documentum eſt; Mente conſtare & ad omnia rectè ſe habere, bonum. Hinc diſcipuli de Lazaro ægrotante;* Domine, ſi dormit, ſaluus erit. *Vbi verò vltra partum & membrorum corporis debilitationem, hæc etiam portio vel ceſſat, vel turbatur, vel aliter laborat; vt ſi vigiliæ, ſomni, famis, ſitis, inediæ, motus, quietis & ſimilium affectionum excedat modum, afflictiſsimam arguit valetudinem. Atque ita nihil ſibi iam ad vitam ſpei reliquum eſſe ait ſupplex hic Vates, niſi vnius diuini beneficij tutelam; quam ipſe præ deſiderio, atque adeò præ indigentia, nimis morari clamat.* Turbata eſt]

Animi vis duplex.
Animus.
Anima.
Animæ munia valetudinem indicant.
Hippocr.
Iohan. II.

NIBHELAH; *id quod explicuimus, ſignificat verbum hebraicum, terreri, trepidare, feſtinare, non conſtare, quæ omnia latino etiam* turbata eſt, *includuntur.* Sed tu Domine *ſalutifer* vſquequo? *cui proprium & antiquum eſt, opportunè adeſſe laborantibus, atque extremo in diſcrimine præcipuè tuam admirabilem probare opem: vt hic idem Vates alibi teſtatur; Deus* adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. *namque huiuſmodi manifeſta diuinæ prouidentiæ eſſe ſolent exempla.*

Dei opportunum ſubſidium. *Pſal. 9.*

5\. Conuertere Domine, & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

Conuertere Domine, & eripe animam meam] *Ex affectu & cupiditate exorandi Deum, vel conniuentem vel alias res agentem pingit, quem tamen ſcit nuſquam nunquámue abeſſe. Poſcit itaque & orat illum conuerti ad ſe, cui auerſum ob offenſam arbitratur. Vt hoc exoret, quatuor agit rationibus & cauſsis; potiſsima omnium miſericordia, cuius perpetua Deo gloria eſt; huic, vt principi cauſſæ notam adſcribit,* propter*: ſecunda, indigentis partis commemoratione,* animam meam: *qua nihil in mortali vita carius, imò ipſa vita eſt: nec ſolùm nihil carius, verùm etiam nihil ad diuinum cultum aptius, commodius ac melius quàm vita; quæ dum durat, dicari poteſt Deo, ac debet, totaq́ in Dei fidem, obſequium & laudes impendi. Has duas cauſſas hoc & ſubiuncto allegat verſibus.*

Vitæ vſus.

Eripe] HHALETSAH: *propriè cingere armareq́ hîc ſignificat, per tranſlationem verò excipere & eripere. Vt ad prohibendam diſſolutionem virium & roboris corporis, lumbi accinguntur; & ad excipiendas in bello impugnantium plagas, membra armantur (vtrumque autem hoc ſignificatur verbo) ita animam, hoc eſt, vitam ſuam pænè diſsipatam, atque vt iam indicauerat, turbatam, denique languentem valde, colligi, fulciri ac roborari poſcit, ac demum ſe ſoſpitem ſaluumq́ reddi.* Propter miſericordiam tuam] *non propter meum meritum, id enim non allego, ſed propter eam quæ prima mihi cauſſa eſt ſemper, miſericordiam tuam.*

6\. Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Quoniam non eſt in morte qui memor] *Secunda cauſſa quanquam ipſius orantis eſſe videatur, & animæ æſtimationem tangat; tamen Dei etiam rationem, eamq́ non leuem, reſpicit, diuini cultus exercitationem; quæ cognitione & memoria & laudibus diuinæ naturæ, atque gratulatione beneficiorum, quæ ab illa in humanum genus proficiſcuntur, præcipuè expeditur. S. S. E.* Sacrificium laudis honorificabit me. *Quale ſacrificium nullus hominum non debet, nullus vel diues vel pauper exſoluere non poteſt quoad viuat, mortuus verò & ſepultus qui poſsit?* In inferno] *in ſepulcro. vt illud;* Deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

Dei cultus. Dei laus. *Pſalm. 49* Infernum. *Gen. 42.*

Idem

Idem apud Iſaiam Ezechiæ exemplum; Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: viuens viuens ipſe confitebitur tibi. *Iſai. 38.*
Iam nunc tertiam cauſſam aſsigna.

7. Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum; lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

Laboraui in gemitu] *Cùm certiſsima fide cognouerit Deum laboribus & afflictionibus atque pœnis hominum non delectari; ſed his interdum illorum correctionem, malæ mentis mutationem, præteritorum errorum deteſtationem, ac morum emendationem extorquere, aſperioribus quidem, tamen ſalubribus remediis; declarat Vates, ſeſe adeò iam victum, deditum, ac pœnitudine correptum, vt quod aliter ipſe expiare non poſsit, tamen quo modo procurare debuerit, procuret: primùm dolore animæ ex errorum conſcientia ac deteſtatione nato, deinde doloris huius indicibus lacrymis, gemitu, ſuſpiriis, iisq́ aſsiduis ac frequentibus, vt lectum, in quo iacuerit, non vdum tantùm, ſed humidum, ſed madidum reddiderit. Atque ad aſsiduitatis ſignificationem, futurum vſurpat verbum* lauabo, rigabo. *hoc etiam habitu & conuerſionem ſuam, quam pœnitentiam dicimus, profitetur, & diuinam ſollicitat miſericordiam.* Pœnarum humanarũ quis Deo vſus.

8. Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Turbatus eſt à furore oculus meus] *Quartam eámque grauem porrò ſubiungit cauſſam, hoc eſt, inimicorum, inuidorum atque æmulorum de labore ac morbo ſuo lætitiam, bonis viris indignam, Deo maximè inuiſam, præſertim vbi inimicitia & inuidia iniuſtè ac malignè ſuſcepta eſt; qualem aduerſum ſe ſuſceptam aliàs & ſæpe obteſtatur. Adeò moleſtum, ſibi hoc declarat & clamat, vt præ moleſtia hoc etiam ad morbum acceſſerit, viſus obnubilatio & hebetudo, oculorum tumor, ac tremor, & penè commotio.* Turbatus] GHASESAH: *certum quoddam turbationis genus ad corruptionem tendens hoc ſignificat verbum, & illud alterum* GHATHEKAH, *tumeſcere, commoueri, & ad ſenium plus nimio properare; & refertur etiam ad oculos.* Inimicos meos] TSORERAI, *oppreſſores importunos.*

9. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem] *Laboranti & afflicto ex morbis aut alia ærumna viro grauiſsima accidit inuidentum irriſio & inſultatio aut contumelia quæuis, præſertim vbi iniuriæ iſtæ pietatis nomen vſurpant & prætexunt. Huiuſmodi autem non rarum exemplum eſt hominum, calamitatem iis quos oderint inflictam, ad ipſorum* In aduerſis inimicorũ irriſio.

qui patiuntur culpam, & diuinam iram animaduerſionemq́ referentium.
Pſal. 68. *Hinc illud,* Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt: & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt. *Huiuſmodi impias mentes, vt valde deteſtatus, contrariis exemplis refringere Deus ſolet; quippe cuius iuſtitiæ clementia ſemper ſeſe præbet ſociam, in eos videlicet, qui quamuis ob peccatum caſtigantur, quod faſſi agnoſcunt ac deprecantur, tamen à malignitate alieni & ab iſtis peſtiferis inuidiæ contagiis puri ſunt. Quare hos venia & miſericordia, iſtos pudore, ignominia, & non rarò etiam pœnis, proſequitur. Eſt autem in ſupplicantum deprecatione ingens ad impetrandum vis, vbi iſta inimicorum malitia & peruerſitas vltra alias notatur cauſſas. id quod ſuo in exemplo declaratum Vates iam gratulari incipit, vt qui iam leuiùs & meliùs haberet, qui ſeſe breui reſtitutum & confirmatum, aduerſarios verò & æmulos pudefactum iri intelligeret. Non veſtra aduerſum me improba vota, ſed* vocem fletus mei, *Dominus ille,* qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, *audiuit. Vocantur autem*
1. Pet. 5. Operarij iniquitatis. *operarÿ iniquitatis, qui quãquam in ſpeciem recta agere videantur, non tamen rectè aut piè agunt: iſti enim quanquam ex mente quidem, non tamen ex vero & humano atque probando agunt animo: pietatem iactant non pÿ, iuſtitiam iniuſti & iniuſtè appellant, impÿ ipſi alios non probè accuſant, multis nominibus vani ſunt. Ideò Vates communiter excludit* omnes operantes iniquitatem, *ſuas verò actiones ex vero animi ſenſu profectas affirmat; quem ſapientiſſimus iudex Deus pernoſcit. Quanquam enim humano ſenſu voces & externa tantùm capiantur ſigna; &, quæ huius generis apparent, fallere homines poſſint, Deum tamen nunquam fallunt; qui non ſolùm vocem fletus audit, ſed orationem ac deprecationem; quam ad verum examinat, nec tam ex verbis, quàm ex re æſtimat; idemq́; interius etiam penetrans, animi motus & ſenſum tenet, cui pro veritate clementer conſulit. Hoc eſt quod Vates aſſerendo ſignificat:*

10. Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam] THEHHINAH, *miſerabilem deprecationem gratiæ & clementiæ animo conceptam; cuius interpres deinde oratio eſt. Ideò ſubiungit* orationem meam, *lingua interprete prolatam; quæ cum re, cum vero animi motu, cum lugubri voce concordat: non quales vanæ operantium iniquitatem à Deo deprehenduntur ac reprehenduntur orationes. Ex hoc Dei in ſe beneficio futurum expectat, imò & vouet, vt qui propter malignum ſtudium cauſſæ ſuæ ſimplicitatem & veritatem non cognoſcebant, ſed perperam interpretati inſectabantur, ac Deo etiam inuiſam profabantur & infamabant, repentino ſuæ reſtitutionis & confirmationis ſpectaculo attoniti vel inuiti reſipiſcant; & præ pudore vel ſententiam demum mutent, vel non ita vt hactenus palam im-*

lam improbè agant. Atque ita deprecationis huius exitum & ſibi vtilem, & aduerſariis ad pœnitentiam quoque opportunum prædicit & gratulatur:

11. Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubeſcant valde velociter.

IN PSALMVM VII.

IVSTO LIPSIO S.

BOnis viris de patria, de rep. atque etiam de toto terrarum orbe bene merentibus (qualem te eſſe nouimus) hominem tum ſuorum, tum exterorum non modò fauorem non reſpondere, ſed inuidiam quoque obſtare; vt ſemper dolendum fuerit, nunquam tamen, dum homines erunt, vel nouum vel mirandum: cùm frequentiſſima huiuſmodi peruerſorum iudiciorum exempla per omne æuum ſpectata ſint, hodieque per communis vitæ theatra vbique ſpectentur. Neque verò te doctum, prudentem, cumprimiſque pium, iſtiuſmodi detrahentium ignauo latratu aut maligno obloquio, à tuis partibus rectè & purè peragendis vnquam dimotum turbatúmue iri vereor; quem pietatis & pub. vtilitatis ſtudio perſonam iſtam induiſſe, ac Deo primùm, deinde probis & candidis hominibus (qui rari ſunt) probare cupiiſſe, nouimus. Macte ergo virtute pergito, & vnici ſpectatoris, QVI IN ALTIS HABITAT, iudicio & prouidentiæ rerum tuarum committe exitum; eumque tuo & candidorum omnium voto dignum, vel Dauide ſæpius experto & in his carminibus admonente, exſpectato. Valé. ex Caruancelo pago ſecundùm Madritum, Iohannis Baptiſtæ feſto die, CIↃ. IↃ. XCII.

ARGVMENTVM.

SAulis pater Cys nomine Beniamini de tribu, præ ſtudio erga filium & domeſticæ gloriæ ambitu, Dauidis cauſſæ ac rerum acerrimum inſectatorem & malignum præbebat interpretem, ſiniſtriſque aduerſus innocentem virum diſſeminandis rumoribus, popularium ſuorum ac totius Iſraëlis inuidiam excitare & alere curabat.

Eam calumniam, contumeliam, & iniuriam Vates hoc Pſalmo apud iudicem & oppreſſorum vindicem Deum conqueſtus accuſat. in qua oratione non modò de re ac ſalute ſua, ſed, quod grauiſſimum eſt, de prouidentiæ ac iuſtitiæ diuinæ fide & veritate, atque ex conſequenti, de vniuerſa pietatis ratione agi oſtendit; quam demum victricem ex iudicio euaſuram vaticinatur, cum manifeſta diuinæ prouidentiæ gloria, & proborum hominum vtilitate: ac denique huius euentus gratulationem vouet.

INSCRIPTIO.

1. Pſalmus Dauid, quem cantauit Domino pro verbis Chuſi filij Iemini.

Habac. 3. EX verbo SIGAION DAVIDIS, quam cecinit Domino ſuper verba CVS Beniaminitæ. *Nomen* SIGAION *vel ſingulari, vt hic, vel multitudinis numero, vt apud Habacuk, pronuntiatum, carminibus illis præſcriptum obſeruamus, quorum argumentum mixtum eſt, cauſſaſq; continet humanarum rerum, quarum exitus prouidentiæ diuinæ vel celandam vel manifeſtandam rationem & notitiam ſpectant. De qua prouidentia quia plerumque vulgus hominum, præſentium temporum tantùm exempla æſtimantes, combibunt; pij verò nonnunquam trepidant, piiſſimi autem tanquam certiſſima gaudent, ac per enthuſiaſmon iam tum lætantur; conſultum viſum hoc nomen, quod ex vi verbi* SAGAH, *vnde deducitur, ignorare, errare, trepidare & gaudio perfundi atque occupari ſignificat. Carmen ipſum conſtat numeris ad querimoniam concinnatis: oratio etiam querelæ partes tractat; in quibus multa rerum ac verborum varietas, certo tamen ordine connexa, in vnum tendit finem: quem poſtremum ſtatuit. ideoq; Elegiacis carminibus genus hoc valde affine: quamobrem nomen* SIGAION *non ineptè querimoniam interpretamur. Carminis auctor appellato Dauid nomine indicatur: cauſſa au-*
Verba. *tem condendi declaratur propter actiones, res, & ſermones (nam ſic verba, id eſt* DIBRE *explicamus)* CVS *Beniaminitæ, pro Cys. Namque magnos homines & primores ac potentiores ad laudem apertè nominare, ad notam verò vel diſſimulante vel affine, vel rem non perſonam indicante nomine vocare, & artis & prudentiæ antiquis fuit. ſic aliàs,* LABAN *pro* NABAL *idem hic nominauit Vates.*

2. Domine Deus meus in te ſperaui: ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

Domine Deus meus in te ſperaui: ſaluum me fac] *Viro pio, innocenti, bonæq; mentis, aliàs inopi, à malignis, iiſdemq; quàm plurimis, potentibus, opulentis, callidis, & magno conſenſu officientibus vndique circumuento & exagitato, vnicum petendum conſtat Miſericordis ac Iudicis integer-*

integerrimi Dei tutelare præſidium: quod hic agit Vates, qui ab his diuinis partibus exordium ſumit, vtpote oppreſſus, & ſpatio carens ad aliud ineundum orationis principium, quàm illud breuiſſimum, quo vehementer vexati vtuntur, ſerua me. *Poſtulationis verò honeſtas tribus argumentis indicatur, partium eius qui poſtulatur,* Domine, *miſericors benigne & ſalutifer, vti iam de nomine* IEHVEH *oſtenſum eſt,* Deus meus ELOHAI *gubernator, iudex, tutórque meus: deinde propoſiti conſilij ſtudiiq́ſui,* in te ſperaui; *in primæua lingua* BECHAHHAZZITHI, in te me recepi. *tranſlatum verbum ab his, qui procellam fugientes tuto ſeſe credunt loco, aliàs haud dubium perituris: poſtremò ab iniuriæ indignitate, quòd vnus & ſolus à plurimis inſectetur, à quibus vno animo verùm non vno modo periculum creandum metuit; quod nec ſuis, conſilio, ingenio, vel viribus cauere, ſed vnica tantùm Dei tutela euadere poſſit. Ideo vſus verbo* libera me, VEHAZZILENI, & euadere me fac, *me præſta incolumem. coniunctio* & *hoc loco rationis vim obtinet, quamobrem* libera me. SERVA ME. ET coniunctio.

3. Nequando rapiat vt leo animam meam, dum non eſt qui redimat neque qui ſaluum faciat.

Nequando rapiat vt leo animam meam] *Aduerſariorum temerarium furorem, cum potentia & robore iunctum, leonis inducta ſimilitudine ſignificat; cuius impetus nullâ retardatur morâ, cuiusq́ crudelitas præſentiſſima habetur; quippe eodē temporis momento rapit, frāgit, ac lacerat, vt niſi, cùm irruit, præueniatur, nullâ poſt inſultum de correptæ pecoris vita ſpes reliqua fuerit, nedum ſi nemo irruenti opponatur. Nam leo non vti lupus abductam prædam fugiens trahit, aut ore aſportat, ſed rapit, ac trucidat ſimul, & citiſſimè diſcerpit. ita Vates nulla mora ſe ab iſtis, ſi ſemel capiatur, perditum iri ait, quorum improbitate iniuſtè damnatum intelligit criminum, quæ nec animo quidem vnquam conceperit.* Leo. Lupus.

4. Domine Deus meus ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis;

Domine Deus meus ſi feci iſtud] *Duo obiiciebantur Dauidi crimina; alterum quòd homines perditos aduerſus regem ſibi ſocios aſciuiſſet; alterum quòd vltrò deſciuiſſet: conſilij hoc, facti illud, vtrumque cauſſam dicens depellit: negat enim ſe ſocios coegiſſe, negat etiam defeciſſe à Rege; quippe quem ſibi potiùs metuentem, & certiſſimum periculum fugientem, alij non vocati, ſed ſibi etiam cauentes, ſecuti fuerint; propinqui videlicet, & qui aliàs propter alienum æs ſolum verterant.* 1. Reg. 22. Si eſt iniquitas. GHAVEL *derelictionem ac defectionem à fide principibus debita ſignificat: itaque prætexti ab aduerſariis criminis non factum modò, ſed conſilium etiam inficiatur: ſeq́ adeò ab iſto ſcelere puras manus habere contendit; vt*

dit; vt nec id, quod naturæ iure animantibus datum eſt, vt ſe ſuaq́; cùm tentantum etiam pernicie tueantur, quamquam non ſemel per occaſionem ſibi licuiſſe, vſurpatum tamen nunquam fuiſſe ait, idq́; Deo iudici ac teſti exponit.

5. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.

Si reddidi retribuentibus mihi mala] *Notum eſt, bis Dauidi oblatam occaſionem ad inimicum ſuum perdendum ſine vllo ſuo periculo, repudiatam tamen fortiſſimo & piiſſimo exemplo.* Decidam meritò ab inimicis meis] *Si iuſtè ac citra calumniam docere poſſint, me inaniter, id eſt, nulla ex cauſſa, decidiſſe ab iis, à quibus nunc premor & vexor. Hanc interpretationem clarè indicat priuaua oratio.* & decidi *vel* receſſi ab angentibus me fruſtrà. *Aduerbium* fruſtrà *vtrique verbo reſpondet elegante Synecdoche;* ſi receſſi fruſtrà ab angentibus me fruſtrà. *Nulla enim poëticæ dictionis pars eſt, quam in ſacris carminibus opportunè vſurpatam non admiremur. Iam verò defenſionem ſuam, quamquam Deo cognitam, iuramento tamen confirmat, vt hoc etiam pacto hominibus probet. Iuramentum autem quod hominibus Deo teſte fit, quamuis grauiſſimum & ſanctiſſimum, ſuperatur ab eo quod Deo tantùm datur tribus nominibus, teſti, fideiuſſori, ac iudici: has enim partes omnes Deum apud homines de impiis & vanis probaturum credimus; præcipuè iis ipſis exemplis, quæ in ſe ipſos edenda iurator concipit, qualia hic ſubiungit Vates.*

6. Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.

Iuriſiurandi formæ.

Perſequatur inimicus animam] *Duplex iuriſiurandi forma; altera numine in teſtem, altera in vanitatis vltorem appellando fit. illa per Deum, hæc per caput dicitur: religionem vtraque, poſterior horrorem etiam incutit. Hanc vſurpat Vates. Nam culpæ crimen quamquam diffamatum erat, nulla tamen auctoritate apud homines conſtabat. Quod ſi verum fuerit, non ſolùm Deo iudici ac teſti, ſed hominibus vt ſuo ipſius periculo manifeſtum fiat, non recuſat orator hic: ita verò manifeſtum fieri vult, vt nullo pacto quiſquam aliter interpretari aut in aliam partem flectere poſſit, quàm in ſuam culpam, eamq́; certiſſimam. Nam quòd à Saule illa tempeſtate ſuperaretur Dauid, potentiæ fortaſſis tribueretur; nimirum à Rege & opulento, priuatus, inops, & fugatus. Verùm enimuerò, ſi is qui iam fuga ſalutem ſibi conſuluerat, exulare tamen nolens, cùm poſſet, abſentem & periculo ſubtractum præſenti ſe tantum præberet, non leue hoc fiduciæ argumentum erat. Quòd ſi ad hæc ipſe, innocentiæ ſuæ probandæ cauſſa diras preces certa ſerie conceptas, eodem demum ordine experiri cogeret; manife-*

manifeſtum diuinæ, & aduerſum vanitatem & impietatem vindicis prouidentiæ, atque ex conſequenti aliarum partium probabile ſpectandum daretur exemplum. Quamobrem omnia illa vnico iuramento damnat, quæ ſibi cariſſima & ſumma eſſe deberent, id eſt, rem, quietem, vitam, & cum corpore famam. Perſequatur inimicus animam meam, *ita vt perpetuò me vexet, donec demum capiat &* comprehendat, *comprehenſum & captum crudelibus & ignominioſis excruciet modis*, & conculcet in terra vitam meam; *tandem perpetuæ infamiæ condemnet*, & gloriam meam in puluerem deducat; *ita meos cineres in ventum diſſipet, vt nullibi terrarum quidquam de me ſuperſit, quod honeſti nominis vel titulum ſeruare poſſit. Hæc ſi ita omnia euenerint; illos iuſtos, me improbiſſimum declarabunt. Tantum cauſſæ ſuæ innocens & bonus vir fidit, vt omnia iſta ſibi mendacij redarguto imprecari non ambigat, vtpote qui redargui non metuat. Cùm verò iam falſum de ſe crimen ſatis iuſtè ac rectè ſibi apud Deum depulſum intelligat, pro innocentiæ ac veritatis defenſione & vindicatione cauſſam ſtudioſiſſimè & efficaciſſimè agit: in qua præcipuum caput, ad iudicis ipſius Dei maieſtatem & auctoritatem aſſerendam pertinere docet.*

7. Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Exurge Domine in ira tua] *Magnum & amplum hic datur argumentum ad diſputandum, quibuſnam affectibus & quando carere, quando præſtare oporteat iudicem: ſed pro ſuſcepta breuitate, ita diſtinguimus, iudicem in cognoſcenda & iudicanda cauſſa ab omni gratia & odio alienum eſſe, in propulſanda ſe præſente iniuria infirmiori & oppreſſæ parti tutorem agere oportere; ipſumq́ affectibus opportunis indui, alios importunis ac temerarijs eo pacto exuturum, illo modo ſeuerum iudicem, hoc verò virum bonum & ſapientem agere. Has autem partes nunc priores implorat Vates, vtpote opportuniſſimas, cùm ipſe aduerſariorum impotente vexetur furore, & vindice, auxiliatore, aſſertoreq́ indigeat: velitq́ libenter, & cupiat iudicio ſiſti quidem, idq́ optet & poſtulet; verumtamen vt integer incolumisq́ ſiſtatur, & præſente iudice inimicos non ſentiat infeſtos, ſed ſuæ tantum dicendæ cauſſæ vacet. Namque aliàs niſi iudex tempeſtiuè obſtet, qui infirmior opibus erit, ab inimicis antè perdetur, quàm iudicio vel damnetur, vel miſſus abeat. Itaque auctoritatis & maieſtatis læſæ crimen habet, quiſquis præſente iudice aduerſarium vexat; iudex verò qui id in præſentiarum conniuet, vel permittit, ianuam ad ſui ac iudiciorum contemptum aperit. Appellat autem hoc loco Vates nomen non* ELOHIM, *quod antea ad iudicium appellauerat; ſed* IEHVEH, *quod benignitatem & miſericordiam & oppreſſorum ſalutem ſpectat, reſpondetq́ inhumanis illi, quem virum bonum dicebamus. Pingit verò Deum ſedentem* Iudex qualiter affectus eſſe debeat.

 vt iu-

vt iudicem, & tamen ſpectantem ſe malè ab aduerſariis habitum & vexatum; quare appellat & clamat, Exurge, *de ſolio iſto iudiciorum; &* in ira tua: *vt qui indignè feras mihi te præſente iniuriam inferri.* & exaltare in finibus inimicorum meorum] Fines, *hoc loco exceſſum ſignificat furorum, & impetus; Gallicè* les ſouercheries. *ex verbo*, & extollere in furoribus oppreſſorum meorum: *ſuperiorem te præbe illorum impetuoſis furiis, quibus opprimor.*

8. Et exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandaſti: & ſynagoga populorum circundabit te. Et propter hanc in altum regredere.

De prouidentia Dei vetus controuerſia.

Exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandaſti] *Quò inſigniores ij ſunt, quibus aduerſa lis incidit, eò magis publicum iudicium, & commune pluribus euadit iudicij exemplum. Sæpe diuq; & multum inter homines controuerſum fuit, an humanarum rerum cura ſuperos contingat. Qui affirmarunt, naturæ conſtantem in aliis rebus omnibus ordinem allegabant; qui verò dubitauere vel inficias ierunt, humana exempla, vt plerumque videbantur, in præſentiarum turbata opponebant; lætos diu florere nocentes, vexariq; pios. Plurimum verò huius rei cognitam veritatem, ad pietatis veræ notitiam, rationem & cultum, & ad hominum conſeruandam ſalutem, valere, omnes affirmauere. Id autem nunc Dauid apud Deum cumprimis agit; in ſe cauſſaq; ſua tempus nunc exiſtere aiens, quo Deus id de diuinis probet rebus, quod in humanis præcipuè ac valde commendat. Namque iudiciorum cura & cuſtodia atque Sanctitas diuina lege ſtatuitur, edicitur, & imperatur: quàm vtiliter decretum fuerit, ipſa hominum ſocietas, aliàs nulla prorſus futura, declarat. reliquum eſſe, vt idem de diuino ſentiatur in homines iudicio; ſine cuius fide & notitia, nec vita quidem conſtare humana poſſit, in belluinam aut deteriorem feritatem alioquin mutanda. Hanc itaque poſtulationem verſus hic continet:* Exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandaſti: *ex verbo ſic*, & excita erga me iudicium, quod mandaſti: *In mea cauſſa, quæ ſatis publica eſt, nimirum grauiſſima lis inter me hominem iam Iſraëlitis & vicinis etiam gentibus notum, & inter Saulem regem potentem & opulentum; me tamen priuatum & egenum qui opibus contendere nequeam, iudicium tamen appellem. & quidem Domine tua quoque ac totius terrarum orbis res hîc agitur. Nam quamuis plurimis mundi rebus prouidere vt creator & rector exiſtimere & credare, ac ſingulis partibus præſens eſſe videare; tamen, an aliquando iudicis ac regis ſolium conſcendas, in hoc multi diſputant. Age igitur, & iudicium, quod hominibus tantopere commendaſti, in meo tu exerce exemplo. quod cùm quàm plurimis notum ſit, quali euentu tandem excipiendum erit, ab omnibus expectatur. quibus omnibus, & aliis longè pluribus aſpectatoribus, tuum frequentabitur tribunal ac ſolium,*

lium, vbi intelligetur, meam rem à te iudicari ac decîdi. hoc eſt quod indicat, & ſynagoga populorum circumdabit te. *Maxima, inquit, populorum ac frequentiſsima corona tuum ambiet ſolium. Quamobrem tu ab iſta communi & perpetua gubernatione rerum mundi, quam omnes fere vident, agnoſcunt & admirantur; ad humanarum cauſſarum iudicium faciendum tuam repetito nunc altam ſedem:* & propter hanc *populorum plebiumq́ frequentiam* in altum, *ſolium iudicij*, regredere. *Mirè Vates legitimi & optimi regis deſcribit munus, cuius mens nullo tempore à prouidendi & conſulendi cura & officio vacat: cauſſas verò non niſi maximas & grauiſsimas, ac planè regia auctoritate, ſapientia & opera dignas; quarum rege minor quiſpiam iudex appellari haud poſsit, vel propter perſonarum litigantium potentiam, vel propter argumenti magnitudinem, aut etiam difficultatum nodos vindice maximo ac prudentiſsimo dignos. Nam leuiores cauſſæ infra ſe poſitis mandãtur magiſtratibus (quod iam ſignificatum eſt,* in præcepto *ſiue* iudicio quod mandaſti) *grauiores vero, quibus de reipub. ſumma agitur, vel de magnatum aut magiſtratus rebus aut iniuriis vel accipiendis vel inferendis, iſtæ ſummum ſpectant arbitrum & vindicem; regem inquam ipſum omnibus imperantem & opportunè hæc agentem, diſcernentem, & expedientem: quòd ſi rari id ſit exempli, non tamen optimo principi vnquam neglecti. Hæc ex ſimilitudine affirmat Vates, huiuſmodi grauia & publica iudicia à Deo imperatore optimo ac rege iuſtiſsimo ſemper, cùm res tempúſque poſtulat, ſuſcipi & exerceri.* Regis munus.

9. Dominus iudicat populos. Iudica me Domine ſecundùm iuſtitiam meam, & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.

Dominus iudicat populos] *Quorum cauſæ plerumque graues, & propter partium ſtudia & opiniones atque confuſam fabulam mortalium iudicio obſcuræ & impeditæ eſſe ſolent; ſuum ius improbioribus ex oratione ac verbis magis quàm ex vero ſenſu aſtruentibus ac depugnare promptis, melioribus verò nihil niſi verum, idq́ bona potiùs conſcientia quàm magnifica oratione defendentibus; quam rationem Vates in hoc de ſe deq́ aduerſarijs iudicio ſibi obtinendam profeſſus, à Deo teneri ac declarari poſtulat. Quos latinus interpres hic,* populos, *interpretatur, ſacra lingua vocat,* LEVMIM, *nomine propriè ſignificante eos qui ſub maximo & ſummo principe agunt. Namque monarchiæ duæ tantùm partes præcipuè caput & corpus; illud regem, hoc populum cunctum dicimus. Significat autem hoc hemiſtichio Vates, Deum totius orbis terræ vnicum eſſe regem ac principem ſummum; homines verò omnes cuiuſcumque ordinis eſſe contingat, illius tãti regis eſſe ſubditos, quos vulgò vaſſallos dicimus. Iam verò ſeſe huic exemplari appellato iudicio committens, defenſionem ſuam non ex ſua re quàm ex nota innocentia atque ex conſcientiæ fiducia petit.*

Actionum humanarum examen.

Iudica me Domine] *Duo tantùm ad humanarum actionum vel culpam vel laudem examinanda veniunt, factum, & animi impulſus; illud vt plerumque notum, minus ad documentum & iudicium negotij exigit, hoc maiorem induſtriam ac diligentiam requirit. In facto vel iuſtitia vel iniuria, in animo impietas & malitia, vel probitas & innocentia ſtatuitur. vtrunque in ſe & à ſe Deo permittit cognoſcendum & iudicandum Vates. Humana & cotidiana iudicia factum tantùm vel damnant vel abſoluunt, mentem verò etiam apertam & conſtãtem nec præmio donant optimam, nec pœna etiam peſſimam proſequuntur. Et tamen tantùm ſibi ac diuino iudicio hac in re Vates fidit, vt non ſolùm factum, ſed cogitatum etiam ſuum diuino iudicio exponat & publicè manifeſtandum poſtulet, ea lege, vt ſiquid non modò malè fecerit, verùm improbè etiam cogitarit, publico exemplo non recuſet puniri.* ſecundùm iuſtitiam meam, *in factis* & ſecundùm innocentiam meam, THVMI, ſanitatem & ſimplicitatem integritatemque meam *in mente & animo. Poſtulat verò ac precatur & optat illum ex hoc iudicio euentum, vt improbitati iam deinceps nocendi finis imponatur, & iuſtitiæ ac probitati ſua conſtet ac firmetur ratio. Id fiet, ſi non tantùm de factis, ſed de mentibus iudicium edatur; id quod non à mortali quoquam homine, ſed à Deo fiat, cui mores animiq; hominum explorati ac noti.*

10. Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges iuſtum,
ſcrutans corda & renes Deus. Iuſtum 11. adiutorium meum
à Domino, qui ſaluos facit rectos corde.

Architectura.

Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges iuſtum] *Futurum verbum hoc loco optantis ac poſcentis affectum exprimit; quod apertè vox* NA *indicat in exemplari lingua: oratio autem ex architecturæ verbis & rationibus tranſlata eſt: cuius artis duæ ſunt curæ; prior quidem, prauè poſita ac ruinam ac malum damnumq; minantia ædificia funditus diruere; poſterior verò, vtile, commodum, ac decens reponere, ſtatuere & firmare ad vſum opus. Improborum acta & facta ad priorem, piorum verò ac proborum ſtudia & opera ad poſteriorem partem referuntur.* Conſumetur: *Conſumatur ac deleatur prorſus, verbum* GAMAR *hiſpanicè* Rematar; rematese ya de vna vez. nequitia peccatorum RAGH RESAGHIM, *malum improborum. quidquid in alterius incommodum fit,* RAGH *dicitur.* & diriges. THECHONEN; *hoc verbo architecti omnem ponendæ & ſtatuendæ columnæ rationem ſignificant; vnde vocula*

Sic.

KEN *deducta tantundem atque illa omnia,* ita, aptè, pulchrè, benè, rectè, *ſimul coniuncta ex æquo põderat. Hanc rerum humanarum emendationem à ſolo Deo perfici declarat & optat Vates, eandem adhuc tranſlationem perſecutus. Et quidem in ædificiis vitia omnia & vitiorum cauſſæ niſi à peritiſſimo architecto cognoſci & corrigi non poſſunt, cùm pleræque in occultis*

cultis lateant fundamentis, quæ aſſecutus bonus artifex tollenda funditus curat. Neque verò aliter humana negotia habent, quorum virtus aut vitia ab animi ac mentis penetralibus originem ducunt: ſed in hæc humanis oculis abſtruſa & cæca loca quiſnam inſpicere poßit? nempe vnus vnicusq́ ſapientißimus artifex, ſcrutans corda & renes Deus iuſtus. *Ita verſus hic contexitur & abſoluitur*, corda, *cogitatuum*; renes, *affectionum appetituumq́ domicilia ſunt; ſoli Deo communiter & apud ſingulos nota. Hac fide & perſuaſione, ait Vates, firmißimam ſibi defenſionem eſſe in fiducia ſua tutelæ diuinæ, ſimplicibus ac probis certißimæ.* Iuſtum adiutorium meum à Domino] MAGENI, ſcutum meum; *interpres extra tranſlationem* adiutorium *vertit. Iam ex ſingulari in ſe exemplo, duos ex diuinis (ita loqui fas fuerit) moribus, hominibus cognoſcendos obſeruandosq́ addocet; alterum erga proborum res & rerum exitus; alterum verò erga improbitatis euentus. Cumprimis illud hominibus omnibus creditum & perſuaſum curat Vates, Deum nulli ſimplici ac probo viro, quamlibet afflicto & oppreſſo, ſeſe inuocanti in tempore defuturum; imò hoc ipſo pacto & modo ſuam erga pios prouidentiam declarare ac probare ſolitum, vtpote,* Qui ſaluos facit rectos corde] *Nomen* ELOHIM, *de quo iam ſæpe diximus, hoc in loco & in ſuperiori verſu repetitur.* qui ſaluos facit, MOSIAGH, ſaluificans, ſeruans; *& muneri & officio verba in præſenti tempore prolata tribuuntur, qui ſolet ſeruare & opportunè ſeruat. Itaque de diuina erga ſe cura ac tutela ſecuros eſſe par fuerit ſimplices & probos omnes, atque hac mente ſimplicitatem & virtutem perpetuò obtinere oportet; quæ prior huius doctrinæ pars eſt, cui & illud conſonat:* Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum. *Pſalm. 36.* *Namque hoc rectè conſtitutæ gubernationis & iuſtitiæ eſt: quam ob rem nomini* ELOHIM *datum. Alter verò Dei etiam gubernatoris &* ELOHIM *mos eſt, iudicio aduerſus improbos eatenus clementiam adiungere, quatenus ad expectandam pœnitentiæ correctionem ſufficiat. quod quidem citra vllum piorum & proborum vel detrimentum, vel incommodum, vel aliud malū præiudiciū fieri poteſt. Quid enim pio & in diuinæ tutelæ præſidio latenti viro officit, illa cunctatio animaduerſionis in improbos? quam ex duobus alterum conſequi neceſſe eſt, vel iſtorum emendatio ex pœnitentia (quod gubernatori & populis ſuis regnoq́ conſulenti Deo potiùs quidem, & piis ipſis optandum) vel ſupplicium denique eo grauius, quo ob mali contumaciam iuſtius. Neque enim tarditas denuntiatæ atque intentatæ caſtigationis, meritam plagam leuiorem, ſed multo etiam grauiorem reddit, quàm eam, quæ repente & crebrò infligitur. hæc enim minori conatu, illa maiori ſpiritu ac robore ferit.*

Cor. Renes.

Probi omnes in Dei tutela.

Expectatio diuini iudicij.

12\. Deus iudex iuſtus, fortis, & patiens, nunquid iraſcitur per ſingulos dies?

Interpres noſter ingenioſè ac doctè locum hunc tractauit, qui in vno vocabulo

cabulo duobus elementis conſtante, ſine vocalibus, vt myſtica alia; lecto, plura vidit, eaq́; pluribus verbis reddere ſtuduit: duabus conſonantibus literis אל, *vocalis A ſubdita facit* AL; *latinæq́; negationi non, vel haud, vel nec, atque eidem generi omni reſpondet: E verò vocalis longa ſuppoſita ſonare facit* EL; *ſignificatq́; fortem, inuictum & potentem. Vtrumque autem hoc loco ſignificari obſeruantibus, huiuſmodi redditur explanata ſententia: Deus gubernator iudex quidem iuſtus eſt, qui vnicuique ſuum ius integrum ſeruat, idem etiam potens & fortis indignationis compos (hoc enim ſignificat* ZAGHAM) *& indignationem ita fortiter tenet, vt cùm proferre velit, etiam quotidie poſſit; verùm ea fortitudine fit, vt quamquam teneat, contineat tamen nec effundat quotidie, ſed patienter agat,*
2. Pet. 1. *nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. quod ſi hominum culpa non ita ſemper fiat, illud alterum in procliui eſt.*

13. Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit: arcum ſuum tetendit & parauit illum.

Dei ad puniendos malos cunctationem nec negligentem, nec otioſam tamen eſſe affirmat Vates; ſed quod pacem bello potiorem ducentibus & optantibus agere conueniens opportunumq́; eſt, interim, dum pax offertur, ad repulſam vlciſcendam & iniuriam animaduertendam tela, arma, & cætera bello idonea parare; ita autem contumacibus, improbis, tam iis qui viciniores, quàm iis qui remotiores eſſe putentur, ad pœnas dandas, his gladium, illis arcum apparari: hoc eſt, varias animaduerſiones & caſtigationes, partim in ipſo loco inſtruendas, vt famem, peſtem, verbi Dei penuriam, aliasq́; ærumnas; partim verò ex remotiore loco afferendas, vt bellum, cædes, abductiones, ſeruitutes, eaq́; mala certiſſima: quæ omnia duorum armorum nominibus ſignificantur, gladium ſuum vibrauit, IALTVS *vtrinque acuit, exacuit & vibrauit,* arcum ſuum tetendit, & parauit illum.

14. Et in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.

Vaſa mortis] *Veneno tincta ſpicula, quæ certò feriant, & ictis vitæ*
Vas. *adimant ſpem. Vas in ſacro ſermone omne inſtrumenti dicitur genus, pro argumenti ratione & vſu diſtinguendum.* ſagittas *verò ita comparatas à Deo eſſe ait, ita leues atque certas, vt etiam eminus feruentes vagos, & vel impetu vel fuga inconſtantes, quos* ardentes *vocat, attingant & feriant. Ex hac communi & catholica doctrina, quam aduerſariis etiam ſuis vſui eſſe optarit, Vates noſter redit ad inimicorum etiam ſingularem cauſſam deſcribendam, cuius euentum auctorum ſuorum merito ac diuino iudicio dignum futurum proloquitur.*

15. LCCC

15. Ecce parturiit iniuſtitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

Inutilis labor falsò ſuſceptus ac fruſtrà inſumptus dicitur AVEN; *id in actionibus humanis prima opinio aut ſententia praua eſt, quam vbi quis arripuit (quod hîc* parturijt *ſignificat) fouet & promouet atque in aliis conſiliis auget, hoc eſt* concepit dolorem; GAMAL *hoc loco inuidum & impatiens vlciſcendi ſtudium interpretamur, laborioſum vtique conceptum, quem ſimilia monſtra edere conſequens eſt, id eſt, falſas calumnias, criminationes, rumores, opiniones, fabulasq́ improbas; quæ omnia nomine* iniquitatis *includimus*; SEKER mendacium, calumniam. *Hæc verò omnia diuino damnata iudicio, in auctorem ſuum recaſura prædicuntur.*

16. Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit.

Rumores & calumniam ſtructam, periculorum apparatus conſequi ſolet: quæ vel bello, vel oppreßione, vel potentiæ vi alia ſtruuntur; hæc lacus *ſiue putei nomine ſignificantur. Huiuſmodi quiſquis molitus fuerit, ſibi exitio futura tandem expectabit.* Fouea.

17. Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.

Inuidum illum vlciſcendi conatum ſignificat hîc dolor GHAMAZ. iniquitas eius] HHAMAZZ *iniuriam omnem vi vel dolo illatam interpretamur, quam auctori ſuo fraudi fore diuina iuſtitia decreuit, ex illa iuris formula deductum*; Sanguis ipſius erit ſuper caput eius. *Perorat* *Ioſue 2.*
autem Vates, gratulationis voto ex exemplo ſalutis ſuæ ad publicam doctrinam concepto:

18. Confitebor Domino ſecundùm iuſtitiam eius: & pſallam nomini Domini altiſſimi.

Domini altiſſimi] *ſummi & ſuperni omniumq́ magnorum potentiſſimi Principis.*

IN

IN PSALMVM VIII.

ABRAHAMO ORTELIO ANTVERPIANO S.

TE maris ac terrarum ſpatia ſæpius dimenſum, perque partes omnes, etiam remotiſſimas, contemplatum, & cum cæleſtis etiam orbis diſcurſu & influxu atque efficientia aſſiduis meditationibus componentem, complura & permagna in hunc Pſalmum atque in eiuſdem argumenti ceteros commentando volumina complere poſſe arbitror: quibus inſtructi mortales, & de diuina in ſe prouidentia ſapientiùs cogitare, & ſibi prudentiùs & vtiliùs conſulere poſſent. Namque hoc pacto quænam rerum humano genere minores, quæ maiores ſint, diſcernendo, mutato vulgari, ſordido, ac vetere ſtudio, inferiora & caduca deſpicerent; ad ſuperna verò & æterna Dei beneficia hominum cauſſa creata & propoſita mentem animumq; conuerterent: & cum Abrahamo, cuius tu nomen obtines, & perſonam etiam refers, relicto profanæ patriæ & cognationis, hoc eſt, ſuimet, amore & vſu, ex diuini promiſſi fide à ſe ipſis peregrinati, illam tantùm felicitatem conſilio & voto ſpectarent, atque omni ſtudio, obſequio, & conatu peterent, de qua ſcriptum eſt: *Noli timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Ille tibi ac mihi, quod tu ambobus optas & poſcis, præſtet. E Caruancelo pago III. Non. Iulij. CIↃ. IↃ. XCII.

Abrahami peregrinatio.

Gen. 15.

ARGVMENTVM.

Qui ex ingenij proprij ſuperbia, & gloriæ cupiditate magis, quàm ex vero, communi, ac manifeſto exemplo ac ſenſu philoſophantur, in duo placita contentioſè diſcedunt. Alteri mundi rerúmque naturam creatam negant, gubernari verò per Deum aiunt; quem tamen neceßitate gubernandi alligant. Et hi quoque certis gradi-

De Deo & prouidentia opiniones.

gradibus, numeris, & ordinibus omnia contexunt eo pacto, vt ſupera, id eſt, cæleſtia, inferis, hoc eſt, terreſtribus, omnino præſtare, & nihil horum cum illis conferri vlla ratione poſſe exiſtiment. Alteri verò vel diuinam negant naturam (qui rariſsimi, & communiter iam pridem exploſi ſunt) vel à gubernaculis mundi ſummouent prorſus; quem fortunæ caſibus, & factum tribuunt, & conſeruandum remittunt. Hi, cùm religionem de medio tollant, humanæ libertatis, imò licentiæ, ſeſe aſſertores iactant; iidemq́ue religionis vindices apud inſaniæ iſtius conſultos audiunt. Vtrarumque partium acutas quidem in ſpeciem argutias, veritatis tamen vi carentes, ideoq́ue facillimè Dei Verbo retundendas, nos aliàs pluribus in ſcriptis ac variis retulimus, atque magno opere ex profeſſo tractamus: quare hîc repetere ſuperuacaneum: cùm ſatis ſuperq́ue ſit, quemadmodum Vates noſter obiectas contemnens & adortus primo impetu offendat, imbecilles & pueris etiam eludendas irridendasq́ue relinquat, indicare. Lege & alterum argumentum, à nobis in Pſalmum hunc latino carmine, conſcriptum.

PSALMI INSCRIPTIO.

1. In finem pro torcularibus, Pſalmus Dauid.

C*Anticum Dauide auctore, ſublimi voce canendum iis modis, quorum Ghethei concinnatores feruntur.* GATH *vrbis in Palæſtina celebris nomen eſt, & ex etymo ſignificat lacum vel torcular, quod à vini copia & laude impoſitum videtur. Illic verò cantionum ſingulares ac patrij modi inuenti & vſitati, ex loco* GITHOTH *ſiue* GITHITH *dicti: vt multa carminum genera à locis nominantur, Lesbium, Lydium, Phrygium: vulgo noſtro, Pauana, Canario, Guineo, Aſturiano.* Gath vrbs. GITHOTH & GITHITH cantionis genus.

2. Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos.

Domine Dominus noſter] *Principio vnum ſtatuit, prædicat, & canit, vnicumq́ue Deum eundem mundi omnis auctorem & gubernatorem decantaturus, & quamquam multi numen eſſe confiteantur, nullos tamen illud quodnam ſit cognoſcere, præter eos, quibus* IEHVEH *notum ſit nomen: quod Iſraëlitis non conſtare & celebre eſſe tantùm, ſed Dominum ac regem haberi & coli, ait. vt illud,* Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius. *Hunc igitur verum vnicúmque eſſe prædicat, qui ipſis* IEHVEH *nominatur & dominatur; nullum præterea in cælo aut in terra reperiri Deum: huius verò nomen propter multiplicem virtutem & efficacitatem atque efficientiam, omnibus rationibus, modis, atque laudum formis ſua ſponte ornatum cognoſci ac celebrari oportere ait, ſiue id in cælo ſiue in terris conſideretur & appelletur.* Quàm admirabile] ADIR, Deus quibus notus. Pſal. 75.

vocabulum hoc, roboris ac virtutis, decoris, amplitudinis, ac durationis & æternitatis præſtantibus & excellentibus rationibus atque exemplis tributum obſeruamus: quæ omnia, vt vno complecteretur verbo, interpres noſter admirabile, *interpretatus eſt: namque admiratio non niſi ſummis rebus ac rationibus debetur. Diximus iam aliàs* SEM, *pro quo Latinè* nomen *reddere ſolemus, virtutem & efficacitatem facultatemq́ ſignificare: id ſemper cùm de diuina agetur natura, obtinēdum & mente repetendum. Itaque* SEM, *ſiue nomen, vim & efficacitatem efficientiamq́ interpretamur. Dei autem efficacitas & virtus ipſe Deus eſt, & ipſe ſuum nomen, ac nomen Dei Deus ipſe eſt. quamobrem & in ſacra lingua idem interdum ſignificat* SEM *quod Deus.* Dixit SEM, Fecit SEM, *vſitatiſſimæ in illo ſermone formulæ,* dixit nomen, fecit nomen, *id eſt, Deus. Quod nomen omnibus illis rationibus admirabile, Dauid ex iis quæ in cælo quæq́ in terra ſpectātur, probat, non ſine aperta alluſione ad fabricandi rationem, quam architecturam vocant. Eius namque artis triplex in quocumque opere faciendo ſcopus eſt, ex amuſſi ad probationem & laudem obſeruandus, vtilitas, decor, & firmitudo. Ad vtilitatem commoditas refertur. Eſt autem vtilitas ea, quæ ad habitaturi vſum facit, vt defenſio ab intemperie horarum, à vi & impetu externo, tutela etiam & præſidium ac refugium, & multa alia. Decor in figurarum menſuris ac modis ſpectatur; qui & ipſe firmitudinem iuuat. Firmitudo in materiæ delectu atque apparatu, ſitu, & nexu. His tribus rationibus probè conſolidandis architecturæ partes abſolutæ cenſentur. Reliquus eſt vſus, vt vnicuique operis generi & formæ ſuus, qui conueniat, tribuatur habitator & cultor: nec enim caſa regem, nec aula paſtorem decet; nec officinam idem cælum, ſolum, ac lumen, quod tabernam commendat. Igitur omnes excellentis artis numeros, omnes ſummæ prouidentiæ modos in cæli ac terrarum orbis fabricatione, vſu, & communicatione per diuinam virtutem, efficientiam & ſapientiam, id eſt, per Dei nomen, præ[illegible]itos admirabundus celebrat & canit Vates. idq́ principio ſummatim propoſitum, per partitionem amplificat & confirmat. Incipit autem & finit carmen admirationis figura, quæ ad ſummas res & comparationem non admittentes facit. Quàm potens, decorum, amplum, firmum & æternum nomen tuum ſit, admiror, & admirandum omnino euincam. Eſt hæc argumentationis propoſitio, Nomen Dei eſſe admirabile in vniuerſa terra, non ſecùs atque in cælis. Namque in cælis habitare Deum omnes ij, quibus certus de natura diuina ſenſus eſt, affirmant, & cælorum pulchritudo ac decor id ipſum confirmant. Nemo enim ſanæ mentis compos eſt, qui cùm ſeorſum cælorum ſitum, motum, ordinem & pulchritudinem contemplatur, non illic Deum vel regere vel ſaltem eſſe fateatur. Verùm terrarum orbis res in præſentiarum ſolummodo ſpectantibus non eadem aut par fouetur ſententia. Atqui Vates noſter id, quod in confeſſo quamplurimis eſt, vſurpat etiam ipſe; verùm nō vſurpandum ſeparatim, ſed coniungendum eſſe ait cum iis, quæ in terra ſpectantur,*

Nomen Dei.

Architecturæ ſcopus.

Deus in cælis.

tur, vt non minùs admirabile diuinum nomen in vniuerſa terra, quàm in cælo appareat. Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos] *Duobus declaratis vocabulis res & ſententia plana fiet.* Quoniam *hoc loco non tam cauſſæ vel rationi, quàm conceßioni inſeruit: reſpondet enim* ASSER *relatiuæ magis quàm rationali voci. In hanc formam de admiratione loquor, quam terrarum ſpectaculum præſtat. Nam in cælo palam nominis tui laus & gloria conſtat.* Magnificentia] THODAH, *laus, confeßio & celebratio. hoc ſignificat nomen, atque ita ſæpißimè ab interprete noſtro vſurpatur.* eleuata eſt] NATHNAH, *data eſt & conceſſa. formula in argumentando vſitatißima, cùm aliquid conſtat vel conceditur, do, datum eſt. Confeßio virtutis tuæ ſuper cælos data conſtat, & vel ab inuitis inimicis concedenda.* Super] GHAL, *ſignificat ſuper, & propter, & de cauſſa, & quod attinet, & plura huiuſmodi latina. tu Lector compone hæc omnia, & pulchrè interpretaberis. Vt autem in cælo tua laus conſtat, ita etiam in terra vel infantes & pueri norunt & loquuntur de te quantum nominis tui laus aduerſarios turbare, imo peruincere valeat.*

Quoniam.

Dare pro concedere.

Super.

3. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem.

Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem] GHOZ *firmitatem & fortitudinem conſtantiamq́ ſignificat, & verbum* perfeciſti *immobiliter ſtabilire: namque* IAZZAD *fundare, fundamenta iacere, &* IEZZOD, *fundamentum & initium ſæpe vertit Latinus interpres. Ait autem Vates diuinæ laudis magnitudinem & firmitatem etiam in* ore infantium & lactentium *conſideratam reperiri; nec eam verò leuiter aut labiorum tenus, ſed vlterius etiam in ſenſu fundatam, vel nutu & balbutienti ſono vocis aſtruentium, Deum mundi dominum & gubernatorem. Et quidem quæcunque ab infantibus communiter & paßim aguntur, ea ex natura eſſe, nemo naturæ compos inficietur: quæ verò ex natura proficiſcuntur, non ficta, aut noua vel compoſita, ſed vera ſunt, & fundamentum firmum in re ac veritate probant. Nullus verò illius primæ ætatis puerulus eſt, quin vel ludēs vel cum æqualibus agens, etiam antequam voces reddere omnes didicerit, ſæpe de numine cæleſti loquatur, vel ſignificet; præcipuè dum cælos intuetur, aut ea, quæ in ſublimi fiunt, ſentit, vt fulgura, tonitrua, niues, & imbres. Atque hoc etiam cum admiratione adnotauimus, in infantium, qui nondum nutricum voces imitari ſciunt, quacunque in gente natorum ore ſua ſponte vocem illam* IAH *ſonare & audiri frequentißimè. Animaduerte Lector, & aſſentiere: namque & tu infans idem pronunciaſti & garriſti.* IAH *verò vnum ex diuinis ac ſignificantißimis nominibus eſt, idemq́ altera pars illarum vocum* IEHVEH, IEHIEH: *ita fit, vt nominis ſui admirabilis initia & fundamenta prima vel ab ipſo infantium & lactētium ore firmiter iacta Deus vendicet.*

Infantes Deū qualiter laudent.

IAH infantium vox.

Propter inimicos tuos] TSORERECHA, *ligatores vel arctatores tuos, qui te in anguſtias redigere, & rationes, vires, viasq́ tuas ſuis ingenijs tantùm metiri contendunt. Cuius farinæ ſunt, qui Deum non liberè, ſed naturaliter, agere aiunt, qui fato ſubijciunt, qui hæc poſſe, illa non poſſe argutantur; qui maiora quidem curare & vniuerſalia, minima vero ſuis caſibus relinquere excipiunt. Denique qui diuinam infinitudinem & ſingularitatem quocunque premunt nomine. Horum omnium magnos conatus temerariosq́ impetus, atque aliorum, quos ſubiunget, auſus & aggreſſiones, vel ex præſidio firmiſſimo in infantum ore fundato irritos & vanos atque nullos Deum reddere canit, atque puerilem illum ſenſum iſtorum ſapientiæ præſtare aſſerit.* vt deſtruas, *diſſipes,* inimicum] *Quiſquis de Deo minus aut aliter ſentit & docet, quàm diuina maieſtate & ſingularitate dignum eſt, apertas cum Deo inimicitias gerit, & extremum ſibi comparat exitium.* & vltorem] *Qui in natura & in humanis rebus fortunam & caſum anteponunt, ſui ipſorum atque humanæ vitæ vltores & aſſertores audiunt. Lege Lucretij ſecundùm initium, carmina illa;*

Humana ante oculos fædè cùm vita iaceret
In terris depreſſa graui ſub relligione.

& quæ ſequuntur. Quòd ſi vel pueri ipſi infantes, ab ingenij humani inſania nominis tui firmiſſimam propugnant & vendicant laudem; quidnam cordatus vnuſquiſque & benè animatus ac ſanæ mentis faciet, vbi ſublimium & inferiorum in mundo rerum partes, vtilitates, decorem, vſuram, amplificationem, & cauſſas fineſq́ contemplatus fuerit?

4. Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.

Digitorum vſus. *Ex omnibus humani corporis membris* digiti *ad artem præcipuè comparati ſunt; cetera enim membra vel viribus & robore valent, vel motui & quieti ſeruiunt, vel aliàs ad laborem aliquem referuntur; ſolæ manus, & in his præſertim* digiti *ad operum concinnationes, exactiones, abſolutionéſque exercentur. quibus ob eam cauſſam coniunctio, diſiunctio, mobilitas, flexilitas, ſumma ac promptiſſima tributa agilitas. In ſacra lingua duo ſunt verba* PAGHAL *&* GHASAH; *illud latius, hoc anguſtius, verùm ſingulare ac certum magis: pro quibus Latini plærumque reddunt*

Operari. Facere. operari *&* facere. *illud naturæ etiam, hoc arti ſoli tribuitur. Caſu fortaſſe aut vltro & ſua ſponte aliquid operatum vel eueniſſe dici poteſt. factum autem iſtis modis nihil dicitur. vnde* MAGHASSE, *quod* opus *&* opera *latinè verti animaduertimus, tantùm ſignificat id, quod conſilio, data opera & adhibita arte, atque adeò digitis exercitis factum fuerit. Hiſpanicè propriè,* hechura. *Tanta igitur ratione, proportione, concinnitate, menſura, & aptitudine ac dexteritate, demum arte, cælorum corpora orbesq́*

béſque conſtare ait Pſaltes, vt opifici & conditori Deo digitos affingat. MAGHASSEH ETSBEGHOTHECHA, hechura de tus dedos. Ita non æternos, id eſt, ingenitos, vt quidam aiunt, non immenſos, non ſponte enatos, non caſu editos, verùm diuino opificio factos affirmat. deinde etiam variis luminibus & luminum efficacitatibus diſtinctos tanto conſilio & ordine, vt exercitum Dei vel cælorum iure appellari licuerit. Meminit autem lunæ & ſtellarum propter vtrorumq; ordinem & motum, concurſus, diſcurſus, & aſpectus, ac reſpectus, magis vulgo notabiles ex menſtruo ac celeri lunæ ambitu: deinde quòd has vna cum cælis ſibi conſpectas ait; quas præſente ſole clarè & purè aſpicere mortalis oculus non poteſt; imò cæli ipſi cùm puri ac ſudi ſunt, niſi noctu non videntur. Quæ tu fundaſti] Cæli motus & ambitus, lunæ & ſiderum loca, ſpatia, regiones, ſitus, & curſus, atque diſtantias, inceſſus ac proceſſus, omnia hæc vno rationem, artem, ordinem, conſtantiamq; ſignificante verbo CHONANTHA complexus eſt: pro quo latinè hoc loco legimus Fundaſti, certa lege inſtruxiſti. Firmata iam priori diſputationis de prouidentia parte, quæ cæleſtia & ſuperna tangit; alteram, quæ ad terreſtria & humana attinet, eleganter expedit. Deum enim cælos habitare & agere gubernaréque docuerat, quos ideo dixerat cælos tuos. Terram verò conceſſam homini à Deo conſtare, & ſuis legibus inſtructam ac temperatam curari, atque ita, quantum eſt ex parte terreſtris exercitus, manere ac perſeuerare oſtendit. Quòd ſiquid ab ordine & lege videatur degenerare, non id ex rerum peruerſitate, sed ex hominis vitio & culpa accidere arguẽdum: qui quas partes in terris ſortitus eſt, non ita tuetur agendo, vt Deus, ad cuius ſimilitudinem conditus fuerat, ſuas in cælis & in terra omni tuetur.

Plin. lib. 1.

Diuina prouidentia in terris.

5. Quid eſt homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?

Quid eſt homo quòd memor es eius] Qui diuinam impugnant erga homines prouidentiam, argumentantur à turbata plerumque hominum conditione & ſorte; quòd improbi floreant, pij ac probi vexentur; hi egeant, illi abundent. Ait Vates hoc hominibus ipſis crimini & culpæ dari oportere, qui nec ſe norunt, nec qua cauſſa in terris viuant putare ſolent; quid ſibi conceſſum rerum & quantum, quid prohibitum, non ſeriò cogitant: atque ita ſe ipſos ſuarumq; rerum rationes, abuſu turbant. Vnde magis etiam admirandum elucet Dei nomen, perſeuerantis in eo conſilio ac propoſito, quod de homine exornando & amplificando præceperat. Nam quidquid ab hominibus publicè & priuatè per ſtultitiam turbetur, tamen ipſe ſuas erga illos leges in terris tueri pergit: atque hoc ipſo ſignificat, maximum aliquod illis ſe parare beneficium, quos prorſus commeritos nõ prorſus perdiderit aut abiecerit; & licet ſeipſos perditum euntes, tamen retineat ac tueatur. Ex quo manifeſtè negligentia diuina erga homines redarguitur;

Cura Dei erga hominem.

 guitur;

guitur; rurſus verò magna & admirabilis cura & prouidentia aſſeritur, quæ ſuum perpetuò ordinem ac tenorem ſeruat & promouet, quamlibet ipſi ſuis inſaniis hoc inuertere & impedire, ſaltem obſcurare videantur. Argumentationem hanc ab admiratione quoque inchoat. Nam quòd aduerſa pars hominem, omnium in terra rerum optimum & præſtantiſſimum genus, curari à Deo negat: Vates contrà ait curari; non quia præſtantiſſimus naturæ ſuæ materia, ſed Dei voluntate & beneficio, fuerit quondam editus. Verùm poſtea ab illa præſtantia ac dignitate ſua ſponte præcipitatus, quod ad corpus attinet, infirmus & imbellis; quod verò animam ſpectat, filius Adami euaſit patri ſimilis, ſuo peccato obnoxius; & tamen nihilominus à Deo curatur & viſitatur, ac pro temporis, conditionis, & loci ratione fouetur & conſeruatur; ſi non in illa, quam ipſe prodidit, dignitate, in veſtigiis tamen & ſpecie atque vſu dignitatis illius, quantum præſens ferre poſſit ſtatus. Quid eſt homo?] ENOS *humanum genus ſignificat ea parte & conditione, qua corpus habet infirmum, imbecillum, & ad ſuum puluerem, vnde originem ducit, properans. Quare valde mirandam ait benignitatem tanti numinis, in cælo ac terra regnantis, & tamen memoris tam infirmi & fragilis generis, hoc eſt, pulueris animati ad mortem feſtinantis, cùm ipſe Deus fortiſſimus immortaliſq́ ſit. Et illud etiam benignitatis amplificat laudem,* & filius hominis] *filius Adami illius, qui ſe, qui ſuum genus prodidit, & inimico tuo ſerpenti ſubiiciendum permiſit, & tamen* viſitas eum; THIPHKADENV, viſitabis eum. *Priori verbo* memores eius, *conſeruatus homo in præſenti*
Viſitare. *ſtatu indicatur; poſteriori verò* viſitas eum, *idem ad meliorem libertatis ac dignitatis conditionem ſeruatus ac deſtinatus ſignificatur. Namque hoc verbo vſus Deus, Iſraëlitis ab Aegyptiaca ſeruitute liberandis, & ad populi & regni nomen & vſum traducendis, ſe iam præſto eſſe declarauit.*
Exod. 3. Viſitans viſitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto; & dixi vt educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi & Hethæi & Amorrhæi & Pherezæi & Heuæi & Iebuſæi, ad terram fluentem lacte & melle. *Huius figuræ ſignificationem ſpectabat Dauid, cùm filium Adami à Deo viſitandum prædixit, atque ſalutem publicam per Chriſtum humano generi præſtandam credens vaticinabatur. quam poſtea gratulatus Zacharias cecinit,* Quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. *Et quidem Dei erga ceteras mundi partes vnum tantum opus extat, creatio videlicet omnium generum; quam ſemel abſolu-*
Gen 2. *tam, gubernatio perpetua ſecuta eſt. S. S. E.* Compleuitque Deus die
Homo mundi cauſa. ſeptimo opus ſuum, quod fecerat. *Quod fecerat, inquit. In opere autem illo homo poſtrema pars erat, cuius cauſſa totus hic mundus editus fuerat. quod maximum beneficium perpetua pietate conſeruandum fuerat, non autem per ingratam inobedientiam amittendum, vt certè primo homine præuaricante amiſſum fuit. Qualem verò & quantum eſſe voluiſſet & feciſſet hominem Deus, declarat Vates.*

6. Minuiſti

6. Minuiſti eum paulominus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum: 7. & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

8. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas: inſuper & pecora campi.

9. Volucres cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.

Minuiſti eum paulominùs ab angelis] *Nomen* ELOHIM *poteſtatis, gubernationis & miniſterij rationem ac ius tribuit iis de quibus dicitur: tribuitur Deo vt auctori gubernatoriq́ue ſummo, angelis etiam vt* Angeli.
ſummi gubernatoris miniſtris, & ſuas gubernando orbi ſortitis partes: tribuitur etiam hominibus iis, quibus gubernationis ac iudicij facultas & poteſtas data fuerit. Ex his tribus ea ratio tantùm hoc loco indicatur, quæ ad angelos attinet, id eſt, ſpiritus illos cæleſtes Dei miniſtros, in miniſte- Heb. 1.
rium miſſos propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis. *Nam Deo ipſi hîc non conuenit nomen* ELOHIM, *cùm, quòd ad creata & facta referatur (de quibus nunc ſermo eſt) tum quòd comparatio* paulominus *finem vtrique generi adnotat comparatorum: cum Deo verò fine carente nulla eſſe poteſt comparatio. quamobrem rectiſſimè interpretatus e latinus* ab angelis: *vt tamen angelorum naturam, non miniſterium ſiue munus, in comparationem vocari intelligamus. A natura itaque angelo-* Homo angelis minor.
rum, qui puri ſunt ſpiritus, homo paulominus *imminutus euaſit, propter corpus ex terra compactum, viuum tamen; à quo Adami nomen habuit. Verùm imminutionem illam ſapientiſſimè exceptam, magnis præterea ornamentis compenſatam, imò & cumulatiſſimè auctam, aſſerit & gratulatur Vates, cùm propter imperium in omnes animantes alias conceſſum homini, tum etiam propter ceterarum rerum, quæ in mundo ſunt, cognitionem & vſum. Cuius veſtigia & pignora multa adhuc, poſtquam ſua culpa fregit opes, & ſolum vertere coactus eſt, retinet, & maiori etiam amplioriq́ue conditioni deſtinatus creditur.* Gloria & honore coronaſti eum] *In exemplari lingua verba hæc omnia futuri formam obtinent, quæ ad perpetuitatem (vt ſæpe aliàs docuimus) vſurpatur. Atque latenter ſignificabat hoc hemiſtichio Vates, hominis naturam ad maximam ali-* Hominis amplificatio ex diuina viſitatione.
quam dignitatem amplificatum iri ex diuino beneficio: nihil enim minus promittunt verba illa, gloria & honore coronaſti eum, *ſiue* coronabis, *vt in exemplari eſt.* Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum] *Hominem à Deo inferioris huius mundi principem conſtitutum, ſacra docet veritas, eundemq́ue hoſtili fraude ac dolo ab [illegible] deiectum; tamen inſtaurando, imò amplificando beneficiis, non reſtitutum, verùm maximè promotum iri ex Dei miſericordia, ſancta prædixere oracula. Id autem effectum iri Vates hoc in carmine [illegible], vt nunquam iure dici*

poſſit;

Pſal.88. *poßit*; Nunquid vanè conſtituiſti filios hominum? *Hoc autem Chriſti virtute & efficientia effectum & præſitum, atque per Chriſtum in ceteris*

Homini omnia animantia paruerunt & parent.

hominibus conſummandum, Spiritus ſanctus per Apoſtolum docet. Et quidem gloriam & honorem primùm à Deo conditi hominis teſtata fuerant animantum genera omnia imperio illius ſubiecta; nec ſolùm animantes ipſæ, verùm etiam loca omnia, terra, aër, atque adeò maria: quorum vſus quantus homini fuerat, ac permanere potuerat, vel ipſa relicta veſtigia docent: quippe cùm omnia antea ad nutum & imperium paruiſſent, poſtea tamen vel ex metu vel ex arte addicta & obnoxia manent; atque adeò corpora & loca ipſa aquarum & ventorum, quæ homini ex diuino beneficio vſurpantur. Quod verò in vniuerſum dictum antè, mox per partes expolitur. Oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi: volucres cæli & piſces maris] *Namque nullum horum generum eſt, quod vel conſuetudine vel arte in poteſtatem vſumq́ hominum non venerit, magno & aperto argumento imperij quondam à Deo homini traditi, & per præuaricationem turbati.* Qui perambulant ſemitas maris] *Hoc etiam ex beneficiis in hominem collatis eſt, vt in maris liquido & fluxo tractu, eoq́ ſpatioſiſſimo, & iter agatur & certa viarum ac ſemitarum ratio conſtet: vbi etſi nullum imprimi vel ſignari poßit veſtigium, adeò tamen certa euadat nauigatio, vt quod aliàs etiam cum gratulatione*

Pſal.106. *indicatum eſt, deducantur homines* in portum voluntatis eorum. *itaque verbum* perambulant *ad homines referendum. Nam quòd dictum erat* piſces maris *hominis pedibus fuiſſe ſuppoſitos (qui tamen cùm marini ſint, terræ ſola non frequentant, vt aues frequentare ſolent) exponitur ratio hæc, & oſtenditur ex facultate & arte conceſſa homini ad maris frequen-*

Pſal. 103 *tationem: quod aliàs idem Vates etiam laudat:* Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus: illic reptilia, quorum non eſt numerus; animalia puſilla cum magnis; illic naues pertranſibunt. *Ex primæua lingua ſic ad verbum:* volucres cæli, & piſces maris, ambulantes ſemitas marium. *Sic enim & piſces ſub pedibus homo videt, & contemnit, & ad vſum ſuum capit. Atque hæc prior deſcriptio & enumeratio rerum ſuis locis ac formis diſtinctarum, manifeſtam reddere valet ſingularem Dei erga humanum genus prouidentiam & voluntatem. In exemplari lingua legimus* marium *pluraliter, quod etiam beneficij magnitudinem & prouidentiæ rationes amplificat; quòd multa maria & ſpatiis latiſſimis extenta, homunculus tamen certis nouerit peragrare viis ac ſemitis. Id quod aliàs*

Pſal.106. *idem adnotauit Vates:* Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis: ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. *Et quidem omnia hæc, quorum ſigna multa & monumenta atque exempla in orbe ſemper conſtitere, ſatis ſuperq́ declarabant nomen & virtutem atque prouidentiam* IEHVEH *domini & principis in vniuerſam terram. Quippe* IEHVEH *nominis rationes vnum ſpectant humanum genus, & ad alias res non niſi hominis cauſſa referuntur.*

Sed

Sed & vlterioribus quoque argumentis idem probare curauit Vates, cùm diceret; filius hominis, quoniam viſitas eum? *Namque illa viſitatione maximè ac præcipuè diuinam erga homines curam, & ſingulariſſimam, vt ita dixerim, imò admirabiliſſimam prouidentiam & beneficentiam oſtenſum ac declaratum iri ſignificauit; magno myſterio & arcano, quod per Chriſtum reuelandum Vates omnes præcinuerant, ac demum reuelatum noui teſtamenti ſancti teſtes non declararunt modò, ſed etiam indicarunt.* Non enim angelis ſubiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. Teſtatus eſt autem in quodam loco quis, dicens: Quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulominus ab angelis: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. In eo enim quòd omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia ſubiecta ei. Eum autem, qui modico quàm angeli minoratus eſt, videmus IESVM propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum; vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare. [*perfectos facere*] Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes. Propter quam cauſſam non confunditur eos fratres vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te. *Qui legit intelligat, magnum myſterium amplificationis humanæ ab hoc Vate ſignificatum illis verbis:* filius hominis, quoniam viſitas eum? *Idem quoque ab Apoſtolo indicatum, atque vtinam hominibus omnibus ſatis intellectum, quorum cauſſa hæc omnia facta, dicta & ſcripta. Quoniam verò gemina Dei erga hominem opera extant, alterum generationis,* in die, qua creauit Deus hominem; *alterum verò regenerationis, in die, qua opus ſuum peregit ille quid dixit;* Pater meus vſque modò operatur, & ego operor: *ideo vnum carmen bis à Vate repetitum eſt; quod principio quidem propoſitionis, in calce verò collectionis vim obtinet:* Heb. 2. Gen. 5. Iohan. 5.

Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum, *non in vno aut altero vel pluribus hominibus, ſed* in vniuerſa terra *habitabili. Namque hoc ſignificat nomen* ERETS *hoc in Pſalmo repetitum.* Admirabile, ADIR *magnificum, robuſtum; efficax, valens & potens maxima efficere, & factis ipſis omnem aduerſam redarguere diſputationem. Nullum enim excogitari poteſt argumentum, quod rerum à te editarum magnitudine & pondere non euertatur.*

IN PSALMVM IX.

FRANCISCO CANO ALGARBIORVM EPISCOPO S.

LEgitimos Dei miniſtros, eoſdemq́ue pietatis veræ cum innocentia cultores, inuidia non tentari, vexari, atque agitari, rari admodum; ſuperari verò, euerti, ac peſſundari, nullius prorſus exempli fuerit; modò officij nunquam deſerendi conſtantia fultos, & ſui vlciſcendi negligentes, vel potiùs oblitos. Imò hoc ipſum certiſſimum examen nobis indicatum ſolidæ virtutis, maledicentiam, calumniam, atque iniurias omnes patientia vincere, & beneficentia reponere doctæ ac ſolitæ; tandem per has artes de aduerſariorum vi, potentia, opibus, ac dolis, omniq́ue nocendi ſtudio & conatu triumphantis, ac ſeſe Deo caram curatamq́ue probantis. Huius exercitationis partem in te, tuam boni prẹſulis perſonam ſuſtinente, ſpectatam quoque fuiſſe non miramur; hoc præſertim æuo, Chriſtianæ caritatis penuria non leuiter laborante. Ex quo tamen, diuinæ erga mites, innocentes, pios ac muneris proprij propoſitiq́ue tenaces, tutelæ ac ſingularis prouidentiæ & argumenta declaranda, & monumenta in poſterum ſtatuenda, felici & manifeſto euentu ſperamus. Tu tantùm obdura & perſta, Dauidiſq́ue viuam imaginem tua iſta pietatis conſtantia repræſentato.

ARGVMENTVM.

DAuidis conſilio iudicioq́; Dei ornatam & aſsiduis ſucceſsibus illuſtratam cauſſam, non æmuli ſolùm calumniis, fraudibus, & iniuriis impugnabant, verùm indoctum ac ſtolidum vulgus, potentiæ partes, vt ſemper, ſecutum, temerario & iniuſto proſequebatur odio, inuidioſiſq́; maledictis proſcindebat. Inter quos Laban, pecuniæ & rei familiaris copia diues, verùm ingenij ac mentis inops, in innocentem, ac potiùs de ſe ſuiſq́; benẹmerentem virum, ſeſe iniquiſsimum detracto-

Labani in Dauidem odium & temeritas.

tractorem & inimicum præbuerat. Cuius ob eam noxam & furiam præmatura morte ex Dei iudicio extincti exemplum, huic Pſalmo argumentum præbuit: in quo Dei iuſtiſsimum iudicium à Vate canitur, innocentiam aduerſus calumnias & ſtultas hominum ſententias ac detractiones aſſerentis, & piorum partes manifeſtæ prouidentiæ tutela non defendere modò, verùm promouere etiam & amplificare ſoliti, cum pernicie eorum, qui conſiliis ſuis vel ob inuidentiam vel ob ſtultitiam reſiſtere conati fuerint.

PSALMI INSCRIPTIO.

1. In finem pro occultis filij, Pſalmus Dauid.

LAMNATSEAHH GHAL MVTH LABEN. Pſalmus Dauid.

I*Nſcriptio hæc vbi ſine vocalibus legitur, duplicem admittit interpretationem pro vocalium diuerſitate.* In finem, *ſiue,* ad præſtantem, occulta LABEN, *ipſi* filio, *vel* BEN. *quem cantorem quidam exiſtimant fuiſſe: cuius in Paralipomen. mentio fit. huius mortem* occulta *ſiue* occultationes *vocari. Verùm quod ex linguæ ratione cum poëticis figuris planè conſonat, antiquo more* NEBAL *nomen per tranſmutationem variatur: quod auctoribus grauiſsimis in reprehenſione & culpa vſurpatum obſeruamus. vt ſuperiùs pro* CIS, CVS *vocatum quendam notauimus. Quid verò ſignificet* In finem *ſiue* ad præſtantem, *iam declaratum eſt; Carmen Dauidis præſtantibus aptandum modis de morte Nebal. Eſt autem Pſalmi gratulatione ac ſupplicatione mixtum genus.*

2. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

CONFITEBOR tibi Domine] *Laudibus dicendis damnatum obligatumq; ſeſe profitetur Vates, vtpote ex calumniarum & inuidiæ periculis Dei ſalutaris iudicio liberatus & aſſertus: id quod cùm apertè intellexerit, non lingua tantùm declarandum, ſed toto animo ſentiendum eſſe ſibi ait, ita vt & vox menti & mens voci atque orationi concinat. Hæc totius carminis propoſitio ſumma eſt. Cuius orationis forma qualis futura plerumque ſit, indicatur, non tam verborum & elocutionum ornamentis ac figuris ſublimis, quàm ſimplici rerum narratione vera & grauis; vt admiratio ex virtute & auctoritate diuina magis, quàm ex ingenij orantis ope, proficiſcatur. Atque ita declarat ſe non alios vſurpaturum verborum modos, niſi indicatiuum, quo rerum exempla exponi ſolent, & hortatiuum, quo attentio & obſeruatio atque gratulatio indicitur. ita vt beneficiorum ipſa ſolùm expoſitio debitam conſequenter laudem exigere probetur, hoc eſt, quod dicit,* Narrabo omnia mirabilia tua. *quæ cùm nar-*

rata fuerint, non ex ſublimitate ſermonis, ſed ex admiratione beneficiorum tuorum commendanda apparebunt. Erit verò carminis genus lætum & gratulatorium; non quod virtuti meæ, vel alicui humano præſidio, auxilio, aut aliàs beneficio, quicquam, ſed quod vni tibi cuncta, quæ mihi contigerint, & bona & commoda accepta referat; & cùm magna appareant, vt certè apparebunt, à te profecta intelligantur; à quo quidquid contingit, magnum eſt; vtpote ab altiſsimo, & omnem humanam æſtimationem infinitis interuallis ſuperante.

3. Lætabor & exultabo in te: pſallam nomini tuo Altiſſime.

Lætabor] *Sermonis genere propoſito, quod ex rebus ipſis oriturum declarauit, quid ipſe ex ſe ſit allaturus indicat; animi videlicet affectum, qualem laudum gratulationisq́ue ratio poſtulat; lætiſsimum, & corporis geſtum & habitum lætitiæ teſtem; deinde vocem huius adfectus indicem, non qualemcumque, ſed pſallentem, iucundam, & ouantem.* Lætitia *in animo præcipuè eſt,* exultatio *in corporis habitu, motu & geſtu, ſpectatur. Cantandi verò plures formæ ſunt: nam & qui lamentantur, & qui dolent, & qui minantur, & qui quemquam vocant, & qui exhortantur, & qui vouent, quiq́ue deuouent, canere ſolent. Hîc autem* ZAMAR *lætum cantandi ſonitum ſibi inſtituendum ait: pro quo Latinus vertit* pſallere. Lætabor *animo,* & exultabo *actione omni externa,* pſallam *iucundiſsimo ſono: idq́ue omne, virtutis efficacitatisq́ue, id eſt,* nominis tui altiſſimi, *cauſſa: cui cùm ſumma omnis præſtantia tribuatur, quæ ex me proficiſci poſſunt, ſumma omnia debentur. Huius verò à ſe inſtitutæ gratulationis occaſionem, ex inimicorum & inuidentium ſibi caſu, non tam à ſe quæſitam quàm vltrò oblatam, non prætermiſſam oportere ait; grato præſertim ac pio animo, diuinamq́ue agnoſcenti prouidentiam & iuſtitiam.*

Cantandi plures formæ.

4. In conuertendo inimicum meum retrorſum: infirmabuntur & peribunt à facie tua.

Nomen inimicum meum, *in exemplari ſcriptura ſine vocalibus, tam plurali quàm ſingulari legi poteſt numero. ita vt vnius inimici conuerſio, omnium etiam prænunciet conuerſionem. Cùm, inquit, me non inſtante, verùm te examinante ac perterrefaciente, inimicum quempiam ex meis terga vertiſſe & ceſsiſſe cognouerim; fidem ſpemq́ue concipio, fore vt non mea virtute, ſed vi, auctoritate, & efficientia tua, omnes demum infirmati, fracti, ac labefactati pereant.* Infirmabuntur] IICHASELV, offendentur, *vt iÿ, qui terga dantes ac præcipites fugiunt, ac præ nimia formidine vel ſaxis vel minoribus etiam præpedimentis offenſi labuntur. Atqui vnius ita præcipitis ac labentis manifeſteq́ue corruentis exemplum, certiſsimum indicium argumentumq́ue ſibi eſſe ait iudiciÿ diuini de improbis conſti-*

conſtituti ac decreti; & iam exerceri cœpti, atque ex effectu cauſſam ſibi conſtare affirmat.

5. Quoniam feciſti iudicium meum & cauſſam meam, ſediſti ſuper thronum qui iudicas iuſtitiam.

Iudicij in eiuſdem criminis ſocios & complices iam facti, ac ſententiæ datæ argumentum eſſe ſolet, vnius cuiuſpiam ex illis productio. Non enim ſemper eodem die omnes producuntur; ſed extremæ vel mediæ ſortis quiſpiam primùm, deinde alij, poſtremò autem ipſum improbitatis caput ſupplicio afficitur: interim verò hi omnes cauſſam ſuam damnatam vel ex vno illo primo exemplo intelligunt. Hanc rationem & iudicij exercendi formam ſibi iam ex Nabalis exitu conſtare, & rectè rem expendentibus facilè cognoſci poſſe ait Vates: quam rem affirmando, canit: Sediſti ſuper thronum *tu,* qui, *quandocumque ſederis, perpetuò* iudicas iuſtitiam. *Et quòd hoc Deo iudici proprium ſit, id eſt, iuſtitiam decernere, iudicare & exercere aduerſus improbos omnes, non modò ex præſenti ſingulari cognoſcendum, ſed ex præteritis antea per diuerſa tempora ac loca exemplis cognitum conſtare aſſeuerat; atque ita omnibus deinceps futuris credendum expectandumq́ue ſæculis porrò ait. Hoc autem pacto theſin, quam rhetores vocant, ad hypotheſin refert.*

6. Increpaſti Gentes, & periit impius: nomen eorum deleſti in æternum & in ſæculum ſæculi.

Temporum omnium ætates in tres diſtribuit partes, præſentis, præteritorum, ac futurorum. Præſens breue ac ferè ſingulare eſt: præteritum diuidi poteſt, item & futurum. Namque aliud ante aliud præteritum, aliud etiam poſt aliud futurum dicitur: quare hìc tempora præterita, in antiquiſſima & antiqua diuiduntur. Antiquiſſima dicentur, diluuij primùm ætas, ac deinde Abrahami & Iſaaci; antiqua verò, illud ſalutis ex Aegypto ac libertatis celeberrimum ſæculum. omnia quæ ſi voluantur tempora faſtusq́ue mundi, comperietur profectò veriſſimum, id quod Vates in commune narrat, Increpaſti Gentes] GAGARTA, *turbare & peſſundare ſignificat. Atque hæc narratio diluuij ætatem & Sodomorum poſtea cladem reſpicit.* Periit impius] *Pharaonem & Aegyptios notat: quorum omnium* nomen periit in æternum & in ſæculum ſæculi. *Poſt hos verò extinctos, celebres illi extiterunt diuini nominis hoſtes, Amalech, Sehon Amorrhæorum & Og Baſan rex, & Chananæorum tam multi reges, qui aduerſus Dei populum arma infeſta digno ſua impietate exitu ſumpſere. Hoc eſt quòd ſubiungit:* Temporum ætates.

 7. Inimi-

7. Inimici defecerunt frameæ in finem: & ciuitates eorum deſtruxiſti. Periit memoria eorum cum ſonitu.

HHARABOTH *gladios, vaſtationes, ac deſolationes Latinè ſignificat. ita* inimicorum frameas, *hoc eſt, non arma tantùm, gladios & enſes, verùm loca omnia cum habitatoribus ſuis diuino iudicio vaſtata, perpetuaq́; deſolatiòne damnata narrat.* In finem] *æternum.* & ciuitates eorum] *Nam quamquam ab Iſraëlitis complures ex illis vrbibus habitatas legimus, tamen earum primis cultoribus, hoc eſt, inimicis, dirutas & vaſtatas euaſiſſe intelligimus; vtpote quibus nunquam amplius habitari aut reſtitui contigerit: atque inſuper præſertim in ipſa expugnatione, templa, fana, aras, lucos, & omnem aliam ſuperborum ædificiorum molem, quæ vel ſuperſtitionis vel potentiæ atque monumenti nominisq́; ergo magnifica conſtiterant, iubente Deo imminuta fuiſſe accepimus.* Periit memoria eorum cum ſonitu] *In exemplari legimus* ZECHERAM HEMAH. *Vocabulum* HEMAH *& ad tumultum, turbam & ſonitum ſignificandum vſurpari poteſt, & idem etiam ſignificat quod Latinis* ipſi. *Simul inimici iſti corruerunt, atque vna ruina eoſdem cum ſuis monumentis inuoluit & occultauit, ita vt præter inane nomen nihil fuerit reliquum.* Memoria duplex. *Memoria enim duobus modis ad futura ſæcula producitur: vel nomine tantùm; quæ inanis omnino eſt, qualis gigantum mentio inter homines fieri ſolet, magis adeò ad opprobrium ac deteſtationem quàm ad laudem: talis etiam Cananæorum & omnium inimicorum Deï memoria ſupereſt: vel poſteritatis ac ſanguinis propaganda ſucceſſione cum aliqua gloriæ parte; quæ commendatior & firmior memoriæ habetur, vtpote viuentibus ac ſentientibus, paternumq́; genus conſeruantibus ac iactantibus iucunda. Huiuſmodi nulla Cananæis memoria relicta dicitur.* Periit memoria eorum, HEMAH: *ipſi funditus ac prorſus è terris & in terris ſuis obliterati ac deleti perierunt. non ait nomen periiſſe, vtpote quod ad ignominiæ exempla relictum ſit, ſed* ZECHARAM; *quod nomen & maſculum, & firmum, & mentionem ſiue memoriam ſignificat. ex his verò nihil ſuperfuit. Nec verò huiuſmodi iudicium diuinum in eos, quos indicauimus, tantummodo exercitum intelligimus, verùm in Dei ac veræ pietatis inimicos omnes; quorum iſti manifeſto fuerunt exemplo. At hoc verſu idem repetitur argumentum à parte ad totum, quod ſuperiùs in propria ac ſingulari cauſſa vſurpatum fuit, verſu quarto. Quod verò & quemadmodum de præteritis factum conſtat, idem conſimili iudicio in poſterum expectandum prædicitur, ex conſtante atque immutabili veritate, auctoritate, ac virtute Dei.*

8. Et Dominus in æternum permanet. Parauit in iudicio thronum ſuum.

Et Dominus in æternum permanet] *iiſdem virtutibus ac nominus*

Dei tribunal. Iudicij munus duplex.

nibus potens & præſtans, ac ſuum ipſius antiquum obtinens: qui, quamquam patiens, benignus, miſericorſq́ ſit, & hoc ipſum eſſe perſeueret, hoc optet, hoc hominibus optandum commendet; nihilominus tamen ſuum illud tribunal, in quo, cùm iuſtitia exigit, ſedere ſolet, numquam euertit aut demolitus eſt; quin potiùs ſartumtectum ſeruat, & cùm opus fuerit, repetit & frequentat. Parauit in iudicio thronum ſuum] *diuini iudicij iura rationesq́ omnes conſtare ſignificat oratio hæc, atque adeò iudicem ipſum eundem eſſe, eodemq́ pacto ſemper agere acturumq́ confirmat. Duplex autem iudicij munus ac duplex opus eſt, innocentibus atque immunibus fauere & conſulere, contrà verò nocentibus ſuas vices, hoc eſt, pœnas & ſupplicia irrogare.*

9. Et ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate: iudicabit populos in iuſtitia.

Iuſtitia. *Pſalm.* 98. Directiones Dei.

TSEDEK *in ſacra lingua dicitur id, quod certis rationibus conſtitutum, conſeruationem, correctionem, & ædificationem potiùs quàm deſtructionem ſpectat. Quod verò ad vtramque partem referri poteſt, hoc eſt, ad punitionem ſontium, & ad tutelam atque laudem & promotionem inſontium ac bonorum, hoc inquam vocabulo* MESARIM *ſignificatur; pro quo interpres aliàs aliud, nunc verò reddit* iuſtitia, *ex verbo* rectitudines & planities *verti poteſt, Hiſpanicè* De rechuras. *aliàs interpres* directiones *vertit; vt,* Tu paraſti directiones; iuſtitiam & iudicium in Iacob tu feciſti. *Eſt autem huius loci ac dicti germanus ſenſus, Dei cuncta regentis & gubernantis iudicialem ſedem perpetuò conſtare: cuius rei manifeſto argumento fuerit terrarum orbis; cui Deus aſsiduis, præeſt, prouidet, proſpicit, & conſulit, commoditatibus temporum anni, pluuiarum, ventorum, niuium, caloris, æſtus, ac ceteris ad fruges fructuſq́ ſufficiendum, & ad animalium hominumq́ vitam alendum & gubernandum, opportunis; non quidem omnibus ſemper ac promiſcuè vel temerè, ſed per momenta & ſpatia diſtributis, ac certa viciſsitudine diſpenſatis; vt videlicet ipſi terræ orbi opus fuerit. S. S. E.* Cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hiems, nox & dies non requieſcent. *Et hanc quidē Dei terram gubernantis veritatem contemplatus Vates, ad hominum cauſſas & iudicia allegauit: Nam ſicut ille* iudicabit, *iudicare ſolet,* orbem terræ *in* TSEDEK æquitate *ſiue iuſtitia, qualem deſcripſimus; ſic etiam quod ad homines attinet,* iudicabit populos in iuſtitia; *in directionibus ſuum vnicuique irrogabit ius. Vt non ſemper pluit, niſi cùm pluuiam ratio orbis exigit, quam nonnumquam etiam differt; ſic etiam non ſemper punit: non tamen ideo horum alterum negligit, nec terræ in perpetuum obliuiſcitur. S. S. E.* Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines. *Quare nec iudicium erga populos antiquabit, imò ita curabit & inſtaurabit, vt non publicè & communiter modò, ſed priuatè etiam ac ſingulariter manifeſtum probet: maximè verò hoc eue-*

Gen. 8. *Gen.* 8.

niet

niet in ſalutem & liberationem piorum, quorum iudicium ac tutela, quamquam tardare videatur, non tamen deficiet.

10. Et factus eſt Dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Dei miſericordia & iudicium. *Diuinum ingenium (vt ita vocare fas fuerit) certo diſcrimine cognoſcendum ac venerandum indicat: quod cùm & miſericordiæ ac benignitatis, & iudicij etiam ſit compos; tamen libentiùs multo ac promptiùs ac frequentiùs ad ſalutem afferendam egentibus, quàm ad pœnarum iudicium merentibus inferendum, inducitur. Id quod in lege de ſe apertè Deus profitetur:* Exod.20. Fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me: & faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. *Iudicium ad quartam, vt plurimum, generationem prolatatum; miſericordiam verò non in vnum aut alterum milliare annorum, ſed in millia conſeruatam & propagatam accipimus: conſequens ergo eſt, nuſquam, cùm opus fuerit, differendam, maximè erga pauperes & humano auxilio deſtitutos; ſed opportuniſſimè in ipſo rerum manifeſto ac laborum diſcrimine præſtandam, ita vt nemo diuinam & præſentem inficiari poſſit. Cuiuſmodi documentis & ſpectatis exemplis, quidnam & quantum pij hominis fidei, fiduciæ atque ſpei accedere addiq́; oporteat, ſubiungitur:*

11. Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum: quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.

Et ſperent in te, *vnum & verum, ſalutarem ac ſoſpitalem Deum,* qui nouerunt nomen tuum, *illud admirabile* IEHVEH, *ad ſalutem præcipuè appellatum, certiſſimè perſuaſi & credentes.* Quærentes Deum. Quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine] *Videat vnuſquiſque mortalium ac ſecum reputet, diligenterq́; examinet, quemnam aut quid quærat, num ſe ipſum, num homines, num humana ſiue vulgaria iſta, per cupiditatem vel ambitionem: num potiùs Deum verè ac purè quærat: namque alia quærentibus nullibi Deum ſeſe promiſiſſe, ſe verò quærentibus nuſquam defuiſſe accepimus. Ex hac diuini moris expoſitione ac doctrina, pij omnes ad laudes Dei, atque etiam ad tutelæ erga ſe gratulationem, excitantur & vocantur.*

12. Pſallite Domino, qui habitat in Sion: annunciate inter Gentes ſtudia eius.

Sion. Qui habitat in Sion] *Fuit Sion regia apud Solymos arx ac domus à Dauide rege expugnata, conſtructa, & culta. cuius nomen ſpeculam & prouidentiam ſignificat. Hanc non in imagine, ſed verè habitare Dominus*

nus ille ſalutifer dicitur, indeq́ populo ſuo omni proſpicere & conſulere, atque hoc pacto ad cognitionem ſui omnes orbis nationes vocare: cuius veritatis præcones pios omnes eſſe vult Vates, vtpote veræ doctrinæ diſcipulos exemplorumq́ teſtes oculatiſsimos. Annunciate inter Gentes ſtudia eius] GHALILOTHAV. *Multis modis hoc vnicum verbum vertit interpres noſter. id verò ſignificat non ſolùm factum aliquod, ſed conſilium, cauſſam, & factum, factiq́ modum & euentum, conſequentia item cuncta, quæ nullo pacto cum caſu vel cum fortuna, aut cum temeritate ſtare poßint. hæc omnia vno vocabulo* ſtudia *complecti noſter voluit interpres.* Annunciate inter Gentes *illius operum veritatem, adiunctis antecedentibus & conſequentibus, qualia in hoc Pſalmo indicata ſunt de publicis ac priuatis diuinarum rationum exemplis. quandoquidem hæc non ad Iſraëlitas tantùm ſecundùm carnem, verùm ad omnes totius orbis terrarum homines pertinent: quorum etiam cauſſas Deo non neglectas affirmare conuenit.* Studia Dei.

13. Quoniam requirens ſanguinem, eorum recordatus eſt: non eſt oblitus clamorem pauperum.

Ita diſpungendum, ex exemplari conſtat. Significat autem ſententia hæc id, quod in commentariis ad Amos vaticinium pluribus diſſeruimus, Deum cunctarum gentium res curare ac iudicare; verumtamen ſolere iudicia aduerſùs illas diutius differre propter miſericordiam, niſi publica aliàs iniuria incidat, quæ iudicium maturare & pœnas exigere poſtulat. quæ diuina ratio, vt aliæ etiam, cognitu digniſsima eſt. Cùm verò Deus ob iniuriam publicam iudicium faciendum parat, arcano ſermone ſanguinem requirere *dicitur. S. S. E.* Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum: & de manu hominis, de manu viri, & fratris eius requiram animam hominis. *Igitur cùm* ſanguinem Deus requirit, *in eo iudicio* populorum omnium recordatur. *idémque oppreſſorum querelas & poſtulationes verè ac ſeriò curat.* Non eſt oblitus clamorem pauperum] Clamor *nomen, &* clamare *verbum, ex exemplari* TSACHAK *Latinis redditum, oppreſſorum & iniuria affectorum querelam ſignificat. vt,* Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt. Pauperum] GHANIIM *afflictorum & oppreſſorum. Quæ omnia cùm ita eſſe & habere docuerit Vates, erga ſe etiam partim edita iam laudauit, partim etiam conſequentibus opis ac ſalutis exemplis edenda ſperat ac poſcit.*

Iniuria publica iudicium Dei maturat.

Gen. 9. Sanguinẽ requirere.

Clamor.

Gen. 18.

14. Miſerere mei Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis.

Miſerere mei Domine] *Rurſus ex hypotheſi ad theſin, hoc eſt, ex communi cauſſa ad propriam & priuatam redit Vates: quæ eadem ad com-*

munem declarandam etiam facit. Namque in diuinis actionibus erga humanarum rerum gubernationem, ſingulare à communi, & commune à ſingulari argumentando inducitur. Vide humilitatem meam] *idem verbum hîc vſurpatur, quod poſtremum in proximo verſu fuerat:* Non eſt oblitus clamorem, GHANIIM, pauperum, *iniuria affecto-*

Humilitas. *rum. hîc etiam,* GHANII, humilitatem *paßiuè interpretamur, qua humiliatus, afflictus, & oppreſſus vexor.* De inimicis meis] *Grauius multo eſt nomen* SONEAI *quàm* OIBAI, *longeq́ horribilius: namque hoc hoſtem ſignificat; quî fieri poteſt vt non oderit: illud verò inimicum odio & inuidia flagrantem; ex quo iniuriæ omnes profectæ duriores ac ſceleratiores deprehenduntur, maximè cùm in innoxios admittuntur, qualem me te iudice eſſe profiteor. id quod erga oppreſſos & afflictos omnes cùm tu curare ſoleas, erga me etiam multis declaraſti modis; adeò vt te vnum præſidium ac tutelarem agnoſcam & nominem, porroq́ nominaturum me confidam & ſperem.*

15. Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Exultabo in ſalutari tuo.

Qui exaltas me de portis mortis] *Multa aliàs pericula ac diſcrimina vnius Dei ope ſe euaſiſſe ſignificat Vates, morborum, inſidiarum, oppreßionum, & aliorum etiam generum: quæ cùm grauißima ac difficillima peneq́ deſperata ſunt, illius linguæ idiotiſmo* portæ mortis & portæ inferi *vocantur. ac ſi Latinè è ſepulchro vel ex rogo ad vitam reuocari dicamus. qualia nam illa fuerint, regum hiſtorias legentibus patent. Omnium autem huiuſmodi exemplorum euentum publica ſupplicatione & gratulatione celebrandum ſibi eſſe profitetur ac recipit Vates, quod pij animi officium fuerit, idq́ in magnam attendentium, hoc eſt, totius Eccleſiæ vtilitatem ac doctrinam euaſurum ait.* Vt annunciem omnes laudationes tuas] *Hoc autem non priuatè, ſed publicè ſibi agendum ait, antiquo ſupplicantium & gratulantium more ac ritu,* in portis filiæ Sion] *Ieroſolymorum, imò ac totius Eccleſiæ, quæ arcano ſermone* Sionis *appellatur* filia. *Maximè publica quondam & celeberrima loca* portæ *fuere. Atque ſupplicationis argumento declarato* laudationes tuas, *ſermonem ac dicentis habitum adiungendum exponit:* Exultabo in ſalutari tuo] AGHILAH: *omnem lætitiæ ſignificationem, quæ geſtu, motu, habitu & voce editur, hoc verbum continet. Iam verò laudum non argumentum & nomen tantùm, ſed capita etiam, locos, ac ſeriem ſummam ſubiungit: in qua diuini iudicij, auxilij, præſidij, ac prouidentiæ denique erga homines priuatè ac publicè obſeruandæ & cognoſcendæ, ſumma breuis traditur: ea verò ſic habet:*

Portæ mortis. Portæ inferi.

Portæ Sionis filia.

16. In-

16. Infixæ ſunt Gentes in interitu, quem fecerunt. In laqueo iſto, quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum.

Iudicium diuinum in omnes nationes, quæ aduerſus alios quoſpiam iniurioſæ fuerint, & quondam conſtitiſſe, & perpetuò etiam conſtiturum, carmen hoc affirmat. quod totius gratulationis propoſitio eſt. Duplex in vniuerſum iniuriæ hominibus parandæ & faciendæ genus eſt: alterùm cùm aperta vi & potentia periculum creatur; alterum verò cùm res non tam robore ac viribus tentatur, quàm dolo ac fraude agitur. Prius genus interitus *ſiue foſſæ, imagine ſignificatur, tranſlatione ſumpta à venatoribus, qui vallatas & circumactas vndique feras tandiu ſectantur, quoad in apertam certo loco atque ineuitabilem foſſam adigant: id quod curſu, territatione, armis, canibus, atque omnino manifeſta vi conficitur. Et hoc quidem multis opibus magnoq́; conſtat molimine. Aliud verò minus laborioſum ac ſumptuoſum huius venatricis artis opus dolo exercetur, id eſt, retibus, laqueis ac pedicis, ceterisq́; ingeniis, quibus deluſæ animantes ac minùs ſibi timentes nihilq́; præuidentes capiuntur. Hoc ſtudium omne vno retis vel* laquei *ſignificatur nomine. Quam rationem, à ferarum venatoribus ad hominum iniuſtos oppreſſores tranſlatam, dignis conſilio ac ſtudio ſucceſſibus excipiendam, Vates canit; ita vt qui vi rem geſſerint, vim etiam iidem demum ex diuino iudicio experiantur: qui verò fraudibus ac dolo & calliditate vſi fuerint, iiſdem etiam & ipſi pereant artibus. Atque hæc vnica cauſſa & ratio, nulla alia certior ac magis propria, mutationis regnorum, ac potentiæ euertendæ eſt. Id quod mundi annales & ſyrmata diligenter & attentè voluentibus manifeſtum euadit; & hoc modo ſibi prædicandum Vates hic ſuſcipit, ad publicam hominum doctrinam: ita enim*

Iudicium diuinum iniuriæ vindex.

Iniuriæ genus duplex.

Interitus. Foſſa.

Venandi duplex ratio.

Regnorum mutationis cauſa.

17. Cognoſcetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.

Cognoſcetur Dominus iudicia faciens] *Ea verò cognitio ex exemplorum ſpectaculo parabitur, cunctis dicentibus & confeſſis illud vna voce vnoq́; ſenſu;* In operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator. *Igitur quod vnuſquiſque fecerit, idem demum exſpectet. Iam aliàs docuimus iudiciorum in homines exemplum, apertiſſimum & opportuniſſimum diuinæ prouidentiæ argumentum haberi: quare in hoc Pſalmo carmen hoc duplici acclamatione finitur, quibus vix vlla apud Latinos reſpondet vox. altera* HIGAION, *quæ meditationem, animaduerſionem, obſeruationem atque etiam acclamationem ſignificat. altera* ZZELAH, *quam admirantium, exultantium, plaudentium & increpantium interiectionem eſſe, iam aliàs docuimus. Atque hoc ipſum acclamationis initium proponitur: cui publica tum ſententia, tum precatio & imprecatio, ac potiùs prædictio ſubiungitur:*

18. Conuertantur peccatores in infernum, omnes Gentes, quæ obliuiſcuntur Deum.

Vatum vota.

Verbum Conuertantur, *futuro tempore pronunciatum, ad imprecationem & prædictionem pariter vſurpatur hoc loco: id enim quod cum diuino iudicio conſtare cognoſcitur, & ritè à piis prædicitur, & ad poſtulationem arripitur. Ita enim fore Deus vult, ita eſto.* peccatores] רשעים RESAGHIM, *improbi, innocentum & immunium oppreſſores, qui vel ex calumnia, vel ex vi, vel ex dolo agunt. hos tandem euertendos & obruendos atque in ſepulchrum detrudendos ait Vates, ex piorum oratione & perſona diuino iudicio acclamantium & plaudentium.* Infernus *hîc &* *pro cadauerum ſepulchro, & pro communi loco iis parato qui cælo nondum admiſſi, vt antiquorum complures fuerant; vel numquam digni, vt admittantur, vt improbi omnes, quos ſuprema dies ſine pœnitentia occupauerit. Quos autem hoc loco* improbos *ſiue* peccatores *dixerit, exponit Vates,* Omnes Gentes, quæ obliuiſcuntur Deum] ELOHIM, *iudicis, gubernatoris & humana curantis nomen eſt. Qui Deum, inquit, mortalia curantem vel negligunt vel obliuiſcuntur, huiuſmodi excipientur exitu. Nam quamquam ipſi iudicis ac iudicij obliuiſcantur, iudex tamen ipſe aliter agit.*

Infernus.

19. Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.

Prouidentiæ materia. Indigētia. Inopes. Pauperes. Vſque. Prouidentiæ cura altera.

Prouidentia erga indigentiam verſatur & exercetur; ea verò ſuum opus non perpetuò intermittet, vtpote diuina & planè efficax. Indigentia verò duplex quoque eſt: alij enim ſubſidio ad vitam commodo carent, huiuſmodi EBIONIM *& propriè inopes dicuntur: alij verò oppreſſi, auxilio egent & vindice; quem dolendo ac ferendo in ipſis laboribus, ſperant & expectant: de his illud ſubiunctum & affirmatum:* Patientia pauperum, GHANIIM, *oppreſſorum & humiliatorum*, non peribit in finem, LAGHAD, *ex verbo*, ad vſque. *Nam vox* VSQVE *abſolutè poſita nullum præfinit terminum, quare ad æternitatem ſignificandam hic vſurpatur tropus*, ad vſque. *Neque verò in modeſtis pauperibus & afflictis leuandis diuina prouidentia tantùm declaratur, ſed etiam in ſuperbis, arrogantibus, improbis, contumacibus & elato animo tumentibus deprimendis & contundendis. atque ita vtrique conſulit parti; alteris auxilium & ſubſidium præſtando animandis & in cultu pietatis firmandis, alteris verò ad ſuimet cognitionem, reſipiſcentiam, & modeſtiæ ſtudium reuocandis; reſipiſcere verò nolentibus de medio (quod in procliui eſt) auferendis. Appellata ergo priore prouidentiæ cura & opera circa piorum & modeſtorum hominum aſſertionem & ſalutem, poſterior etiam circa improborum repreſſionem appellatur.*

20. Exur-

20. Exurge Domine, non confortetur homo: iudicentur
Gentes in conſpectu tuo.

Exurge Domine] *Curam, diligentiam, operam, & efficientiam, at-* Surgere.
que adeò auctoritatem verbum ſurgere *& ſurgentis habitus ſignificant, vt*
contra iacere *ac* dormire *negligentiam vel ignauiam vel infirmitudinem.*
vt, Exurge, quare obdormis Domine? Exurgat Deus, & diſſipentur *Pſal.43.*
inimici eius. *Huiuſmodi curam aduerſus humanæ ſuperbiæ & contuma-* *Pſal.67.*
ciæ faſtus à Deo vindice declarari, ſuo & piorum, quos ad gratulationem
induxerat, nomine Vates poſtulat; longam interim ſignificans patientiam Dei patientia.
numinis, rerum humanarum peruerſitatem ſpectantis, & hominum inſa-
nam ferentis mentem: qui cùm miſeri, infirmi, mortalesq́ ſint, tamen neſcio
quid ſibi fingunt ac præſumunt firmitudinis. cuius inani & ſtulta opinio-
ne proteruiunt, tumultuantur, ſuperbiunt, & humana omnia diuináque Hominum proteruia.
miſcere moliuntur. non confortetur homo] *Duo vocabula* con-
fortetur *&* homo *pugnantes omnino ſignificant res. quas tamen coniun-*
gere humana ſtultitia conatur, idq́ fruſtra. ENOS *hominem ſignificat ex*
ea parte, qua miſeriæ, infirmitudini, laboribus, morbis, ac morti denique
obnoxium eſſe conſtat. GHAZ *verò ſiue* GHAZAZ *verbum, firmari, ro-*
borari, durare, atque in ſolidi lapidis modum rigere ſignificat. monſtri au-
tem perſimile, imò contra omnem rerum ac veri naturam eſt, mortalem ſtul-
tiſſima quadam affectatione, ſibi iſtiuſmodi arrogare firmitudinem. Cui
malo vt per diuinam benignitatem & ſapientiam occurratur, orat Vates,
idq́ ex iudicij norma & auctoritate fieri poſtulat: iudicentur Gen-
tes in conſpectu tuo] *in exemplari,* propter facies tuas. *antitheton*
hoc eſt illius notæ, qua dictum erat, omnes gentes, quæ obliuiſcuntur
Deum. *Nam quiſquis Dei oblitus, ſe tantùm conſpicit, inſaniæ morbo*
eueſtigio correptus dureſcit, rigeſcit, & confortatur, nulla infirmitudinis
propriæ ratione habita. Cui morbo remedium fore Vates ait, ſi Deus ter- Dei vultus.
ribilem illum ſuum vultum oſtendat, quo, cùm ſeuerum iudicem agit, per-
ſtare ſolet. Cuius conſpectum, omnis humana acies longè impar ſuæq́ infir-
mitudinis conſcia vehementer horret. vſque adeò vt non modò iudicis, ſed,
quod mitius eſt, legiſlatoris facie ſeſe ſpectandum exhibere incipientis au-
ctoritatem ac ſeueritatem, nec populus omnis, nec qui in populo fortiſſimi
habebantur, ferre potuerint. Cunctus autem populus videbat voces & *Exod. 20.*
lampades, & ſonitum buccinæ, montemq́ue fumantem: & perterriti
ac pauore concuſſi ſteterunt procul, dicentes Moyſi; Loquere tu no-
bis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moria-
mur. Et ait Moyſes ad populum; Nolite timere: vt enim probaret
vos venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.
Quod cùm audiſſet Dominus, ait ad me: *(narrat Moyſes)* Audiui *Deut. 5.*
vocem verborum populi huius quæ locuti ſunt tibi: bene omnia ſunt
locuti. Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & cuſto-

 diant

diant mandata mea in omni tempore, vt bene ſit eis & filiis eorum in ſempiternum? *Huiuſmodi actionem à Deo repræſentari poſtulat Vates, idq́ hominum ab inſania & ſuperbia reuocandorum cauſſa.*

21. Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos: vt ſciant gentes quoniam homines ſunt.

Nomen MOREH *ex duobus verbis deductum* IARA *&* IARAH, *doctorem ſiue* legiſlatorem *atque etiam timorem ſiue terrorem ſignificat. Vtrumque Deus quondam in Syna monte apud populum præſtiterat, dum & leges doceret, & populo terrorem incuteret: quare eadem tunc vſurpata verba,* vt timeant me. *Hanc rationem & actionem inſtaurari poſcit hoc loco Vates,* Vt ſciant gentes quoniam homines ſunt] ENOS HEMAH, mortales ipſi. *Habet vim, acrimoniam & emphaſin vox* HEMAH, *ipſi in ſe, niſi à te fulciantur, ſunt* ENOS. *Ex hac voce tranſpoſita Latinum vocabulum* ſanus *factum. Finitur Pſalmus interiectione* ZZELAH.

Sanus.

IN PSAL. X. ſecundùm Hebr.

GEDEONI HINOIOSO PVBLICO AC SECRETO APVD REGEM CONSILIARIO S.

QVæ de rerum humanarum turbatis rationibus multa & varia aſſiduè legendo cognoueras, noſtro æuo innumeris repræſentata exemplis te ſæpius miratum dolere memini (ex quo præſertim inter patres & iudices, de reipublicæ ſumma & de priuatis cauſſis delectos, vnus iam diu tu quoque conſcriptus agis) vſque adeò, vt communium pertæſus morum, ſæpius de ſeceſſu & ſolitudine cogitaueris, quamquam coniugio addictus, honeſtæque familiæ pater: quam in mediis iſtis publicæ tempeſtatis feruoribus & æſtubus tu ita inſtructam deducis, vt Abrahami, Iſaaci, & priſca illa Sanctorum tentoria, in Hethæorum ac Iebuſæorum agro & vicinia, ſubiiſſe & obtinere exiſtimeris.

Non

Non equidem ambigo alios etiam ſupereſſe, qui partes iſtas tentur iſtas; an verò ita fortiter & pertinaciter, non diſputabo: tantùm hoc meæ erga te fidei & amicitiæ duxi, allegare complures in ſacris lectionibus ſummorum virorum & Vatum querelas eiuſdem argumenti, quo tua iſta noſtrorum temporum accuſatio inſtituitur: vt iam admirari deſinas humanum genus, dum idem eſſe pergit quod fuerat, idem adhuc & agere & pati, quod apud antiquos egiſſe ac paſſum eſſe legitur; nec eandem conſuetudinem vltro mutaturum, ni ſe ipſum prorſus pro Dei voluntate ac propoſito mutandum, & ab Adami conditione ad Chriſti virtutem traducendum dedat. Namque hoc vbi euenerit, *abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum* [ſanctorum] *& mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt.* Interim tamen hominum pars humanè, pars etiam, eademque maior, inhumanè aget: verùm vna piis ac bonis perpetua erit conſolatio Diuinæ prouidentiæ, modeſtiæ ac probitatis cauſſam aduerſus improborum vim & fraudes opportunè demum aſſerentis. Id quod tum huius, quem eueſtigio interpretabimur, Pſalmi lectio apertè declarabit, tum illud maximi Sapientis monitum ſignificanter confirmabit. *Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & ſubuerti iuſtitiam in prouincia, non mireris ſuper hoc negotio: quia excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alij, & inſuper vniuerſæ terræ Rex imperat ſeruienti.*

Apoc. 21.

Eccls. 5.

ARGVMENTVM.

HVmanum atque vulgare ingenium, præſentibus (vti ſolet) exemplis inſeruiens, diuinam prouidentiam peruerſo proſequitur iudicio; atque ita cùm quotidie ſuo pro arbitrio non experiatur, vel apud ſe negare vel contemnere ſolet: eaq; ſemel combibita opinione, in omne libidinis atque iniuriæ prorumpit facinus. Namque Dei quemadmodum in conſeruanda rerum natura perpetua & ſibi ſemper conſtans animaduertitur cura & virtus, ita rurſus in hominum diiudicandis & cenſendis moribus & factis admirabilis obſeruatur patientia; expectantis videlicet improbos, ad pœnitentiamq; variis modis reuocantis, & bonorum tolerantiam interim ad perſeuerantiæ & fortitudinis præmium tentantis & examinantis, opportunè verò demum iuuantis & ab exitio vindi-

Dei prouidentia.

Sanctorum cura.

vindicantis. Sancti autem, atque ij præcipuè qui ſub legis conditione viuũt, duplici aguntur cura; altera ſui ipſorum, quos, vtpote in carne adhuc agentes, improborum aßidua iniuria vexatos, dolore ex infirmitate afficit; & diuini iudicij aduerſum improbos, rurſusq́ ſubſidij ac fauoris erga pios, vulgo (vti dicebamus) requiſiti. Vtrumque itaq́ ſtudioſè & anxiè poſcunt, vouent, & clamant; porrò demum diuinorum reſponſorum doctrina commoniti, & fide atque ſpei conſolatione admoniti & animati, certißimam celebrant bonorum & malorum finis atque exitus expectationem, ſingularibus probandam & confirmandam tum iudiciis & pœnis in contumaces improbos decretis & exercendis, tum verò beneficiis in oppreſſorum vltionem, ſalutem, victoriam, felicitatem atque ſecuritatem, ſingulariter ac manifeſtè conſtitutis. Hanc adeò veræ & ſalubris doctrinæ ſummam Pſalmus hic diſertè & eleganter continet. qui in verſione Latina vulgata, quam ſequimur, cum præcedente nectitur, in exemplaribus verò codicibus decimum inter Pſalmos & numerum & locum obtinet.

1. Vt quid Domine receſſiſti longè, deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?

Deus vbique.

Pſal. 138.

N*Vlli locorum vllo in tempore Deum abeſſe, diuinæ naturæ ac veritatis ratio euincit, atque ſapientum omnium doctrina tradit: inter quos & Vates hic idem alibi*; Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua, *&c. Verùm enimuerò vniuerſa tum ſuperioris tum inferioris naturæ conſideratio duabus cognoſcendis abſoluitur partibus; vna veritatis, altera verò efficacitatis: vltra quas humanus animus nihil ſibi cognoſcendum requirit, quamdiu Adami tantùm conditionem tuetur. Hoc tamen in vtriuſque naturæ cognitione intereſt, quòd inferioris naturæ ſingula ferè genera, cùm vel ipſa corpus habeant, vel corpori inſint, ſenſibus humanis, qui primi ad agnitionem ſunt duces, capiuntur ac dignoſcuntur plerunque, etiam ſi nondum vlla ſuæ prodiderint efficacitatis exempla. Superior verò natura, quod corporis omnino expers conſtet, ante virtutis manifeſtum argumentum alicui ex humanis factum ſenſibus, non planè cognoſcitur. Sic enim arguebat Apoſtolus*: Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus; & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam. *Vt igitur fidei teſtimonium, virtutes & opera ſunt; ita diuinæ prouidentiæ & curæ de rebus humanis certißimum argumentum, gubernatio eſt hominum. Hæc verò duobus ſpectatur modis, probitate videlicet aſſerenda ac tutanda, & improbitate rurſus vindicanda: ſicut de humana poteſtate pronunciatum eſt*: Dei enim miniſter eſt tibi in bonum: ſi autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit. *Cùm verò de Deo diuinisq́*

Naturæ conſideratio.

Iacob. 2.

Prouidentiæ argumentum.

Gubernationis humanæ partes.

Rom. 13.

niſiq́; ſermo ſit rebus, talia verba plerumque vſurpantur, qualia homines inter ſe communiter frequentant, quando aliter nec loqui homines norunt, nec iſte humanus intelligit animus. Talia quippe, vel Deus ipſe rudes adhuc diuinorum mortales allocuturus, apud Vates conſilij ſui miniſtros vſurpat. Iuxta huiuſmodi verò ſermonis vim atque vſum, amor atque ira ſiue odium curæ habentur comites. Nam qui curat, ea quæ probauerit, amare; quæ verò improbarit, odiſſe vel dedignatus eſſe dicitur: tum verò quæ amarit, dummodo valeat, fouere, defendere, ac tueri; contra verò quæ improbarit, reiicere, aſpernari, atque pro merito, ſi poßit, malè mulctare. Similis etiam ſermonis humani exemplo atque vſu venit, vt cùm quiſpiam quippiam indignè atque improbè agit vel patitur, is, cui curandi facultas tribuitur, ſi non interceſſerit aut iniuriam continuò propulſarit, atque iniuria affectum vel eripuerit vel vlciſcatur, neglexiſſe & conniuendo ſiuiſſe, aut certè abfuiſſe latuiſſeq́;, vel procul rem factúmue otioſè dicatur ſpectaſſe. id quod eos, quorum intereſt, intelligentes grauiter ferre, atque ex conſequenti conqueri ac dolere neceſſe eſt. Huiuſmodi affectus formam ac normam Vates hoc in carmine ſubit: qui à miſerabili ac triſti exorſus querimoniâ, Deum rogat, cur id ipſe admittat, quod nec de diuina virtute ac natura credere fas eſt, nec amanti aut curanti cuipiam adſcribi conuenit. Quid enim minus vero quadrat, quàm dicere, Deum, qui omnia complet, omnia tenet, omnia ipſe eſt, vel procul ſtare vel diſtare, aut abeſſe vel ſeſe abſcondere atque vltrò ſubtrahere, iis præcipuè temporibus atque locis, quibus virtutem, auctoritatem, & efficacitatem, atque adeò dignitatem ſuam probare opus fuerit? Nihil enim æquè prouidentiam hominibus probat atque ſingularitas exemplorum: quæ aut ex temporis ac loci, vel ex vtriuſuis certa adnotatione petitur. vnde illud eſt: Interrogabat [*quidam Regulus*] horam ab eis, in qua meliùs habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora ſeptima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus: Filius tuus viuit. *Et quidem Vates, cui certa Dei erga homines cura & prouidentia non ambigebatur, cur nam, vbi opus eſſe videbatur, non continuò pateret, miratus, doceri & intelligere auet: ideoq́; non abſolutè ſubtracta requiritur, ſed cauſſas dilationis aut conniuentiæ, quas nonnullas eſſe credit, interrogat nomine illo Dei appellato & interpoſito, quod certam cumprimis miſericordiæ promiſſæ ac præſtandæ rationem arcanè ſignificat, & ad auctoritatem vindicandam ſuam Deum ex pacto excitat. Eſt itaque verſus huiuſmodi ſententia. Humanarum negligentia ac ſecuritas rerum, cum iſtius nominis* IEHVEH *auctoritate pugnat. Cùm ergo fieri nequeat, vt ad illas non reſpicias, quid in cauſſa eſt cur conniuere, aut auctoritatem vimq́; tuam non intendere videaris, cùm maximè opus eſſe, qui hoc animaduertunt, arbitrantur? Hunc ſignificationis affectum interrogationis nota* LAMAH, VT quid *ſiue* ad quid *ex verbi vi exprimit. atque ita vt exſpectandæ virtutis diuinæ tempus in ipſam opportunitatem incidere exiſtimat, dilationem tamen*

Amor & odium curæ comites.

Singularitas prouidentiam probat.

Iohan. 4.

vel intermiſsionem conſilio certo minimè putat vacare : quod ipſe & ad ſuam aliorumq́ꝫ doctrinam & conſolationem cognoſcere cupit & poſcit. Orationis autem exordium ab eius hominis imagine transfertur, qui cùm opitulari iis, qui iniquè vexantur, valeat, tamen procul conſiſtit, vel ſeſe aliquò abdit, ita vt interea commoditas improbis ad nocendum ſuppetat. Hanc verò imaginem Deo adſcribit Vates, non ex re, ſed ex effectus præſente animaduerſione petitam. Vt quid Domine receſſiſti longè?] THAGHAMOD BERAHHOK. Stare ſoles procul? deſpicis in opportunitatibus] THAGHALIM LEGHITHOTH, latebis in opportunitatibus? *Opportunitatum verò opportuniſsimam eueſtigio indicat*, in tribulatione *miſerorum & afflictorum, quam partem Deus ipſe inter præcipuas opportunitates curandam receperat.* Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei: ipſum enim eſt ſolum, quo operitur, indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat. Si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum. *Auxilij itaque diuini aptiſsima opportunitas, in miſellorum & afflictorum indigna oppreſsione conſtare cenſetur. Atque hoc exordio cauſſæ continetur genus, cuius argumentum eſt admiratio, & interrogatio conſilij ac rationis, quamobrem miſericordiæ ſimul atq́ꝫ ſeueritatis probandæ opportunitas à Deo vel prætermittatur vel differatur? præcipuè cùm Deus ipſe miſerorum iniurias non neglecturum receperit. Huic exordio narratio eueſtigio ſiue argumentum ac theſis querimoniæ ſubtexitur, eademq́ꝫ duplici indignitatis argumentatione munitur; vna quòd improbis proſperæ ac ſecundæ res eueniant, ſecunda verò quòd cum miſeris & innocentibus laborioſè ac durè agatur: quæ ſingulæ, ac ſeorſum examinatæ, indignitatem facti arguunt, nedum coniunctæ ſimul acerbitatem rei complecti & exaggerare valeant: coniunguntur autem, ſi, vt plerumque fit, improborum felicitas, ſuperbia, faſtidium & arrogantia, ex inopum & innocentum oppreſsione, miſeria ac labore, enaſcatur, foueatur, & intumeſcat.*

Auxilij diuini opportunitas. *Exod. 22.* Querimoniæ de prouidentia argumentum.

2. Dum ſuperbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in conſiliis quibus cogitant.

Improbus. Dum ſuperbit impius] BEGHAOTH RESAGH, *Dum effertur, erigitur, vireſq́ꝫ extollit.* RESAGH, *Latinè* improbus *dicitur, qui conciuem, cauſſa ac fama priorem & meliorem, audax in ius vltrò vocat: quod vt obſcurum & fraudulentum, ita nocentiſsimum iniuriæ inferendæ genus eſt.* Incenditur pauper] IIDLAK GHANI. *Verbum* DALAK *incendere & æſtuare ſignificat: ex quo nomen* DELEK *fit, quod febrem ardentiſsimam ſiue cauſum interpretari conuenit: ex eadem verò ſignificatione idem quod inſequi, inſectari, atque inſectandò fatigare, per tranſlationem valet, Hiſpanicè* acoſſar. GHANI *verò non quemuis*

promiſcuè pauperem, ſed modeſtum, integrum, innocentem, eundemq́ inopem definimus. Iam verò ex antitheto ſiue oppoſitione perſonarum ac rerum crimen amplificatur. Sumitur autem tranſlatio à venatoribus, ijs præcipuè, qui equo inſidentes imbellibus & innocuis beſtiolis, vt leporibus, damis, ceruis, inſtant & cædem parant. Namque nec ſecus nec minus ab improborum inſolentia, inopum ac proborum modeſtorumq́ vitam contemni, vexari & affligi, atque inſectari ait; ad vſque febris ardorem præ fugæ feſtinatione, præ laboris vehementia, incenſæ. Pulcherrima profectò imagine, vtriuſque partis cauſſa non indicata modò, ſed oculis apparet expoſita. Quæ à corporis & membrorum notatione ad animum tranſlata, alterius qui vexat, inſolentiam & contumaciam; alterius verò qui vexatur, afflictionem, mœrorem, patientiam, innocentiamq́ repræſentat: ita vt in hoc nullum nec animi vitium, nec facti ſcelus notari poſſit; in illo autem duplex omnino deprehendatur crimen, tum conſilij primùm, tum verò conſilium pertinaciter vrgentis factum & ſcelus patratum: vtrumque vindice digniſſimum, vindice inquam Deo præcipuè; qui cùm vel cogitata ipſa hominum, nedum facta, videat & cognoſcat, id cauere ac proſpicere poteſt, quod probus quiſpiam vir, bonusq́ iudex, ſi per ſapientiam præuidere aut certo cognoſcere valeat indicio, diligenter curet & caueat: vt videlicet innocentia & probitas à fraude & inſidiis tuta præſeruetur. Atque hoc pacto improbi minus ſuſtinebunt culpæ, & probi ſecuriùs agendo probitatem tuebuntur ſeruabuntq́ ſuam. Nam ſi per improborum proteruiam & audaciam, proborum tantummodo tentaretur tolerantia; tametſi durum hoc, vtcumque tamen virtutis exercitandæ cauſſa ferendum: ſed id grauiſſimum apprimeq́ ducitur indignum, quòd alter intumeſcat, creſcat, & augeatur, atque feliciùs in dies agat; alter verò contrà, eadem opera ad febrim vſque exagitatus ac vexatus, macreſcat & conficiatur. Huiuſmodi humanum atque (vt videtur) probabili & honeſtum votum, hoc nuncupatur & exprimitur hemiſtichio. Comprehendantur in conſiliis quibus cogitant] *Perſtat in venatorum atque inſidiatorum perpetua tranſlatione, quam rhetores allegoriam vocant: atque ex altera parte proborum integritatem tutela dignam ſtatuit; ex altera verò improborum calliditatem & excogitatas inſidias ipſis auctoribus fraudi & periculo eſſe, dignum exiſtimat & vouet.* THAPAS *verbum deprehendere & periculo illaqueare atque premere ſignificat.* in conſiliis quibus cogitant, BAMEZIMOTH ZV HHASABV. *periculi & incommodi inferendi cogitata ac meditata commenta, nomen* MEZIMOTH *ſignificat. Eſt autem votum hoc ad legis antiquæ & ſcriptæ normam pronunciatum, ex æquo ac perſimili iure.* Cumque diligentiſſimè perſcrutantes, inuenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium; reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit: & auferes malum de medio tui. CHAASER ZAMAM LAGHASSOTH, ſicut meditatus prudenſque cogitauit facere. *Hactenus prima argumentatio & conſtitutio cauſſæ eſt,*

Pauper.

Improborum in vexãdis pauperibus inſolentia.

Iudicis probi cura.

Deut. 19.

apud iudicem & gubernatorem Deum agi inſtitutæ; in qua rei indignitas, ex perſonarum, & modorum atque inſtitutorum vitæ comparatione declaratur, & aptiſſima formatur expolitione. cui deinceps multiplex amplificatio ſubiungitur, ex euentis ab omni æquitate, iure, & vera honeſtate longè alienis; hoc eſt, ex iudicio hominum, fortunam (quam ipſi vocant) plerumque, imò ſemper, ſequentium, atque hoc pacto ſuperbiam & inſolentiam ac potentiam ſimplicitati & probitati præferentium.

3. Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.

4. Exacerbauit Dominum peccator, ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret.

5. Non eſt Deus in conſpectu eius: inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur iudicia à facie eius: omnium inimicorum ſuorum dominabitur.

Impunitæ iniuriæ exẽplum, pernicioſum.

Impunitæ & incolumis, atque adeò victricis improbitatis exemplo, graue, pernicioſum, ac peſtilens in veritatem, virtutem, pietatem atque religionem præiudicium fieri dicit: eo quòd vbi improbis res ex animi ſententia ſuccedunt, creſcunt, & augentur, familiarium & clientum comes adulatio conſequatur; &, quod in procliui eſt, virtute ſpreta ac religione contempta & poſthabita, vulgus hominum iniuriæ ac ſceleris compendium omni Dei timori prorſus anteponat; atque id agere & imitari pro viribus conetur. Ex hac namque ſecta illud eſt:

Perſ.

Verte aliquid; iura. Sed Iuppiter audiet. Eheu
Baro, reguſtatum digito terebrare ſalinum
Contentus perages, ſi viuere cum Ioue tendis.

Peccator] RESAGH, improbus, iniurioſus, *qui præcipuè ad partes in hac vocatur actione.* In deſideriis animæ ſuæ] *Duplex animi humani portio: altera appetitus dicitur, beſtiis & hominibus tributa, quæ in ſacra lingua* NEPHES, *in Latina verò à poëtis* anima *vocatur: altera verò portio ratio ſiue intellectus appellatur, in ſacra verò philoſophia* NESEMAH, ſpiraculum *aliàs verò* RVAHH, *id eſt,* ſpiritus, *Latinis propriè* animus *dicitur.*

Animi portiones. Anima. Ratio. Intellectus. Spiraculũ. Spiritus. Animus.

Cuius egent prona ac terram ſpectantia; mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantùm animas, nobis animum quoque, *&c.*

Illos autem inferiori & ignobili portioni (quæ libidinum fons & origo eſt omnium) inſeruientes & nequiter indulgentes improbos, laudem apud vulgus nanciſci notat ac dolet Vates, atque id maximè ſe ægrè ferre declarat; nimirum eoſdem à familiaribus, clientulis, & vulgaribus amicis, qui commodo tantùm proprio ducuntur, plauſibus & gratulationibus affici,

eoſdem-

eoſdemq́ue probis ac piis religioniq́ue deditis viris longè anteponi, cum diuini contemptu numinis ac iudicij, contrà verò cum fortunæ, potentiæ, & audaciæ præconio & cultu.

Sunt qui fortunæ iam caſibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moueri,
Natura voluente vices & lucis & anni:
Atque ideò intrepidi quæcumque altaria tangunt.

In deſideriis animæ ſuæ] GHAL THAAVATH NAPHSO. propter auiditatem animæ ſuæ.

Nam quod turpe bonis Titio Seioque, decebat Iuuenalis.
Criſpinum.
Namque ibi fortunæ veniam damus: alea turpis,
Turpe & adulterium mediocribus: hæc eadem illi
Omnia cùm faciunt, hilares nitidique vocantur.

Et iniquus benedicitur] VBOTSEAGH BERECH. & concupiſcens benedictio [*eſt*] *Cuius quicquam ex ea re intereſt, beatum dicit eum, qui potentia & calliditate valet.* BATSAGH, *cupere, commodum proprium captare. Hiſpanicè* BOTSEAGH, intereſſado *ſiue* intereſſante, *&* BETSAGH intereſſe *dicitur. Meminerit Lector nos non ex ingenio, ſed ex germana lectionis vi commentari. Attendat pariter, nos in quorundam Pſalmi huius verſuum interpretatione, non Latinæ editionis vulgatæ, ſed Hebraicæ interpunctionem ſequi.* Exacerbauit Dominum] NIETS, contempſit, negauit. *Nam latinum verbum* negare *à primæuo* NAATS *arbitramur factum. Latinus interpres con-* Negare. *ſequentiam reſpexit. Valde namque exacerbare Deum intendit, qui contemnit, & gubernatorem atque iudicem negat. atque hæc clauſula tertij verſus poſtrema pars eſt. Itaque non ſolum ius & integritas probitasq́ue laborare, ſed diuinæ prouidentiæ auctoritas iſto pacto in dubium vel in ſummam contemptionem vocari, ſubiuncta exaggeratione oſtenditur & infertur.* Peccator ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret] RESAGH CHEGABAH APO BAL IIDROS. Improbus ſecundùm altitudinem naſi ſui non diſquiret. *Naſus, indignationis, ſannæ* Naſus. *atque irriſionis tum inſtrumentum tum ſymbolum cunctis ferè in linguis & gentibus habetur: vt,* Nec naſo ſuſpendis adunco ignotos. *Ait igitur Vates, improbum non modò libidine, ſed ſuperbia etiam & faſtu atque ſupercilio elatum ac dementatum, adeò incendi & inſoleſcere, vt nec Deum cognoſcat & curet, nec ſe agnoſcat ipſum. Nam* DARAS *verbum ratiocinari ac ratione inire & habere dignoſcereq́ue ſignificat.* Non eſt Deus in conſpectu eius] *Ita agere, ita viuere notatur improbus, vt in conſiliis ineundis rebusq́ue capeſſendis nullam diuini, iudicij rationem habuiſſe, non obſcurè arguatur.* AIN ELOHIM CHOL MEZIMOTHAV. Non Gubernatores [*Deus*] omnibus commentis ſuis. *Quidquid comminiſcatur, Dei iudicis nulla recordatio eſt. Atque hactenus de*

animi impulſu, deinde verò de moribus: Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore] *In ſacra lingua verbum* HHVL *trepidationem, metum, vim, potentiam, & profanitatem à ſanctitudine alienam, vulgarémque conſuetudinem ſignificat.* DERECH *verò, pro quo Latini* viam *reddunt, inſtitutum, morem, conſuetudinem, & partes quas vnuſquiſque agit, ſignificat. Quibus ex rebus & vocabulis in vnum ſenſum coactis, hemiſtichij huius illa conflatur interpretatio: Quidquid inſtituit, conſulit, init, & intendit; denique quidquid quocumque tempore, quacumque opportunitate agit; id omne profanum cum primis, ſuſpicioſum, ambiguum, violentum, ac formidandum eſt: quippe eò tantùm intendit, vt nec Deum ſibi futurum metuat, nec inimicis ſuis optet aut velit aut credat fore iudicem; nedum homines alios ſibi vereatur obſtituros, quò minus quod petit & vrget commodum, adipiſci & obtinere valeat.* Omnium inimicorum ſuorum dominabitur] CHOL TSORERAV IAPIAHH BAHEM. prementibus ſe cunctis flabit. *Pulcherrima imagine inimicorum contemptor deſcribitur improbus, quos vel ſolo flatu, veluti muſcas, à ſe depulſum iri confidat. atque ita affectus & animatus perpetuam ſibi pollicitus eſt felicitatem.*

Via.

6. Dixit enim in corde ſuo: Non mouebor à generatione in generationem, ſine malo.

Fortunam quam ipſe vocat, beatitatemq́ ſuam, numquam de ſtatu mouendam aut aliàs vlla aduerſitate mutandam ſibi perſuadet ipſe. id quod rariſſimi exempli inter mortales eſſe ſentiunt qui ſapiunt. Huiuſmodi metu improbum carentem hoc loco depingit Vates, ac dicentem in corde ſuo, *contrà quàm vulgò dici ſolet, Nullam ſtabilem eſſe tyrannidem,* Non mouebor à generatione in generationem] LEDOR VADOR, ad ætatem in ætatem *nunquam.* Sine malo] *Conciſa oratio ex linguæ ſanctæ idiotiſmo, quæ perpetuam beatitatem & omnis aduerſæ viciſſitudinis expertem fore ſignificat.* ASER LO BERAGH, quod non in malo. *idem valet quod illud Latini auctoris,* Vni nimirum rectè ſemper tibi erunt res. *Eadem quoque conformatione rhetorica ſignificatur, illum, vt omnia ſecunda ſibi promittentem, ita nunquam à nocendi & maleſaciendi propoſito diduci apud ſe ipſum conſtituiſſe. Quemadmodum autem propoſitum iſtud vrgeat, quas moueat & vſurpet artes, per expolitionem declaratur.*

7. Cuius maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo: ſub lingua eius labor & dolor.

Athei hominis ratio & oratio.

Hominis improbi ſermonem & orationem religioſis quidem verbis inſtrui ait, iis tamen ad fraudem & fallaciam vſurpatis. Namque ille animi à diuino timore abalienati iam fuerat ſuperius notatus; id quod ſi verbis

etiam profiteretur, neminem quidem falleret mortalium; vt qui ab aliis vel vitatus vel agnitus, nullum læderet, vel facilè repelleretur. Quamobrem ipſe quidem Dei nomen aliquod in ore habet, illud nimirum quod ad diras & imprecationes vſurpari aliquando ſolet, hoc eſt, EL, *quod ad vim, potentiam, & efficacitatem diuinam refertur: vnde* ELAH *vocabulum factum, quod Latini imprecationem ſiue diras atque diram precem dicunt: atque in eos quadrat, qui, diris pronunciatis ominibus, periurium meditati confirmant. Cuiuſmodi ominum exempla in ſacris libris,* Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat. *id Latini* Per caput iurare *dicunt. Talibus autem iuramentis ac diris in ſeipſum vel in carorum capita pronunciatis, fallaciam fraudemq́ue ſuam celare ac tueri improbus dicitur.* Cuius maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo] *Omnem fraudem iureiurando eos tueri ait. Eſt autem iuramentorum duplex genus: vnum, quo teſtis appellatur Deus, vel diuinum quippiam quaſi pignus libertatis obligatur. quo de genere Chriſtus:* Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius, *&c. Alterum, quo is, qui iurat, vel ſeſe vel carum quippiam deuouet: ad quod alludens præceptor* IESVS, Neque per caput tuum iuraueris, *aiebat. Poſterior hæc iurandi forma in ſacra lingua* ALAH *vocatur: pro quo noſter interpres* maledictionem *reddidit. Et quidem improbi ac fraudulenti mala mens malusq́ue animus breuiter, ſed propriè & ad viuum deſcribitur hactenus: iam verò cura, ſtudium, & artes indicantur, quò nocendi conſtans notetur propoſitum; captata quoque loci ac temporis ad nocendum opportunitate, quò id certiùs ac nullo ſui periculo fiat. Perſtat verò in fraudulentorum deſcriptione, vndique perquiſitis & collatis imaginibus amplificanda; ſumitq́ue tranſlationes à lupis, à vulpibus, atque à leonibus etiam: namque huius notæ feræ omnes vi & robori ingenium quoque ſolent addere; vtpote quæ non intra vrbes muro cinctas, ſed in pagis ac villis apertis excubias agere, inſidiasq́ue pecori, & mitioribus atque ſeſe defendere minimè valentibus animalculis, parare & ſtruere ſolent; vbi certa prædæ ſpes, &, ſi defenſor & propulſator adfuerit, nota ad euadendum periculum non deſit commoditas.*

Impreca-tio. Diræ.

Per caput iurare.

Iuramentorum genus duplex. *Matth. 5.*

Maledictio.

8. Sedet in inſidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem.

9. Oculi eius in pauperem reſpiciunt: inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua. Inſidiatur vt rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum.

10. In laqueo ſuo humiliabit eum, inclinabit ſe, & cadet cùm dominatus fuerit pauperum.

Sedet in inſidiis cum diuitibus] BEMAARAB HHATSARIM, in inſi-

in inſidiis pagorum & villarum. *Quod Latinè legimus,* cum diuitibus, *ex eo fortaſſe ſcriptũ eſt, quòd non in pauperibus caſulis, pagis, aut villis, vbi nihil prædæ eſt, ſed in beatioribus & plenis fundis atque viciniјs hoc genus rapacium inſidias moliatur. Nec verò loci tantùm opportunitatem, ſed modum atque facilitatem ab improbis iſtis hominibus, ferarum exemplo, captari & inſtrui ait. Nam feræ in illis ipſis locis, non ex aperto & patenti ſitu, quod prouideri poſsit, ſed ex occulto vel antro, vel ſpecu, mitem & innocuam pecudem, vel auem, vel ſimilis prædæ aliquid attendere, indeq́ prætergreſſum repente adoriri, inuadere, capere, & magna celeritate conficere ſolet; ita excogitatis dolis, vel iuris atque litium vafro commento, innocentem perdere & expoliare non ſine euentu improbus conſueuit:* in occultis vt interficiat innocentem. *Sed quia innocentia in diuitibus & opulentis quoque inueniri poteſt, exceptione ratio hæc declaratur; Non, inquit, ab improbo omnes promiſcuè inuaduntur innocentes, verùm ij tantùm, quibus nihil apud homines eſſe opis intelligit.* Oculi eius in pauperem reſpiciunt] *Ex pluribus nominibus, pro quibus Latini communiter* pauper *ſolent reddere, illud hoc loco ſingulariter vſurpatur, quod pauperem humana egentem ope ſignificat: hoc eſt, eum, cui præter diuinam nulla propria tutela conſtat. de quo præcisè & illud dicitur:* Tibi derelictus eſt HHELCHAH, pauper, *inops Latinè. Similem notationem, tametſi prolixè, non tamen ineptè, apud exteros Satyrarum ſcriptores indicare licebit.*

Pauper.

—— Quibuſdam

Iuuenal.

Somnum rixa facit: ſed quamuis improbus annis,
Atque mero feruens, cauet hunc, quem coccina læna
Vitari iubet, & comitum longiſſimus ordo;
Multum præterea flammarum & aënea lampas:
Me, quem luna ſolet deducere, vel breue lumen
Candelæ, cuius diſpenſo & tempero filum,
Contemnit. miſeræ cognoſce procemia rixæ,
Si rixa eſt, vbi tu pulſas, ego vapulo tantùm.

Sed poëta ille furioſum depinxit improbum, noſter verò Vates improbum etiam deſcribit, ſed fraudibus doliſq́ inſtructum, vafrum atque aſtutum.

Inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua, inſidiatur, *inquam,* vt rapiat pauperem] *non vi: namque hoc forſitan periculo affine foret, dum ſibi quiſque, quamquam intactus, timeret; & ſi non propter miſericordiam, tamen propter conditionem communem curaret, vt non ita apertè vis pauperi inferretur; ſi non alia re, ſaltem infamia deteſtatus facinus. Quo pacto igitur? arte, induſtria, fraude, atque vafri iuris colore aliquo, qualem reperire filijs huius ſeculi in promptu eſt;* rapere pauperem, dum attrahit eum in laqueo ſuo] BERISTHO, in reti ſuo. *Tranſlationem pulchrè vrget Vates. Namq́ & exteri quoque auctores perfidiam, fraudes atque dolos, caſsium ac retis, & huiuſmodi venatoriæ*

natoriæ vel aucupis artium ſignificant nominibus. Hoc loco nomen GHANI *appellatum eſt, quod afflictum, humilem, tantumq́ iniuriam atque damnum ferre non item vindicare ſcientem ſignificat; quo nomine iniuriæ improbitas exaggeratur, & miſericordiæ augetur affectus.* Humiliabit eum, inclinabit ſe] *Callidiſsimæ induſtriæ pernicioſiſsimum genus, hypocriſis ſiue ſimulatio ac fictio eſt, tanto quidem fraudulentior minusq́ vitabilis, quanto maiore ingenio & ſtudio ſuſcepta.* Hypocriſis.

Vt qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo, ſic
Occultus certo nocuit plus hoſte doloſus.

Pronomen eum *reciprocum idem hoc loco valet quod* ſeſe. *ita, inquit, ſe ſimulat mitem & mæſtùm improbus, de quo ſermo ſit, vt nihil minùs quàm vis & iniuria ab illo intentari videatur. Perſtat autem in tranſlatione ab inſidiatricibus feris deſumpta: quarum ſitus & habitus in inſidiis nec lectus prorſus apparet, vtpote humi pronè & contractis cruribus in ventrem cubantium, qualis in leone, tygride, ac frequentiùs in harum imitatore domeſtico fele viſitur, à Iacobo ad verum expreſſus.* Requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum? *Iſtiuſmodi verò quietis atque lenitatis prætenſæ primùm ſimulatione, aliud agere atque moliri ait, nempe vt robuſtiùs, duriùs, & acriore impetu atque inſultu in cupitam irruatur prædam.* Gen. 49. Et cadet cùm dominatus fuerit pauperum] *Plura vnico verbo* GHATSVMAV *ſignificantur, quàm Latina lingua vno atque altero poßit rependere. Animalis corporis pars ſolidiſsima & firmiſsima, id eſt, os, nomine* GHETSEM *ſignificatur, à verbo* GHATSAM, *quod firmare, denſare, ſtipare, ac roborare ſignificat; non rarò etiam pro toto vſurpatur corpore. ab eodem fit participium* GHATSVM *tam actiuæ quàm paſſiuæ interpretationis, ita vt vertere liceat* violentum *&* violenter oppreſſum: *ex tranſlatione autem litigantem tam actorem quàm reum ſignificat, illo exemplo:* Contradictiones comprimit ſors, VBEIN GHATSVMIM IAPHRID, & inter potentes quoque diiudicat. *atque ita eadem opera vnicoq́ vocabulo tranſlatiò expedita, & res ipſa apertè expoſita conſtat:* cadet cùm dominatus fuerit pauperum. *Irruet totus robuſtus ac violentus in oppreſſos ſuos integros, quos cauſis ac litibus validiſsimis conficiet. Atque hactenus improborum propoſitum, conſilium, cauſſæ commenta & conatus, ex ordine notata; quibus deinceps mens deliberatioq́ adiungitur & explicatiùs quàm antea refertur; ſuperiùs enim dictum fuerat:* Non eſt Deus in conſpectu eius, &, auferuntur iudicia tua à facie eius. *Verùm quo argumento id, quo ſenſu facere audeat, nondum diſſertum fuerat. iam verò per confortationẽ docet.* Prou 18.

11. Dixit enim in corde ſuo: Oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam ne videat in finem.

Ex multis diuini nominis vocabulis, potiusq́ adiunctis appellandis, EL

L hoc

hoc loco ad iſtam improbi ſententiam vſurpatur : pro quo , FORTEM *&* POTENTEM, *Latinè dicemus; atque ea ratione Deo, qua maieſtas, poteſtas, & præſtantia, tribuitur. Fuit verò impiorum ac inſanientis ſapientiæ diſcipulorum illud cumprimis placitum, diuinam videlicet naturam, vt ab humana comparatione longiſſimè remotam ; ita maieſtatem quoque & præſtantiam, ab omni prorſus humanarum atque adeò naturalium rerum (vtpote humilium & infimarum) cogitatione, mentione & cura, alieniſſimam longiſſimeq́ ſepoſitam.*

Improborum de prouidētia impia ſententia.

Lucr. lib. 1.

Omnis enim per ſe diuûm natura neceſſe eſt
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur,
Semota à noſtris rebus ſeiunctaque longè:
Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Quod auctor iſte dixit, Ipſa ſuis pollens opibus, *vnico vocabulo* EL *cōprehenditur. Similē verò iſti ſenſum, deliberanti improbo in mente hæſiſſe Vates noſter notat ; quē tamen non verbis expreſſerit ob infamiæ ac pœnæ metum, verùm* in corde ſuo *obſirmauerit: idq́ duplici verbo ac modo tractatum, vt duplex iſtorum quoq́ opinio eſt; pars enim res hominum in cōmuni à Deo curari ait, verùm ſingulariter ſingulorū facta non iudicari, vel, quia innumerabilia atque infinita penè ſunt, non pauca negligi ac præteriri, & præmium vel iudicium fallere; præcipuè cùm vltionis diuinæ lentus eſſe dicatur gradus. Cuius quidem ſenſus iſtiuſmodi auditur vox;*

Iuuenal. Sat. xiij.

Vt ſit magna, tamen certè lenta ira Deorum eſt:
Si curant igitur cunctos punire nocentes,
Quando ad me venient? ſed & exorabile numen
Fortaſſe experiar: ſolet his ignoſcere. multi
Committunt eadem diuerſo crimina fato:
Ille crucem pretium ſceleris tulit, hic diadema.

Atque iſti obliuiſci vel negligere interdum Deum res humanas putant: alteri verò prorſus abijcere & relinquere opinantur. vtrique vtrumuis impiè ; ſed peſſimè omnino, qui, nullo metu nulláue tacti religione, intra ſe taciti ſic ſtatuunt,

Horatius.

—— Credat Iudæus apella,
Non ego: namque Deos didici ſecurum agere æuum;
Nec, ſi quid miri faciat natura, Deos id
Triſtes ex alto cæli demittere tecto.

Ex priore autem errore in poſteriorem delabi facile ac pronum eſt. id quod in eo, qui accuſatur, improbo Pſaltes notat : primò enim dixit in corde ſuo, Oblitus eſt Deus, EL *Deus fortis & pollens: deinde addit,* Auertit faciem ſuam, HIZZTHIR PINAV, abſcondit facies ſuas, *in alia nimirum maiora ac ſe digna intendens: demum porrò in altam demerſus impietatem decernit intra ſe*, ne videat in finem. BAL RAAH

LENEZ-

LENEZZAH. nunquam inſpexit in æternum tandem. *Qua ex ſententia duo grauiſſima proficiſcuntur crimina: alterum aduerſus Deum, qui ſe pauperum & inopum patronum & curatorem profeſſus fuerat; alterum verò in communis hominum ſocietatis ac pauperiorum & innocentium perniciem & contumeliam: vtrumque verò vindicandum commendatur Deo. Namque ad gloriam, ad laudem, præſtantiamq́ Dei quicquam præter aut aduerſum illius reſponſa referre, nefariæ atque impiæ ſapientiæ nota inſimulandum. Itaq́ quidquid de Deo diuiniſq́ pronunciatur laudibus, id ne vlla ex parte cum diuinis effatis pugnet, caueri cũprimis oportet.*

12. Exurge Domine Deus: exaltetur manus tua, ne obliuiſcaris pauperum.

Contraria prorſuſq́ oppoſita precatio ſententiæ ac doctrinæ illi, qua EL, *id eſt,* potens pollenſque Deus *humanarum negligens ac ſecurus rerum, nedum minutarum & humilium perſonarum oblitus ab improbis putatur: cùm contra illud ad* EL *maieſtatem cum ſumma bonitate coniunctam prædicandum & adorandum faciat, quòd manum ſuam validam afflictis & oppreſſis defendendis & ab iniuria aſſerendis non ſolùm probet, verumetiam mirabiliter exerceat & attollat. Idem iſtud nomẽ (inquit orator) quo* EL *potentiſſimus pollentiſſimuſq́ diceris, in curanda ac protegenda inopum cauſſa, vt ſoles, tueri ac declarare, conſentaneum in primis fuerit reſponſo illi;* Deus pauperum vindex.
Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, *Exod. 3.*
propter duritiam eorum, qui præſunt operibus. *& iterum:* Ego ſcio quòd non dimittet vos rex Ægypti vt eatis, niſi per manum validam. Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus ſum in medio eorum: poſt hæc dimittet vos. *Huius validæ atque extenſæ manus exemplum inopibus iuuandis & ab oppreſſorum iniuria liberandis renouandum Vates appellat, vt videlicet illa veriſſima probetur doctrina:* Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat? *Pſal. 112.* (*vbi quamquam pollens nulliuſq́ indigens manet ſemper*) *tamen* & humilia reſpicit in cælo & in terra; ſuſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem. *Atq́ hoc pacto vna eademq́ opera & impiorum doctrinam redargutum, & audaciã punitum, iniuriamq́ in bonos ac probos graſſatam propulſatum, ac diuinæ prouidentiæ, curæ & æquĩtatis exemplum ſpectatum confirmatumq́ iri aſſeuerat. Primam itaque cauſſam diuinæ maieſtatis læſæ atque ideò aſſerendæ perorat Vates, à rei indignitate & opinionis impietate argumentatus:*

13. Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde ſuo: Non requiret.

Diſertiſſimâ figurâ diuini numinis maieſtati & ſanctitati inuidiam aduerſum improbitatem Vates facit, illud arripiens argumentum, quod nullo

pacto diſsimulandum vel prætereundum cenſeatur. Nam nomen ſuum ELOHIM, *id eſt, rectoris gubernatorisq́; mundi, ab omni contemptorum audacia & impietate quin Deus vendicet, res & ratio, naturaq́; ipſa diuina non patitur. Nullo autem pacto diuina illa auctoritas aptiùs, opportuniùs ac ſanctiùs, mortalibus declaratur, quàm hominum factis cognoſcendis & iudicandis: iudicis verò muneris primæ partes primaq́; cognoſcendi atque examinandi facti cura eſt. S. S. E.* Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: an non eſt ita, vt ſciam. *Harum autem partium conſtantia & veritas conſequentem ſolicitat iudicij exercitationem. quam vt quis inficietur, illud prius negare ſatagit, mortalia nimirum Deo curari, vtpote ſui maieſtate numinis longè nimium tenuiora ac minora. Sed iſta nefaria ſententia nihil magis eſſe poteſt vel numini infenſum &, vt ita Latinè loquamur, inuidioſum, vel hominum intèr ſe ipſos coniunctioni ac ſocietati pernicioſum: ideoq́; à Vate cum clamore ac deteſtatione indignitateq́; vehemente inſimulatur:* Propter quid irritauit impius Deum?] Irritauit, *hoc loco idem nobis atque irritum facere ſignificat: verſum enim eſt ex verbo* NIETS, *quod Latinè irritum facere, negare, & inficiari ac prætermittere eſt. vnde apud Latinos* NEGARE *vſurpatum. Ait autem Vates,* ELOHIM, *id eſt, Gubernatoris Dei improbis irritandi & negandi mentem ex eo inſediſſe, quòd tenuis primùm atque minuta videretur, imò & crederetur, cura de factis criminibusq́; mortalium ſingillatim inquirendi. Atqui inquiſitionem exceptam iudicium prorſus atque gubernatio neganda conſequuntur. Nec verò ſententiam iſtam ab improbis & contemptoribus palàm pronunciari vel defendi, vtpote callidè omnia & aſtutè gerentibus, ſed* dixit in corde ſuo. *Animus impia opinione confirmatus accuſatur, atque ex hoc fonte nefaria cogitata & iniuſtiſsima facta manare deprehenduntur.* Non requiret.] LO THIDROS. *Verbum iuridicum* DARAS *quod ſcelera factaq́; alicuius inquirendo cognoſcere ſignificat.* VE DARASV HASOPHETIM HEITEB. *quod interpres noſter vertit;* Cumque diligentiſſimè perſcrutantes inuenerint [*iudices*] *& illud:* Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum: & de manu hominis, de manu viri & fratris eius, requiram animam hominis. *idem verbum illis aliisq́; legitimè vſurpatur locis. Iſtiuſmodi autem improborum ſententiam, vt planè impiam ac diuinæ maieſtati & auctoritati infenſam, humanoq́; exitialem generi, in ſummam inuidiam adducere ſtudet Vates, cura cum primis & prouidentia Dei appellanda & aſſerenda, & legitimis etiam prædictionibus obteſtationibusq́; citandis.*

Deus rector & iudex.

Gen. 18.

Negare.

Deut. 19.

Gen. 9.

14. Vides

14. Vides, quoniam tu laborem & dolorem conſideras, vt tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor.

Impia ſententia atque peruerſa improborum mens certiſsimo Dei reſpōſo redarguitur & conuincitur. Nam qui diuinæ naturæ humanarum curam detrahunt rerum, moleſtiæ vacuitatem prætexunt: quippe qui rebus hominum nimia ac denſa volutis caligine, plerumque duris & grauibus atque violentia & iniquitate agitatis, tranquillitatem & quietem Dei ſolicitari ac turbari indignum eſſe putent.

Reliqua Commentarij in hunc Pſalmum deſiderabantur in autographo.

IN PSALMVM X.

FR. IOSEPHO SIGVNTINO HIERONYMIANI INSTITVTI MONACHO SALVTEM.

MIrérne, tibi docto, pio & innocenti viro, atque humanę gloriæ contemptori, à nonnullis, de quibus bene fueris meritus atque etiam nunc mereris, inſidias & contumeliam fieri; an gratuler potiùs? Mirarer equidem ſi iſtud grauiter iniquoq́ue ferres animo, quod inter communia & vſitatiſſima virtutis veræ exercitamenta, pericula & argumenta, iam inde ab humanæ gentis primordiis numeratum, Abelis & Caini declarauit exemplum; vt tu ſcilicet vnicus in terris viuens ac ſentiens virtutem ſimul colere, idemq́ue inuidiam placare parares: quod perinde facile obtentu arbitror, ac ſi quis luce pariter frui, tenebraſq́ue fouere contenderit; cùm tamen vtraque res interiecto diuinitus interuallo prorſus diſcreta ſeiunctaq́ue perſeueret. Verùm enimuerò cùm te tibi nihilominus conſtare ſciam, & eos

Virtutis comes inuidia.

qui tibi obeſſe moliuntur, officiis ac beneficiis afficere intelligam; reliquum eſt vt & ipſe gratulatione te proſequar, adepti & obtenti inter priſcos & recentiores pietatis cultores loci: quorum virtutibus excitandis & adaugendis, inuidia ac liuor non ſec ùs atque vehementi igni ventorum inſeruire ſolent flatus. Vale, & Dauidis vtriuſque, id eſt, Ieſſei & Mariæ filiorum, imaginem quam tibi ad animi conſtantiam proponas, hoc Pſalmo expreſſam contemplare. Hiſpali Idib. Ianuar. cIɔ. Iɔ. XCVII.

ARGVMENTVM.

Vulgare iudicium.

Vlgus hominum, ac præcipuè aulicorum, ius & iniuriam, atque adeò fas & nefas, ex principum animo & affectu plerumque ſtatuit; ſiue id ex adulatione, ſiue ex metu ac propriæ ſingulorum inuidiæ priuatiq; periculi declinatione proficiſcatur. Saulis regnum, quod aliàs conſtabilitum putabatur, Dauidis ambitione & audacia turbari ac laborare partes criminabantur: idq; concitato ſiniſtris rumoribus odio vulgabant: vnde & ſuis metus, & populo reliquo ſiniſtrum gliſcebat iudicium: vtriſq; verò commune tum votum tum conſilium, vel voluntario Dauidis, vel coacto exilio, tantum regni & reipub. incommodum poſſe ac debere declinari: aliàs nullum patere ad ſalutem perfugium manenti & propoſitum vrgenti homini, cuius impares omnino habebantur vires, & cauſſa ipſa longè eſſet humilior; quare & nulla euentus cenſenda fiducia. Totam verò ſententiam accuſationemq; iſtiuſmodi, prouidentiæ veritatiſq; Dei, & ſuæ ipſius innocentiæ ac ſimplicitatis oppoſitione diluit Vates, dum iudicem citat vindicemq; appellat Deum: quem ſolum iuſtum, rectum, ſapientemq; gubernatorem prædicat, nempe ſolitum, quæ malè inita perperamq; tractata atque deducta fuerint, euertere; contrà verò, ea prouehere, firmare, & ſtabilire, quæ rectè ac iuſtè pieq; inſtituta ſint. Exorditur oratio à ſingulari ſui ipſius argumento; contexitur verò communi diſſertatione de iuſtitiæ atque iudicij diuini in vtramque partem veritate.

1. In finem, Pſalmus Dauid.

2. In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: Tranſmigra in montem ſicut paſſer?

Omnium tam propinquorum & æquiorum Dauidi, quàm iniquorum & inimicorum ſententia, cenſura, & vox erat, nullo alio pacto ſalutem poſſe conſtare, niſi vt arrepta fuga latebræ procul omni hominum conſpectu & occurſu atque inſidiis, tanquam aui cuipiam ab aucupibus inſectatæ, peterentur. Quam orationem ſic ille excipit & retundit:

Quod

Quod ad ſalutis animæ, id eſt, vitæ meæ perfugium attinet, In Domino confido, *vnico vitæ meæ propugnaculo ac præſidio*, quomodo dicitis animæ meæ; Tranſmigra in montem ſicut paſſer? *In exemplari lingua,* NODV HARCHEM TSIPOR, migrate trepidè in montem veſtrum volucris. *ſinguli ex vobis trepidi ac metuentes petite montem veſtrum. Non modò Dauidem ipſum, ſed eos qui ſe ſequerentur, exilij, & latebrarum, inſtabilitatis ac trepidationis damnatos explodi ait: fruſtra tamen id agi aduerſus hominem, miſericordis numinis tutelæ fidentem ac ſeſe permittentem. Huius namque ſignificationis nomen* IEHVEH *hoc in reſponſo appellatur. Atque ad hanc imaginem illud pertinet, quod apud Saulem aliquando Dauid conqueſtus narratur, ſe, inquam, priuatum & inopem atque innoxium, imò de rege ac repub. bene merentem, à potentiſſimo principe Iſraëliſq́; rege perdicis inſtar ab aucupe ſectari ac peti. Nomen* TSIPHOR, paſſer *ſiue* volucris *collectiuum eſt, genusq́; appellat:* Paſſer. *ideo verbo plurali iungitur linguæ idiotiſmo. Ait verò non nouum ſibi iſtud accidere exemplum, tametſi, cuicunque id accidat, ſit moleſtiſſimum, vt improbi, dum cauſſæ non fidunt ſuæ, probos & innocentes viribus, potentia, ac dolo perdere moliantur. Communem ergo proborum & innocentum inter homines querelam, calamitatem, atque perſonam ſibi etiam nunc ſuſtineri aſſeuerat, eamq́; ad ſimiles diuini iudicij rationes examinatum & conſtitutum iri ſubindicat: id quod eadem inſectatarum auium tranſlatione vſus proloquitur, ſe inquiens iſtiuſmodi vocibus à ſuis moneri, à vulgo etiam terreri, non propter vllum ſuum malum meritum aut indignum facinus, ſed.*

3. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.

Improbos atque malæ cauſſæ actores nomen peccatores RESAGHIM, *hoc loco ſignificat: quos vi, fraude, dolo, ac multitudine, nullis præterea bonis artibus, nullo iure niti ait. Atque iſtorum negotia cuncta aucupum & venatorum laqueis, arcubus, ac ſagittis eſſe dicit ſimilia, nullo ſuo periculo innoxiis auibus & animalculis inſidiantum. Cuius etiam ſignificationis illud eſt:* Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium: A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris. Rectos corde, *qui non ſolùm facto, ſed neque conſilio aut cogitatu quemquam læſerint. Hactenus propoſitio ac propoſitionis vanitas notata, cui criminis deriuatio ſubiungitur. Nam quod crimen prætendebatur aduerſus Dauidem, illud erat, nimirum quòd Saulis dignitas & auctoritas, Dauidis audacia, opera, & facinore tentata turbataq́; labaſceret. In quo argumento falſæ interpretationis vitium manifeſtè deprehenſum Vates redarguit. Et quidem rem ipſam, hoc eſt, regni & auctoritatis atque felicitatis prioris*

turbationem, patere quidem, nec à ſe inficiari ait; verùm in eo ab aduerſarijs peccari, quòd non cauſſa pro cauſſa perperam arguatur. Oportebat enim aliquod rei facinus indicari, quod culpæ dari poſſet manifeſtæ. id quod ne fingendo quidem ab accuſatoribus obijci poſſe aſſeuerat.

4. Quoniam quæ perfeciſti, deſtruxerunt: iuſtus autem quid fecit?

Latinæ interpretationis contextus, ruinæ Saulis auctorem Deum indicare & compellare videtur, dum actiuo reddit verbo, quod in exemplari paſſiuè legitur. CHIHASATHOTH IIH HARETSVN. *Ex verbo,* Quòd ſita ac poſita diruantur. *ad illud Sauli Samuelis reſponſum alludit:*
1. Reg. 13. Sed nequaquam regnum tuum vltrà conſurget: quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus vt eſſet dux ſuper populum ſuum, eò quòd non ſeruaueris quæ præcepit Dominus. *Nam Saulis regia domus, quæ iam firma & conſtituta perpetuam ſibi felicitatem arrogare viſa fuerat, repente turbata atque labaſcens admirationi quidem erat, humanarumq́ue rerum inſtabilitatis exemplum præſens, cauſſa verò quamobrem tam citò vitium feciſſet, mendoſè & iniquè Dauidi viro non modò innocenti ac puro, verùm etiam fideli atque officioſo, imputabatur.* Iuſtus autem quid fecit *mali aut improbi facinoris? quid conſilij iniuit aduerſus domum Saulis? quid vel occepit? vt ruinæ aut labefactationis crimen ſuſtineat.* Quid fecit, MAHPAGHAL, *verbum non ad actionem, ſed ad rem opusq́ue refertur. Namque actiones animi nudas Deus vnus diſcernit, humano ſenſui non niſi ex factis factorumq́ue coniecturis iudicandas: in quo etiam iudicio homines falli interdum ſolent: quibus cùm nullum conſtet factum, aliorum ſenſus & mens iniquè prorſus arguitur.*
Matth. 7. *S. S. E.* A fructibus eorum cognoſcetis eos. *Hac veri doctrina illa* IESV
Iohan. 8. *Chriſti defenſio nititur:* Quis ex vobis arguet me de peccato? *Igitur turbatarum inimici rerum culpa à ſe legitimè depulſa, veras cauſſas rationeſq́ue Dauid indicat, nempe iudicium Dei, cuius notitiam non modò facta hominum, verùm nec acta & cogitata latere aut fallere poſſunt.*

5. Dominus in tẽplo ſancto ſuo, Dominus in cælo ſedes eius: Oculi eius in pauperem reſpiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum.

Dei regnũ. *Prior huius verſus pars, totius orbis, atque adeò in hominum genus regnum vnicum, æternum, & ſanctiſſimum, vni miſericordi & efficaciſſimo*
Dei templum. *Domino adſcribit.* In templo ſancto ſuo] BEHEICHAL KODSO, in aula *ſiue* palatio ſanctitatis ſuæ. *Quamquam in figura & imagine templum ſiue tabernaculum, quod tunc extabat, indicare videtur, tamen ad verum tabernaculi exemplar, quod Moſi in monte monſtratum fuerat,*

reſpicit

reſpicit atque collimat ſenſus ipſe. Significat enim reges & principes, atq; auctoritatis compotes omnes viros, non naturæ aut induſtriæ ſuæ miniſterij & ordinis ius, verùm vni diuinæ auctoritati acceptum referre oportere. S. S. E. Non eſt poteſtas niſi à Deo. *ideoq; Dei ſeſe miſſos & mandatarios debere ducere.* Ego dixi: Dij eſtis, & filij Excelſi omnes. *Verum enimuerò ſanctiſsimã domum & aulam, qualẽ Dei eſſe veritas ipſa probat, nihil iniuſtum, nihil peruerſum, nihil denique admittere impurum aut improbũ, ſed vitia omnia prorſus reijcere ac depellere ſolitam, tantummodoq; ea probare, quæ cæleſtem ſimplicitatem, puritatem, atque ordinem ſpeciemq; referant & præſtent. S. S. E.* Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, ELOHEI CHEM, *Deus, rex, & iudex gubernatorq; veſter. Atque hæc breuiter de auctoritate, puritate, & ſanctitudine regiæ Dei: de iudicio autem & examinatione erga eos, quos miniſtros optari, diligi, retineri, aut reijci abdicariq; oportet ſubiuncto pronunciatur hemiſtichio.*

Omnis poteſtas à Deo.

Pſal. 81.

Leuit. 11. & 20.

Dominus in cælo ſedes eius] CHIZZAO, *thronum, ſiue ſolium regium, atq; etiã magiſtri & iudicis cathedram ſignificat; neq; ad puritatem ſolùm, verùm ad facultatem & præſtantiã, Deo ſolium in cælis dicatũ referendum eſt: nihil enim in terris agi fieriue poteſt, quod puriſsimos Dei in ſupremis cælis conſidentis, indeq; omnia ſubiecta vel vnico obtuitu perluſtrantis, effugiat aut lateat* oculos. *cùm & ſpeculatores in altiori conſtituti loco inferiora ac depreſsiora quæq; conſpicere ſoleant.* Palpebræ *autem, animalium quibus contingunt oculis non ad ornatum tantùm, ſed etiam ad vſum faciunt, cùm cuſtodiæ & conſeruationis oculorum, tum dirigendæ in ea quæ obijciuntur aciei, & inſpectæ rerum imaginis intra pupillarum ſepta excipiendæ. Nam quæ ſuprà infráue palpebras contingunt ſpecies, inſpicientis certum excedunt ſenſum. Atqui Dei oculorum tantam amplitudinem docet eſſe Pſaltes, vt nulla hominum totius orbis facta, nulla acta, nulla ſtudia, nulla denique cogitata vltra citraq; palpebrarum immenſum diducantur ſpacium.* Interrogant filios hominum] IIBAHHANV BENEI ADAM. examinabunt [*examinant ſemper*] ædificationes ædificataque hominum primum hominem exprimentium. *Adeò nullum in ſacris verbum ſingulari atque animaduertenda deſtituitur ſignificatione: quam perſequi commentarioli inſtituta non ſinit breuitas. Certiſsimam itaque nec non perpetuam Dei erga hominum res curam (quod ad cognitionem attinet) hic verſus adſtruit: mentem verò & iudicium circa eaſdem cenſendas, eueſtigio qui ſequitur, verſus diſtinctè ac dilucidè exponit.*

Dei ſoliũ.

Palpebrarum vſus.

Dei oculi.

6. Dominus interrogat iuſtum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

Dominus interrogat iuſtum & impium] TSADIK VERESAGH. *Duo hæc verba forenſia ſunt, cum quibus apud Latinos* probus

Probus.

IN PSALMVM XI.

FRANCISCO PACCIECO CANONICO HISPALENSI S.

GAudeo vehementer, tibiq́ue iſtum gratulor animum, quem ſemper æquum ſibiq́ue perſimilem temporibus ac locis cunctis conſeruas & præſtas. Nullam quippe in terris mortalium conditionem ei præferendam arbitror, cuius rationes ita ad vitam ſubductæ conſtant, vt quocumque in ordine, quacumque in parte rei humanæ locatus fuerit, nihil ſibi incommodi niſi ex vitio, nihil commodi niſi ex virtute ac pietate creari aut euenire poſſe putauerit. Quare ſiue diues ſiue inops, notus & hominibus clarus, aut contrà obſcurus ac latens agat; imò ſiue valeat vel ægrotet, omnia hæc ad felicitatem, nihil vel ad miſeriam duxerit pertinere; ſolamq́ue vitæ integritatem, & conſuetudinis apud eos quibuſcum agit ſimplicitatem, ad promiſſorum diuinorum ex fide & ſpe obtinendam veritatem, demum cognoſcendam, commodas & opportunas iudicat, ſtatuit, ac præſtat. Macte ergo virtute, qui eundem probitatis locum, quem iampridem iunior & minùs diues fortiter ſeruabas, nunc locupletior ac ſenior obtines ac tueris; & quacumque ſorte ſapienter egeris, & lætus vixeris. Quod vitæ propoſitiq́ue genus quantum Deo probatum conſtet, ex eo quem gratulationis ergò tibi Dauidis pſalmum inſcribebamus, intelliges, non vt à ſapientiæ & multarum artium notitiæ, quibus tu apprimè inſtructus es, profeſſore, ſed vt à ſimplici, veteri, ac tui diligentiſſimo amico, imò & fratre, profectum. Vale. Hiſpali, XVI. Kalend. Febr. cIↃ. IↃ. XCVII.

Hominum ad beatitatem conditio quæ optima.

ARGV-

ARGVMENTVM.

HVmanarum rerum turbationi ac procellæ, diuinæ prouidentiæ, virtutis, atque iuſtitiæ, vnicè efficacem opem vouet ac poſtulat Vates: quãdo nullum in terris conſtare iam videatur ſubſidium, hominibus cunctis ad proprium vniuſcuiuſque commodum conuerſis, & pietatem, ius iuſtitiamq́; omnem, atque adeò miſericordiam, verbo quidem ac ſermone vt multum iactantibus, re autem vera prodentibus ac ſpernentibus, vitia verò cuncta non ſolùm vrgentibus, verùm lingua etiam & oratione obuoluentibus & decorantibus. Ex quo fit, vt qui propter ſimplicitatem ingenij vel vitæ imbecillitatem ſibi conſulere ſeſeq́; defendere non valent, nullo vindice aut aſſertore, à potentioribus vexentur & opprimantur. Verùm enimuerò malam iſtiuſmodi tempeſtatem diuini iudicij veritate diſcuſſum iri præcinit Pſaltes, inductus certo eloquio Dei, ſeſe miſerorum & calamitoſorum defenſorem ac tutorem profeſſi, ſuisq́; ipſius dictis & effatis nunquam defuturi.

1. In finem pro octaua, Pſalmus Dauid.

SVblimium ac præſtantiſſimorum cantandi modorum genus, quo vocum ſoni egregia concinnantur ratione, atque auditorum ſenſum vi multa pulſant, in ſacra lingua LEMNATSEAHH *inſcribuntur:* In finem. *quod ex verbo* AD PRAESTANTEM *vertimus: aliàs Latinus, quem ſuſcepimus, interpres* Sapienter *vertere ſolet, vt Pſalmo 46.* Pſallite ſapienter, SAPIENTER. LEMNATSEAHH, *id eſt, vehementibus & efficacibus modis, quòd ſic operis argumentum & lex exigat. Quod verò adiungitur,* pro octaua, *ſiue,* GHAL SEMINITH, ſuper octauam, *ſignificat,* Octaua. *non ſeptem tantùm chordis, quæ in pleriſque carminibus ictæ & numeratæ ſonabant, ſed octaua etiam, qua primæ ſonus geminatus vehementiùs ad aures perueniebat, vti conuenire ducebatur, propter canendæ ſententiæ dignitatem; & grauitatem clamoris & expoſtulationis, atque adeò accuſationis partes excipientem & peracturam. Namque muſica inſtrumenta, quorum in ſacro frequens vſus erat, ad denos vſque chordarum ſiue fidium ordines continuiſſe accepimus.* Inſtrumẽtorum muſicorum fides.

2. Saluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.

Humanæ conſuetudinis partes omnes in duo tantùm diducuntur genera officiorum: alterum in rebus ponitur, quibus ſe inuicem iuuare conantur; alterum eſt eloquij ac ſermonis, quo ſe mutuò homines intelligunt. Vtriuſque generis prima origo ex animo ac mente ducitur: cuius propriam & præcipuam in corde ſedem ſacra ſtatuit philoſophia. Cor autem, vti natura Humanæ conſuetudinis partes. Animus in corde.

& re vnicum eſſictum conſtat, ita etiam actione ſimplex & purum ſeruari oportuerat, vt in omni mortalium, quamuis innumerabili, multitudine, tamen vna eademq́ue mentis & conſilij conſeruaretur præſtareturq́ue ratio, veritatis, inquam, & fidei, quibus & officia rectè inita fierent, & eloquia atque colloquia pura, candida, ſincera atque aperta proferrentur. Vtrumque verò genus peruerſis hominum violatum corruptumq́ue moribus, Deo vindici & reſtitutori inſtaurandum vehementi clamore ſtudioſiſſimóque voto commendat Vates, nomine cumprimis appellando illo, quod miſericordiæ pariter ac veritatis diuinæ arcanam continet ſignificationem, quódque in extremis calamitatibus appellando vſurpare ſacri conſueuere Vates. Extremam verò miſeriæ turbatiſſimámque tempeſtatem eam eſſe ait, qua nullus iam verè & ſolidè pius extet, nec veræ atque humanæ conſuetudinis vel ſermone celebrandæ reperiatur cultor. Quoniam defecit ſanctus] GAMAR, deſiderari *Latinè dicitur id, quod opportunum neceſſariumq́ue cùm fuerit, extinctum tamen, de medióque ſublatum requiritur.*

Sanctus. HHAZZID, *ſæpe* ſanctum, *interdum* miſericordem *aut* probum *vertit interpres noſter. Animorum & mentium, ex quibus recta proficiſcuntur officia, probitatem, ſimplicitatémque deeſſe ac deſiderari prorſus, Vates clamat, eiusq́ue mali vindicem Dominum appellat miſericordem, ſine cuius ope & cura nulla effugiendi aut vitandi conſtat ratio, præcipuè cùm nec probè noſcendi pateat facultas; quandoquidem non ex rebus & factis tantùm rectitudo, verùm è ſermonibus quoque veritas ac ſimplicitas adempta fuerit. Nam ſi malum vocaretur malum, ſi bonum item bonum, qua ſibi homines, præſertim ſimpliciores, cauerent ſaltem vt non deciperentur; ſupereſſet via: contrà tamen res habet,* Quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum] PAZZV *verbo, quidquid à ſimplicitate & puritate naturæq́ue ſuæ facie abalienatur, propriè notari ſolet. vnde multicoloribus veſtibus, quas* Canianti *Itali, Hiſpani* Torna ſoles *vocant, nomen* PAZZ, *& pluraliter* PAZZIM *impoſitum. Nihil autem ſimplicius & candidius natura ſua in omni humana ſocietate eſſe debet, quàm ſermonis & colloquij veritas atque fidei pura ſanctitas: quamobrem vel poëtis*

Veritas nuda. *etiam exteris nuda depingitur Veritas: quæ ſi palliata prodeat, agnoſcendam ſeſe negat, maximè verò ementitam præbet, cùm variis coloribus fucari ſuſtinet. Itaque fidem veritatemq́ue fucis & coloribus infectas,* diminutas *noſter vertit interpres: idq́ue vitium non vltro à virtutibus conceptum, ſed à* filiis hominum *acceptum pſaltes accuſat; contra illud ab initio*

Sermonis ſimplicitas. *Matth. 5.* *hominibus inditum, & à Chriſto repetitum præceptum:* Sit ſermo veſter EST EST, NON NON: quod his abundantius eſt, à malo eſt. *Mirum verò ac maximè indignum exemplum, cùm ſuæ à ſingulis rerum naturæ generibus rationes adamuſſim integræ inuiolatæq́ue maneant & conſeruentur, tamen humanæ vitæ & ſocietatis pretioſiſſima & opportuniſſima fundamēta, id eſt,* veritates, *ab ipſis Adæ filiis proditas, violatas, & contaminatas euaſiſſe. idq́ue non vna tantùm fallendi ac violandi ſpecie; quinimo*

3. Vana

3. Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum: labia doloſa, in corde & corde locuti ſunt.

Conſuetudinem & colloquia inter homines non deeſſe ait, ſed perperam vſurpari, vtpote nihil ſolidum crepantes, nihil quod ſibi ac ſimplici vero conſtet & conſentiat; ſed vana effata, atque eius, quam præferunt, ſignificationis expertia; ita tamen compoſita & colorata, vt in quemcumque conſequentem poſtea exitum ab iis qui protulerint, verſutè deriuentur ac torqueantur; & cùm maximè falſus atque deluſus fueris, mendacium tamen, quo læſus es, deprehenſum non poßis arguere. Neque verò iſtiuſmodi conſuetudinis ac morum peruerſitatem hoſtes tantùm (quibus tamen fidem non ſeruare nefas fuerit) aut priuatos inimicos attingere notatur; ſed, quod indigniſſimum atque prodigio ſimillimum eſt, vnuſquiſque ad proximum ſuum; *vt nemo alteri vel fidat, vel ſimplici & ingenuo ſermone conſueſcat, ſed mutuis inter ſe dolis & fallaciis agant, ſuiſq; vnuſquiſque tantùm conſulat & caueat commodis. vt enim nulli ſimplex, ſed ſingulis duplex contra rerum naturam fictum ineſt cor, alterum, quo ſibi ſapere, alterum verò, quo aliis imponere ſtudent; ita etiam verborum atque ſermonis anceps & verſuta meditatio, honeſta in ſpeciem oratione, verùm ambiguæ interpretationis compote, pronunciatur.* Labia doloſa, in corde & corde locuti ſunt] SEPATH HHALAKOTH, labium lubricitatum. *Labium pronunciandæ orationis præcipuum inſtrumentum, vt in linguarum arte docebamus; id quod natura nec oſſeum, nec ſit merè carneum, ſed cartilaginem potiùs referat; nec duritiem nec mollitiem ſponte admittit, ſed mediam quandam ac ſimplicem vim, qua conceptæ vocis exprimit & conformat aërem; eoq; pacto* SAPHATH BERVRAH, *hoc eſt, labium ſimplex, purum, & clarum dicitur, cùm ſuam vim citra fucum, citra artem, ſed merè ac propriè exhibet: cùm verò vel nimis durè ac rigidè inſolenterq;,* KASSEH; *cùm blandè, acutè, aſtutè, exquiſitis modis leniter exercetur,* HHALAK, præterſum, lubricum, *atque, vt interpres noſter vertit,* doloſum labium *dicitur. Vitium vtrumque in humana ſocietate malum, verùm poſterius hoc longè pernicioſiſſimum propter ineuitabilis deceptionis noxam: ambo autem deteſtatione, & execratione digna, à bonis & ſimplicibus cenſentur animis.*

Cor duplex.

Labium pronunciationis inſtrumentum.

Labium ſimplex.

Labium durum.

Labium doloſum.

4. Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.

Labia doloſa quæ dicantur explicuimus, eaq; in filiis hominum à veritate alienorum communiter notari intelleximus; nulla verò exceptione, vti Deo inuiſa, punitionis atque excidij damnata pronunciat Pſaltes. Diſperdat IICHARETH, *præſcindet, amputabit,* Dominus *ſimpliciſſimus & veraciſſimus, miſericordiſſimus & beneficentiſſimus, mali doli,*

doli, damni, & incommodi aliis inferendi oſor acerrimus. Sic interpretamur hoc loco nomen IEHVEH. Linguam magniloquam] *Labiorum fallacia, ſimulatio, cōpoſitio, & verſutia communiter in filiis Adami damnatur; quibus communis etiam potentiæ & imperij in alios appetitio velut inſita notatur, ex illa inimici perſuaſione,* Eritis ſicut Dij. *verùm enimuerò fingendi & fallendi vitium, aditum & viam ad imperium inſtruit. Ambitio namq; potentiæ curatrix, ac præuia ſolicitatrix & miniſtra eſt. Hæc vbi propoſiti compos euaſerit, locumq; obtinuerit optatum, non blandis iam & verſutis, ſed magnificis verbis, argumentis, atque decretis maieſtatem parteſq; tuetur, defendit, & promouet ſuas. hoc genus eloquij* magniloqua lingua *in ſacris vocatur ſermonibus. Tanta verò eſt humanæ vitæ peruerſitas, tam præpoſtera conſuetudo, vt qui ad ſimplicem communicationem mutuamq; caritatem fouendam & colendam datus fuerat hominibus vltro citroq; ſermo, ad fallaciam, fraudes, atque dolos, demúmque ad vim inferendam ſimpliciorúmque oppreſſionem, traductus & vſurpatus accuſetur.*

Ambitio. Gen. 3. Lingua magniloqua.

5. Qui dixerunt: Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?

Ambitionis artes.

Ambitioſorum & cupidorum potentiæ atque opibus inhiantium mentem & orationem, verſus hic per oratoriam conformationem exprimit. qui ſe magnificis verbis & ſublimiori dicendi generi interim aſſuefaciendos prædicant, dum per blandos & lubricos fallaceſq; ſermones id quod venari ſtudent, captare & aſſequi pergunt: vtrique autem generi ſeſe ita operam dantes aſſuefacere profitentur, vt mortalium cedant aut ſuccumbant nulli. Si ſcimus noſtram rem verbis magnis & legum atque decretorum grandibus tueri argumentis, ſi huiuſmodi præſtamus facundia, ſi vt hæc adipiſcamur fallere iuſtiq; videri nouimus, quis noſter Dominus eſt? *Huic profectò exemplo perſimile illud apud bonum auctorem de huiuſmodi ingeniis hominum diſſerentem adſcribere non pigebit.*

Perſ. Sat 4.

Rem populi tractas (barbatum hoc crede magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit quem dira cicutæ)
Quo fretus? dic ô magni pupille Pericli,
Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox
Ante pilos venit, dicenda tacendaque calles.
Ergo vbi commota feruet plebecula bile,
Eſt animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ
Maieſtate manus: quid deinde loquere? Quirites,
Hoc, puto, non iuſtum eſt, illud malè, rectius iſtud.
Scis etenim iuſtum gemina ſuſpendere lance
Ancipitis libræ, rectum diſcernis, vbi inter
Curua ſubit, vel cùm fallit pede regula varo.

Talium

Talium quidem ſermonum ac verborum, tam grandiloquæ linguæ compos homo, tamen corruptiſsimis deinceps mentis, ingenij, atque vitæ depingitur moribus; vtpote cuius artes omnes ad fallaciam primùm, tum verò ad potentiam conformatæ arguantur: demum verò omne iſtorum ſtudium circa ſimpliciorum ac tenuiorum oppreſsionem & compilationem verſetur. id quod non diutius laturum ſeſe ſæpe ſæpius profeſſus eſt Deus.

6. Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Ponam in ſalutari: fiducialiter agam in eo.

Vaſtationem ac direptionem oppreſſorum, tum verò inopum & egeſtate laborantium curam ſibi iam in promiſsis receptam reapſe declaraturum & probaturum confirmat Deus: Si clamauerit, *inquit,* ad me [*pauperior & oppreſſus*] ego exaudiam, quia miſericors ſum. (Exod. 22.) Nunc exurgam *ad vltionem in eos, qui malefecerint, atque ad ſalutem & liberationem tutelamq́ inopum.* Nunc, *opportunitatem indicat iudicij diuini demonſtrandi & aſſerendi publicè tum cùm maleficium admiſſum fuerit, nec inficiari aut defendere, quamuis lubrica, quamuis magnifica lingua poſsit. (Nam, quod ait Sophocles,* κλέπτων ὅταν τις, ἐμφανῶς ἐφευρεθῇ, σιγᾷν ἀνάγκη, κἂν καλὸν φέρῃ στόμα.) *S. S. E.* Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. *Nec verò interim turbare quenquam debet inopum & oppreſſorum calamitas, vtpote cuius exitus diuina ſalute & conſequente ſecuritate fuerit demum ſtatuendus. Hoc eſt quod eueſtigio declaratum, & expectandum ſubiungitur:* Ponam in ſalutari: fiducialiter agam in eo] *Seruabo, inquit, inopem, innocentem atque oppreſſum, ſecurumq́ de cetero ſtatuam. Talia autem Dei effata, dicta, & promiſſa nullam commentationem, nullam ſiniſtram interpretationem, aut in quemlibet euentum deriuationem admittere dicit Pſaltes, (qualia filiorum hominum eloquia & verba duplicia atque verſuta, paulo antè hoc notabantur) ſed ſimpliciter id in ſpiritu ac veritate ſignificare, quod ſonant. quamobrem ſuo opportunoq́ tempore certis firmatum iri euentis.*

7. Eloquia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.

Duplici comparatione, altera ex ſimili ad naturam, altera verò ex contentione ad humani eloquij vitium relata, diuinorum effatorum conſtantia, veritas, & efficacitas prædicatur, & ad ſalutis & incolumitatis proborum & ſimplicium ſpem atque exſpectationem commendatur. (Diuini verbi præſtantia.) *Quidquid vnquam dixerit effatusq́ fuerit Deus, puritate, nitore, ſimplicitate, & firmitudine atque duratione & incorruptibilitate, defecatiſsimo eidemq́ candidiſsimo* argento *perſimile eſt, quantum diuina & ſpiritualia terrenis & elementaribus naturis conferri ſeſe patiuntur, ad figuratum cognoſcendi*

modum, cuius tantummodo homines, vt homines vocantur, ſunt compotes; argento, inquam, ſepties, id eſt, ſæpe ſæpius ad extremum vſque examen, excocto ac depurato. Probatum terræ] *Terra hîc fictile illud dicitur catinum, quo argentarij & aurifices in ſublimioribus metallis purgandis vtuntur, vulgo* cryſol *vocatum.* Septuplum] *multoties, quòd is numerus ex pari & impari conſtans, multitudinis atque abſolutæ exactionis vim præſtet. Laudata igitur dictorum Dei veritate & efficacitate (quod in argumentatione propoſitionis vicem præbet) id quod intentum fuerat ac probandum colligitur, hoc pacto ad communem diſſerendi formam reuocandum.* Eloquia Domini *puriſſima & conſtantiſſima fideliſſimaq́; ſunt: ipſe verò ſeſe inopum ſeruatorem ac tutorem pronunciauit: præſtabit igitur re & facto id, quod receperit. Duabus primis argumentationis partibus, quamquam inuersè, poëtico more præmiſſis, propoſitione videlicet & aſſumpto, tertia ſubſtruitur collectio.*

Argenti purgatio.

Septenarius.

8. Tu Domine ſeruabis nos, & cuſtodies à generatione hac, in æternum.

Nempe promiſſa præſtabis tua inopibus cuſtodiendis, THISMEREM, *& nobis eripiendis à difficili & calamitoſa gentę tempeſtatis huius filiorum Adami; tuamq́; cuſtodiam atque tutelam nobis propriam perpetuámque reddes: non qualem pacem dare ſolet mundus, non qualem homines mortales vel ſibi vel aliis pollicentur, ſed æternam illam tuam, quam iis communicas & impertiris, quos ab hac terreſtri generatione ad cæleſtem traducis regenerationem. Magno myſterio Pſalmus clauditur. quod nobis adnotare pro tempore ſatis viſum. Abſoluit autem ſuum Vates carmen, aſſerens ex ſolo Deo ſalutem pacemq́; expectandam, vtpote puriſſimo, efficaciſſimo, & conſtantiſſimo: id quod ex nullis hominum expectari licet; qui impuri & ſordidi atque contaminati cùm ſint, quò magis ambitione & cupiditate mouentur & flagrant, eò turbatiores atque impotentiores ad nocendum redduntur, perinde atque cuprum, plumbum, & impuriſſima quæque metalla: quæ dum admoto liquantur & feruent igne, vnà cum ſcoriarum & fecis internæ temeraria voluuntur & circumaguntur colluuie. quæ ratio promiſſorum & virtutis Dei, puritati atque efficientiæ ex diametro opponitur. Hoc verò in Latina, quam commentamur, verſione, quòd tranſlationis imaginem ad ſenſum reflexerit interpres, paulò obſcurius legitur.*

9. In circuitu impij ambulant: ſecundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.

ZZABIB RESAGHIM IITHHALACHVN, circumcirca improbi ſeſe agunt. CHEROM ZVLOTH LIBENEI ADAM, vt attollantur fæces filiorum Adami. *Quidnam igitur puræ pacis expectandum ab iis, qui quò elatiores ac potentiores incedunt, eò deprehenduntur impotentiùs turbati?*

IN

IN PSALMVM XII.

PETRO DIEZIO LEONI VETERI SODALI AMICISSIMOQ. S.

REcordor adhuc atque mente & cogitatione ſæpius recolo, id quod te quoque nunc meminiſſe non ambigo, me, cùm iunior eſſem atque tecum eadem in domo & agerem & ſtudiis Compluti operam darem, ſiue ex atræ bilis vehementi vi, ſiue ex alio corporis vel animi vitio, in eum ægrimoniæ ac mæſtitiæ laborem incidiſſe, vt & vitæ prorſus tæderet, & tanta te mei commiſeratione afficerem, vt quacumque via illi malo finis & remedium mihi contingere poſſet, etiam diſceſſu è vita optare te ac vouere identidem audirem; quippe te vnum, alterum verò magnum illum Vergenſem Cyprianum monachum, alium præterea neminem, illius miſeriæ conſcios dilegeram. Cùm verò & medica, quæ ſcripta extant, remedia fruſtra tentata eſſent, & complura alia, quæ ipſe cepiſſem, conſilia, eademque identidem mutata; vnum mihi opportunè ſuccurrit, atque adeò vnicum, cuius frequenti vſu atque attenta exercitatione ex diuino beneficio liberatus, demum illo euaſi morbo; vt certiſſimè crediderim, in eadem, qua ego tum agebam, conditione aliquando poſitum Dauidem Pſalmum hunc compoſuiſſe, magnoque ſuo ceciniſſe bono: quem ego citharæ, qua tum temporis nonnihil ludebam, meditatus & frequentiùs repetens aptaui fidibus, mali ſolamini primis in diebus, ac tandem leuamento & medicinæ efficaci, mihi cogitanti repertum & probatum; & quamplurimis poſtea amicorum, quos perſimilis tentarat ægritudo, magna cum vtilitate vſurpandum perſuaſi: Idoque cùm hunc ipſum commentando attigi, confeſſione ſum proſecutus, & tibi, ad communem Deo gratulationem atque laudem dicendam, commentariolum noſtrum inſcribere conſtitui. Vale. Hiſpali. xv. Kal. Febr. cIↄ. Iↄ. XCVII.

Montani iuuenis morbus.

ARGVMENTVM.

Aegrimoniæ remedium vnicum.

PIj viri, qua parte homines ſunt, necdum veterem exuere Adamum; labores & moleſtias, quibus interdum vexantur, dum grauiùs ac difficiliùs ferunt, quemadmodum declinent vel depellant prorſus, animi ac mentis agitatione inuenire & exequi ſtudent. Verùm vbi certam id agendi rationem non reperiunt, ex vno in aliud atque aliud vagati conſilium, niſi demum ſeſe diuinæ prouidentiæ, ſapientiæ, ac bonitati totos permittant, & regendos ac deducendos tradant, in magnam atque impotentem ægrimoniam incidant neceſſe eſt. Huiuſmodi exemplum Dauid, non ab inimicis modò ſectatus, vallatus, & afflictus, verùm & ab amicis & cognatis reprehenſus ac deſertus, ad ſuam ſalutem & ad aliorum quoque doctrinam arripuit, idemq́; canendo deſcripſit: in quo ſua primùm conſilia tantis ærumnis cauendis, auertendis, ac propulſandis imparia faſſus, liberandi ſui rationem & auctoritatem vni diuinæ benignitati & ſapientiæ committere probandamq́; tradere profitetur; vt ne quid ab inimico ſibi illati mali iactari poſsit, nec ipſe ſalutem ſuam cuipiam alij niſi diuinæ virtuti acceptam referat & celebret.

1. In finem, Pſalmus Dauid.

Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem? vſquequo auertis faciem tuam à me?

NOmen IEHVEH, *quod ab auctore hoc in verſu appellatur, benignitatem, bonitatem, atque miſericordiam ſummam ſignificatione continet arcana: quod vt vehementiùs prouocetur, oppoſitæ prorſus rationis verbis ac vocibus & querelis efficaciter ſolicitatur. tantum teneri ex animis piorum profecti audere & efficere ſolent affectus. Multa namque numini, blandiſsimo nomine primùm compellato, ſimul obijciuntur, quæ ſtimulos, vt ita loquamur, ad miſericordiam accelerandam addere valeant: qualia ſunt, obliuio, vultus auerſio, quam negligentiam interpretamur, deinde ceſſatio:* [Vſquequo] *demum modi ac termini finiſq́; malorum ambiguitas: quorum nihil cum diuinæ prouidentiæ ac bonitatis præſtantia conuenit. Atque ita argumentum ab indignitate primum ducitur: quòd diuinam gloriam non deceat, pios & in ſe fidentes vllo pacto vel tempore negligere, nedum prorſus deſerere. Secundum verò à miſeria & laborioſa egentis & orantis conditione, quæ cùm ſe tantis laboribus ac doloribus minorem ſentiat & fateatur, tamen vexari & exerceri ſinitur: quod profectò attendenti & ſpectanti Deo miſerationem accelerare par ſit.*

2. Quamdiu ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?

Conſilium inire & capere eatenus prudenti viro licet, quoad vel ſatis

eſſe

eſſe poßit ad propriam agnoſcendum efficacis conſilij inopiam, atque ex conſequenti ad verum & certum Dei conſilium expetendum ac vouendum. Nam ſi quis vltra hos fines procedere velit, vel in meras inſanias vel in vehementes curas & animi cruciatus incidat neceſſe eſt. Satis ergo ſuperq́ conſiliorum, ſalutis & ſecuritatis quærendæ ſibi cauſſa, agitatum confitetur, imò & conqueritur Pſaltes: atque illud tantùm ex ea re ſibi perſuaſum, nullam niſi in vnico diuinæ tutelæ præſidio conſtare ſibi ſalutem; quidquid præterea agatur, curam, anxietatem cordiſq́ dolorem gliſcere, augeri, atque continuari. dolorem] IAGON, *fatigationem, anxietatem, & animi excruciationem ſignificat: idq́ ſine vlla ceſſatione vel intermiſſione ſe pati declarat aduerbio* IOMAM, per diem, *hoc eſt, perpetuis diebus cunctis conflictor cordis atque animi doloribus, quibus tamen modum ſtatuere diuinæ miſerationis proprium eſt. S. S. E.* Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione prouentum. *Tertium verò ad ſolicitandam Dei miſerationem argumentum, inimicorum ſuperbiæ & inſolentiæ mentio ſuggerit, cùm indignum æquiſsimo & optimo atque integerrimo principe cenſeatur, improbum inimicum & probis inſultare, & ſibi ipſi plaudere, alienæq́ calamitatis inſolenti ſpectaculo diutius frui permittere, atque ita ſuam augere ſuperbiam.*

Conſilij inopia.

1. Cor. 10.

3. Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me?

Id quod aliàs alia tranſlatione ab eodem hoc dictum conſtat auctore. Dum ſuperbit impius, incenditur pauper. *dum miſeri laborant, improbi triumphant & attolluntur. Iiſdem igitur argumentis ad deprecationem & petitionem vſurpatis, in ſpem redit & erigitur Pſaltes diuini conſilij in ſui ſubſidium & auxilium atque adeò in ſalutem certam & perpetuam reuocandi. idq́ quò fidentiùs, eò etiam vehementiùs poſtulat, oppoſitis verbis orationi qua primum conqueri ceperat.*

4. Reſpice & exaudi me Domine Deus meus. Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte.

A poſteriore querimoniæ parte rurſus precationem contexit: contra illud, Vſquequo auertis faciem tuam à me? *opponit* Reſpice; *ei verò quod priùs clamauerat,* Vſquequo obliuiſceris mei? *illud præponderat,* Exaudi me Domine. *Atque vt ad miſericordiæ & miſerationis magnitudinem & pondus, certiſsimum quoque iuris & æquitatis momentum adiungat, nomen etiam principis, gubernatoris, ac iudicis allegat,* Deus meus, ELOHAI, Princeps, gubernator, & aſſertor meus, *cuius auctoritatem in meum ſubſidium imploro, otioſamq́ in hac re futuram vel ceſſaturam minimè metuo. Cum eodem, quod dixerat,* dolorem in corde meo per diem, *id eſt, perpetuum, vnde neceſſe foret animo deficere atque*

interire præ mæſtitudine atque ægrimonia; illud ex oppoſito in precatione contendit; Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in
Animi deliquium. morte. *Animi deliquio affectis prima membrorum debilitatio eſt, quam oculi eueſtigio caligantes atque turbati arguunt: rurſus verò virium atque animi reparationem oculorum indicat hilaritas. id quod ex illa docemur*
1. Reg. 14. *hiſtoria.* Porrò Ionathas non audierat cùm adiuraret pater eius populum; extenditq́ue ſummitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis; & conuertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi eius. *Eodem dicendi ſchemate vſus, mortem ſibi atque animæ defectionem imminere Pſaltes conqueritur, niſi miſericordis & vindicis Dei ope fuerit ſubuentum; indeq́; illud conſecuturum deprecatur.*

5. Ne quando dicat inimicus meus; Præualui aduerſus eum. Qui tribulant me, exultabunt ſi motus fuero.

Neque enim aduerſarius cuiquam alij quàm virtuti atque adeò cauſſæ & iuſtitiæ ſuæ, calamitatis & exitij mei arrogabit euentum; & ſuas partes exemplo iſto, quamquam falsò & iniuſtè, ſuperiores ac victrices prædicabit. neque verò illum ſolùm, qui inimicitiarum ſibi caput erat, caſu & exitio ſuo inſolenter ſuperbiturum eſſe ait, ſed eos omnes qui partes illius agerent ac ſectarentur, & res rerumq́; rationes non ex vero & iuſto, ſed ex aduerſa quocunque modo conditione, aut leuiter tentato & labante vel nu-
Vulgi iudicium. *tante ſtatu, æſtimaturos intelligit. quod vulgi ac trementis turbæ iudicium quotidianis exemplis notiſſimum eſt. Huiuſmodi turbam, quæ potentioribus fauere ſolet,* tribulatores *ſui, hoc eſt, ſe infeſtantes nominat, magnoq́; plauſu & gaudio ſibi labanti vel nutanti inſultaturos intelligit.*
Qui tribulant me] TSARAI, anguſtiatores oppreſſoreſq́ue mei. *à venatorum indagine, qua feræ in ſaltu ſectantur; atque ea plerumque in gratiam principum & regum ſumpta eſt verbi tranſlatio. Atqui diuinam tutelam, cui ſeſe ipſe totum commiſerit & crediderit, in dubium apud homines venturam aſſerit, ſi ipſe vel ab inimicis extinguatur, vel conſilij proprij inopia & curis confectus pereat. Id quod cum gloriæ, maieſtatis, atque prouidentiæ ſingularis Dei ratione & veritate prorſus pugnat. Hoc eſt quod ſubiungitur.*

6. Ego autem in miſericordia tua ſperaui: exultabit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi: & pſallam nomini Domini altiſſimi.

Si ego, inquit, meo viuerem conſilio ac modo, ſi caſu vel temere meas inſtituiſſem & agerem res, vel quippiam præter iuſſa ac monita ſuſcepiſſem tua, demum ſi mihimet meæq́; fiderem virtuti; nihil mirandum ſi ſolus, vt accidere potuit, labarem aut corruerem, & inſultationis atque fabulæ aduerſariis meis materia fierem. At verò cùm totum quidquid ſum, quid-

quid me fore ſperem, quidquid denique in me ſtatuatur exempli, tuo vnius beneficio tuóque dono atque conſilio & propoſito tribuam & adſcribam, meúmque in hac re nihil prorſus, præter fidem in te, & ſpem virtutis & efficientiæ in me tuæ atque veritatis, eſſe profitear; minimè profectò conueniat nominis & auctoritatis iſtius gloriæ & præconio, me in alium traduci exitum, quàm eum, ex quo laudis gratulationisq́ perpetuæ carmen tibi componam, cantem, deſcribam, & conſecrem. Pulcherrima hæc & artificioſa admodum atque pathetica contentio & comparatio eſt; qua nomina, verba, atque epitheta committuntur, quæ ſaluo rerum decore conuenire ſimulq́ conſtare nequeant; atque adeò in poëtica elocutione iudicioſè ſimul & efficaciter vſurpatur. vt apud Latinum Vatem:

——— Aut quò tibi noſtri *Georg. 4.*
Pulſus amor? quid me cælum ſperare iubebas?
En etiam hunc ipſum vitæ mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum & pecudum cuſtodia ſolers
Omnia tentanti extuderat, te matre relinquo.

Ego autem in miſericordia tua] *Idem valet hoc loco* ego autem, *quod Latinè aliàs dicimus, Atqui ego*. Miſericordia tua, HHEZZDECHA; *beneficium vltrò atque benignè ex mera liberalitate & bonitate promiſſum, hoc nomine ſæpe dicitur. vnde illud*, Facies mihi miſericordiam & veritatem. *id eſt, benignè promittes, & fideliter præſtabis. & illud*, Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam. *Diuino itaque promiſſo fretum ſe Vates ait laborum ſuorum ſucceſſum expectare talem, vt carminibus ac laudibus dicatis perpetua ſit gratulatione commemoraturus.* Miſericordia. Veritas. *Gen 47. Pſal.88.*

Cantabo Domino] *Ex conſequentis gratulationis carmine & laude, antecedens ratio & veritas declaratur. Eum, inquit, exitum rem cauſſámque meam habituram confido, vt quæ nunc in capiendis conſiliis cura mihi ponitur, in Domini laudibus canendis de cetero impendatur & exerceatur.*

Qui bona tribuit mihi] GAMALGHALAI, retribuit mihi. *fidei atque obſequij præmium mihi benignè contulit. id quod adeò certum ſibi perſuadet, vt præterito verbi tempore pronunciet. Quiſquis verò humani belli & interioris pugnæ cura & agnitione pulſatus & exercitus fuerit, quantum in hoc Pſalmo myſterij lateat, facilè nobiſcum agnoſcet.*

IN PSALMVM XIII.

IOHANNI ALFONSO CVRIELI THEOLOGO SALVTEM.

Bonorum fines. Gentium philoſophi. BOnorum & malorum fines tibi cumprimis notos & exploratos arbitror; quem ſcio ab infantia bonas edoctum diſciplinas, quid de his priſci illi ex gentibus philoſophi ſenſerint, intellexiſſe; dum alij aliis opinionibus diſtracti, quamquam quidam prauè, nonnulli tamen de rebus humanis meliuſculè ſtatuerent, vnicam virtutem cultoribus ſuis, tametſi aliàs afflictis & egenis atque vexatis, tamen ad beatitatem ſufficere, & cæterorum quamuis ſecundis & ex animi ſententia contingentibus rebus longè admodum præſtare. An virtus ad felicitatem ſufficiat. Cuius rei ac diſputationis iudicium, bonorum bonæ, malorum verò malæ tribuebant conſcientiæ; nihil præterea altius aut præſtantius vel agitantes vel ſeriò profeſſi, niſi quantum iſta poëtarum nonnulli, fabulis velata & exornata, diuiniora quadantenus in ſpeciem oſtendere & commendare ſatagebant. At tibi vlteriora demum & penitiora Sapientiæ ſacraria ingreſſo & ſanctioribus initiato myſteriis, hoc eſt, in Chriſtianæ Theologiæ ſtudijs à iuuenta vſque verſato, veritatis lumen clariùs & opportuniùs affulſit; quo manifeſtè, vt mihi iam ſæpius ſignificabas, perſpexiſti, nec Vera bona. vera bona nec his oppoſita mala mundi ſapientibus ritè vel cognita vel rectè fuiſſe definita, quòd priorum, hoc eſt, bonorum, vniuerſum genus & ſolida vis non niſi apud vnicum reperiatur Deum; cuius cùm iſti naturam pariter & virtutem data opera ignorare & aliis inuidere atque occultare ſtuduerint, in vera inciderunt mala; nimirum lucem tenebris miſcere conati, atque id quod à Deo ſeiunctum eſt, cum Dei virtute & efficacitate coniungere machinati: ex quo euenit vt neminem tantæ beatitatis compotem ſtatuerent, quin multis etiam verſatum

ſatum & exercitum ærumnis traderent. Contrà autem quos vera Theologiæ diſciplina, quam tu & calles & publicè ac priuatè doces, ſolos Dei ſeruos & amicos quocumque loco poſitos, quocumque modo in terris habitos, tamen nomine in cælis conſcripto, vt veræ beatitatis communione per Chriſtum donatos, ita in mediis mundi & mortalium tempeſtatibus lætos, ouãtes, & auctori ſuo Deo gratulabundos perſiſtere. Cuius doctrinæ atque conſolationis pleniſſimum argumentum, Pſalmus hic, cui initium *Dixit inſipiens*, quamquam in breue coactum, tamen diſtincta partitione expeditum & peroratum, tibi non modò rectè percipienti, ſed rem ipſam tuis ipſius experimentis agnituro, placuit inſcribere. Vale. Ex rupe noſtra apud Aracenam. III. Kalend. Septembr. CIↃ. IↃ. XCVII.

Vera beatitas.

ARGVMENTVM.

STultitia communi genus laborare humanum, Pſalmus hic docet; atque huius mali duplicem eſſe formam: altera eſt, quæ quoſdam homines ita peruerſos reddit, vt inducat ad cogitationem negandi apud ſe mundi humanarumq; rerum rectorem, gubernatorem & curatorem. Hoc inſaniæ genus NEBALAH, *quo quiſquis laborat,* NABAL *in ſacra lingua vocatur. Latinè* Dementiam, *ac* dementem *vertere licet. Altera ſtultitiæ ſpecies notatur, qua complures, imò & cuncti Adami filij correpti, Deum quidem eſſe non inficiantur, ſed ex ſuis ipſorum confingunt ac definiunt moribus; & à ſimplicitate, puritate, & veritate diuinæ naturæ ad alias fictiones, & cogitationes relatum, nec vt conuenit cognoſcunt, nec verè & piè colunt; dum vnuſquiſque priuatum propriumq; commodum vel Deum eſſe vult, quem ſuo modo colat, vel certè non abhorrentem à priuatis ipſorum commodis fouendis ac tutandis ſtudet reddere; cùm tamen ille verum omnium hominum patrem & communem ſeſe, atque pauperiorum, inopum, & ſimpliciorum vindicem declarauerit: id quod in vno eodemq; oſtenderit homine, quem inopem conditione Iacobum vocatum non minùs curauerit atque tutatus fuerit, quàm cùm à ſe promotum atque ornatum Iſraëlis nomine ac titulo inſignierit: peruerſis autem iudiciis & ingeniis hominum effectum eſſe, idq; contra ius & pietatem eueniſſe, vt homines inter ſe tractentur iniquè; nimirum à potentioribus debiliores opprimantur: quod perinde à ratione & veritate humanæ conſuetudinis alienum eſt, atque ſi Iſraël Iacobum contemnat & vexet. Neque verò huic malo vllam certam & efficacem conſtantemq; poſſe adhiberi medicinam, niſi idem Verbum, per quod omnia facta ſunt,*

Humana ſtultitia.

Iacobi curator Deus.

cta ſunt, à quo & per quod Iacob natus, & Iſraël ſecundùm carnem fuit creatus, iterum homines regeneret, atque Iacobum & Iſraëlem in vnum redigat perfectum virum. Pſalmus quidem verſibus ac verbis breuior magnam continet myſteriorum vim.

1. In finem, Pſalmus Dauid.

Dixit inſipiens in corde ſuo; Non eſt Deus. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

De prouidentia ſtultæ ſententiæ.

SVmmum inſaniæ genus eſt eorum, qui Deum eſſe non credunt. Duobus autem ſententia iſta dignoſci poteſt modis, vel quòd diuina, ſpiritualis, & incorporea natura prorſus negetur eſſe; vel quòd de illa quidem non ambigatur, cui tamen humanarum cura & gubernatio rerum cogitatione & ſenſu detrahatur. Prior ille error non multos habuit ſectatores: poſterior verò non paucos, inter quos apud Græcos Epicurei, apud Orientales Chaldæi: diuerſis tamen partibus; quando illi caſum, naturam verò hi & aſtorum vim, rerum vices voluere opinabantur. Vtrique verò non Deum ſimpliciter, ſed ELOHIM, *id eſt, gubernatores, qui liberè mundi rebus conſulerent & prouiderent, inficiabantur. vtroſque verò, vna cum primis illis qui naturam tollerent diuinam, quòd religione ſublata ſcelerum & flagitiorum omnium licentiæ fræna auferrent, & ad publicam hominum perniciem munirent viam, vitiorumq́ elementa augendo fouerent, pariter improbati ac damnati euaſere. Hoc eſt quod ſubiungitur:* Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, non eſt qui faciat bonum. *In priore verſus parte ſententia illa* Non eſt Deus, *non pronunciata publicè & declarata paßim arguitur, ſed animo & ſenſu à dementißimo quoque concepta & fota,* in corde ſuo. *Nam legum, pœnarum, & communis inuidiæ formido, huiuſmodi inſanientis ſapientiæ conſultos vel intra ſe ipſos vel intra priuatos parietes latere & agere cogit: quos tamen vitæ ipſius improbitas & peruerſitas prodit, vtpote qui exemplo ſuo atque etiam ſermone ad fallendum confictо, propriis moribus perditißimi & aliorum improbißimi corruptores deprehenduntur. Quod ſimplici paßiua voce Latinè legimus, ſacra lingua ad vrgentem coniugationem tranſtulit.* HISHHITHV HITHGHIBV GHALILAH, corruptelis abominationibuſque præbuere efficientiam & occaſionem. *Nam* GHALILAH, *efficacitatem & occaſionem interpretamur atque etiam nutritionem & educationem. Nutritam itaque ab iſtis malefaciendi pronam ſemper in malum licentiam, & nullum ex ea doctrina ac ſententia virtuti & benefactis locum datum eſſe, criminatur Pſaltes. ita colloquia atque exempla praua & perdita bonos corrumpere ſolent mores. Atque in illam perditißimam & corruptißimam mortalium factionem duabus verſibus abundè peroratum eſt: deinceps verò in alteram longè frequentiſ-*

Epicureorum de prouidentia error.

Chaldæorum de prouidentia error.

Athei quales.

quentiſſimam, ſermo conuertitur, hoc eſt, mortalium omnium; quibus Adam primus parens, non modò ſanguine & nomine, ſed morum ſimilitudine atque re exprimitur.

2. Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum.

Eos qui diuinam inficiantur prouidentiam, vita ac moribus & conſuetudine omni ſeſe prodere, nulliq; non cognoſci, ſuperioribus duobus traditum eſt verſibus: verùm quidnam de reliqua innumerabili hominum turba exiſtimandum ſit, ex diuinæ cenſuræ iudicio deinceps iam ſtatuitur. Nimirum nihil integrum, nihil ſincerum ac purum, quod veram & ſimplicem ſapiat humanitatem, in Adami reperiri gente ac ſobole. Tametſi verò nonnulli ex illis inculpabiles fortaſſis aliis videantur, & minùs quàm ceteri inſolentes ac peruerſi appareant; tamen quòd mente & ſtudio in ſua tantùm commoda vel apertè vel diſſimulanter incumbant, & à communi caritatis æquabilitate degenerent, eos in improborum & malefactorum albo, ex diuini iudicij ſententia eodem carbone notatos, deprehenſos arguit. Adami filiorũ turba qualis.

Dominus de cælo proſpexit] *id eſt, de throni ſui & auctoritatis ac ſapientiæ ſimplicitate, puritate, & maieſtate, quam vtpote ſublimem & inferioribus locis prominentem, nihil prorſus in terrarum orbe latere poteſt aut effugere, nihil illius euadere curam & iudicium.* Super filios hominum] BENEI ADAM, ædificatos, inſtructos, & eductos ex Adam. *Hæc eſt interpretatio nominis* BANIM, *quod Latinè vertitur* in filios. *Duo autem Deus explorare in hominibus dicitur,* vt videat, *non vt audiat, namque nudis eloquiis vera virtus non definitur. S. S. E.* Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me. *Neque verò diuini oculi illud vel præcipuè vel tantummodo proſpiciunt, quemadmodum vnuſquiſque hominum ſeſe exterius gerat & oſtentet.* Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. *Proſpexit igitur Dominus,* vt videat ſi eſt intelligens; MASCHIL *dicitur, qui non opinione aut alieno ſenſu ducitur, ſed mente & cogitatione rerum rationes expendens, certum ab incerto, verùm à falſo, legitimum à fucato, rem demum à ſpecie dignoſcit. Duo autem in ſumma ſunt, quæ vnumquodque genus rectè tractaturum oportet agere, naturam in primis rei diſtinctè cognoſcere, eiuſdemq; probè tractandæ modos habere exploratos. vtramque partem à Deo in hominibus requiſitam Pſalmus docet;* Si eſt intelligens, *&* DORES ET HELOHIM: *altera cura* MASCHIL, *altera verò* DORES *dicitur, quam Latinè diligenter quærere & attentè ſtudioſeq; interrogare explicamus. Atque huius verbi vim exprimere nobis viſus ille dum ait:*

De cælo proſpicere.

Filij. Dei iudicium.

Matth. 15.

1. Reg. 16.

Intelligens quis dicatur.

Recta tractatio.

Quid verum atque decens curo & rogo, & omnis in hoc ſum.

Hoc pacto diuinas pietatis rationes ineundas & curandas, naturæ ac veri-

tatis iura homines docent. DORES ELOHIM, *curans, rogans, ac diligenter hoc agens, quiſnam mũdi gubernator ac iudex & quemadmodum ſit colendus & conciliandus. Qualem verò quantamq́ ſibi hominum probandam copiam ſubducta ſumma Dominus repererit, aut quid ex illa cenſura ſtatuendum fuerit, operæ eſt audire.*

3. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

Omnes declinauerunt] *quod ad ſimplicem, rectam, & veram Dei cognitionem & notitiam attinet: quod verò cultus & obſequij pietatisq́ exercendæ rationem ſpectat,* non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. AIN GAM EHHAD. non etiam quidem vnus; *qui vel rectè & abſolutè Dei gubernatoris naturam & conditionem, terreſtribus imaginibus dimotis, intelligat, nec etiam qui rectam & inculpabilem prorſus illius colendi munierit & inſtiterit viam.* Simul inutiles facti ſunt. IAHHDAIV NEELAHV. ſimul annullati ſunt. ÆLAH & ALAH *cognata verba, putreſcere, annullari, maledicto proximum eſſe inter alia ſignificant. Eſt autem tranſlatio à nomine* BENEL ADAM *ſumpta & conſeruata.* ADAMAH *terram fructibus ferendis deſtinatam dicimus.*
Humana terra. *inde* ADAM *dictus, cuius bonitatem ex fructibus ſpectari & cenſeri conuenerat: quibus deſideratis aut degenerare deprehenſis, in illud inciditur*
Heb. 6. *iudicium:* Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt & maledicto proxima,
Facere fructum. cuius conſummatio in combuſtionem. *Verbum* non eſt qui faciat bonum [*fructum intelligo*] *ad hominum opera & officia, & ad arborum, frugum, atque terræ fructus omnes, propriè refertur ex linguæ ſanctæ pro-*
Pſal. 1. *prietate & vſu: vt,* Omnia quæcunque faciet, proſperabuntur. *&,*
Matth. 13. Fructum affert & facit, aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum.

4. Nónne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis?

5. Dominum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.

6. Quoniam Dominus in generatione iuſta eſt, conſilium inopis confudiſtis: quoniam Dominus ſpes eius eſt.

Nónne cognoſcent] *Propoſita totius humani generis notatio, certiſſimo & ad ſenſum atque manifeſtum exemplum reuocato euincitur argumento: nempe Deum, nec vt* IEHVEH, *id eſt, clementem, benignum, & miſericordem, nec vt* ELOHIM, *eſſe hominibus planè cognitum & cultum; quidquid illi contrà iactent & proloquantur. Namque de numi-*

nis

nis diuini bonitate, ſimplicitate, & ſeueritate, quemadmodum deceat, ſentire ſe nullo pacto ij probabunt, qui operantur iniquitatem, AVEN. *id quod vanum, inutile, caſſum, & nullius bonæ frugis eſt, hoc dicitur nomine: atque hoc loco ad priuatos vniuſcuiuſque refertur mores. De* ELOHIM *verò, id eſt, principe ac iudice Deo quonam iure ſibi rectè, vt par eſt, cognitum, exploratum, & conſtitutum illi docebunt*, qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis? *Simplices & inopes atque innocentes homines, plebem ſuam Deus hoc loco nominat; quorum partes in vniuerſum repræſentaſſe Iacob prædicatur, à Labano ſocero multifariam quondam vexatus, direptus, & comeſus. Hos autem nec Deum quidem iudicem vindicemq́; metuentes, pronum eſt* IEHVEH, *miſericordis, benigni, atque amantiſſimi hominum numinis nomen nec recolere nec mente memorando vocare: ſi modò vera huiuſmodi vocatio virtutis & pietatis cultu & ſtudio æſtimatur.* IEHVEH, Dominum non inuocauerunt] Inuocare *idem hoc loco eſt atque* vocare. *cuius interpretatio legitima & opportuna eſt prædicare, celebrare, & purè colere, eo modo quo ſcriptum legimus:* Ædificauit [*Abram*] altare Domino, & inuocauit nomen eius. *Atqui nomen illud* IEHVEH, Domini, *quod multis maximiſq́; rationibus miſericordiam, bonitatem, benignitatem, pacem, amoremq́; in ſe includit vehementem, integerrimo atque pleniſſimo amore, toto animi affectu coli & inuocari legitimè exigit. S.S.E.* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. *Id quod à Deo apud Adami filios prorſus requiſitum reprehendit hic Vates; exceptis tamen nonnullis hominum, religione eatenus imbutis vt Deus gubernator & iudex atque iuſtorum & proborum curator cognitus, metuendus & obſeruandus credatur: quod quidem quamquam ad religionis prima rudimenta faciat, ſolidam tamen pietatis non attingit ſummam; quæ non timore & metu iudicij diuini tantùm, ſed amore & ſpe in* IEHVEH *miſericordem ſalutaremq́; Deum definitur: id eſt, non ſatis eſt ex metu à crimine & culpa ac ſcelere abſterreri, ſed fidei ac pœnitentiæ virtutibus inſtructum, diuinæ miſericordiæ ac ſalutis expectare & poſcere beneficiũ ac donum oportet; cuius efficientia homines ab infima & laborioſa conditionis huius humilitate ad principem ſanctorum Dei promouentur ſortem.* Illic trepidauerunt timore [vbi non erat timor] quoniam Dominus in generatione iuſta eſt] *Non modò locum, ſed gradum, perſonam, ac rem certam atque ſingularem vox* SAM *ſignificat & indicat. In eo, inquit, loco in eaq́; re nonnulli homines metu quatiuntur, cùm Deus* ELOHIM *iudex & curator gentis ætate & conſuetudine & communione iuſtæ & probæ eſſe creditur ac perhibetur.* DOR *ſæculum, habitationem, ætatem ac conſuetudinem atque etiam factionem ſignificat. vt*, Filij huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt. *Atque hæc ipſa de religione per metum, inducta veluti per parentheſin à Pſalte, vti arbitramur,*

Iniquitas.

Plebs Domini.

Iacob à ſocero vexatus.

Inuocare nomen Domini.

Gen. 12.

Dei amor in hominibus requiſitus.

Generatio.

Luc. 16.

mur,

mur, commemorantur; qui propoſitum vrgens, malefactorum & minus quàm par eſt de Deo ſentientum culpæ adſcribit peruerſum vulgi iudicium, pios & probos ac ſimplices ſeſeq́ defendere atque vlciſci nolentes irridentis, atque rerum ſuarum ſummam in vnicum IEHVEH *Dominum ſalutarem ac miſericordē reiicientes: quorū conſilium dum irridetur, aut eleuatur & cōtemnitur, turbari ſiue pudefieri dicitur ſiue confundi. Itaque increpationis ac reprehenſionis vim atque formulam illa præfert oratio.*

Conſilium inopis confudiſtis: quia Dominus ſpes eius eſt.] MAHHAZZEH, *ſpes, tutela, protectio, refugium: vt illud* Petra

Pſal. 103. MAHHAZZEH refugium erinaceis.

Demum verò cùm tot poſt annorum atque ſæculorum ſummam, poſt rerum exemplorumq́ ſpectatam examinationem neminem hominem de diuinis vti conueniebat ſentientem, neminem Deo prorſus probatum, reperiri pronunciauerit Vates; neminem ex conſequenti verè & abſolutè inter mortales beatum & felicem, qui ſuo vel conſilio vel facto regnum Dei aſſecutus fuerit, indicari ait: id quod vt à ſe agnitum & conceſſum, ita à diuina miſericordia mutatum cupit, vouet, ac rogat; vt tandem communis iſta humani generis miſeria, non volentis nec currentis, verùm Dei miſerentis dono ac maximo beneficio, in admirabilem filiorum Dei felicitatem transferatur. Atque ad hunc etiam ſingulariter Pſalmum collimabat Apoſtolus

Rom. 11. *cùm ſcriberet,* Concluſit Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur. *Tangit autem Pſaltes, atque in ſuum votum intuetur, imaginem illā vnius eiuſdemq́ hominis ex Iſaaco & Rebeca nati Iacobi; qui aliquan-*

Iſraël. *do domi ſuæ à fratre Eſau inſectatus, & à conſanguineis & cognatis multifariam vexatus, tamen diuino beneficio propter fidem & ſpem eò dignitatis euaſerit, vt non modò cum hominibus, verùm cum Deo præſtantis & potentis nomen ac decus retulerit.*

7. Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael? cùm auerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob, & lætabitur Iſrael.

Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael?] *Ex nullo alio loco ſalutem ex-*

Salus ex Sion. *pectari debere ait, præterquam ex Sion Dauidis veri, id eſt,* IESV *Chriſti ſuprema & munitiſſima regia & arce, cuius filia Ieruſalem à Vatibus appellatur.* Cùm auerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ,

Babylon. *apud Babyloniam, id eſt, confuſionem ac perturbationem peccatorum, detentæ; tum verò* exultabit Iacob, *vtpote opprimentium ſe victor euaſus,* & lætabitur Iſraël, IISMAHH, *interna & mirabili illa lætitia, de*

1. Pet. 1. *qua Apoſtolus;* In quo exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus; vt probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem & gloriam, & honorem, in reuelatione IESV Chriſti: quem cùm non videritis, diligitis:

diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis; credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata; reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum. Quis dabit] *Concepti & pronunciati voti formula, in ſacrum ſermonem receptiſſima: cuius officij vox* VTINAM *apud Latinos: quamquam & illam interdum Romani vſurpent auctores, vt,* Quis dabit

——O qui me gelidis in vallibus Hæmi
Siſtat, & ingenti ramorum protegat vmbra. *Virgil. Georg.*

IN PSALMVM XIV.

ALFONSO RAMIREZ DE PRATO REGIO CONSILIARIO, ET REGIÆ PECVNIÆ CVRATORI S.

DIuinis primùm legibus imbuto, deinde verò humanis inter celeberrimos ætatis huius inſtructo, tibi eam publicorum atque ſuorum munerum & conſiliorum curandam & promouendam partem Rex noſter prudentiſſimè commendauit, in qua expedienda ſi certus & legitimus ineatur modus, multum reipub. neruis roboris ac virium accedat; ſin verò negligentia vel mala ratio aut culpa alia admittatur, immane quantum detrimenti & incommodi, tum Regiæ cumprimis domui atque auctoritati, tum verò vniuerſo populo, dubio procul eueniat. Quid enim in humanis ciuilibuſque ſtatutis vtilius aut opportunius, quàm patrimonium regium ita cõſtitutum, certum, ſanctumque ſeruare, vt ad belli & pacis adminiſtrandas, componendas, & amplificandas res, quantum bene gerẽtibus fuerit opus, ſufficiat; & hoſtes vel communi paci inuidentes, à tentandæ vel turbandæ quietis publicæ temerarijs auſis, facultatis regiæ ad reſiſtendum & vlciſcendum celebri fama & opinione deterreat? Certè Salomonem accepimus, ad perpetuam regni ſui pacem diuinitus comparatum regem, & ſapientiæ nomine vltra ce- Fiſcus regius.

tra ceteros mortales commendatiſſimum , non ſolùm iudicijs & ſententijs pronunciandis,ciuitatibus gubernandis, magniſq́ue operibus conſtruendis , multarum regionum principibus admirabilem amandumq́ue ; verùm iniquioribus etiam & ſuperioribus formidabilem ſeſe præbuiſſe, ingenti pecuniæ & opum coacta vi , vnde in media pace vltra quadraginta mille equos ad bellum inſtructi & apparati , totidem præſepibus alligati continenter ac perpetuò prouiſo ex horreo alerentur. Atque hæc , quæ maxima alioqui ſumptuum videri potuit pars, quantula fuerit , ſi conferatur cum impenſis in ceterorum miniſtrorum cùm Regiæ aulæ tum ciuitatum vario ac multiplici ordine? Quam verò faciendæ rei ac pecuniæ cogendæ rationem ille inuenerit ac inſtiterit, noſtrarum modò partium non fuerit recenſere : tuarum verò nunc & ſemper fuerit proſpicere , cauere , & agere quemadmodum ea regijs ſumptibus conſtet ac ſuppetat copia , quæ eum ſumma innocentia & æquitate,abſque vllius vel minimæ iniuriæ exceptione vel querelæ iuſtæ cauſſa , comparari & conſolidari poſſit . Huiuſmodi namque vbi contigerit , tametſi modo ac ſumma non ita ſtupenda nec ad ambitionem iactanda , tamen vſu & euentu efficaciſſima & vltra vulgare omne aliàs exemplum ſuperabit vtiliſſima. Cuius curandæ rationis vtiliſſima præcepta & inſtituta,præter alia quę ad veram pietatem atque hominum felicitatem ſpectant, in Pſalmo illo traduntur, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* quem à nobis accipies breuiter ita expoſitum vt inter negotia perlegere , & apud te , vt Theologiæ & vtriuſque peritus iuris , meditari & penitius etiam intelligere poſſis . Vale . Ex rupe noſtra apud Aracenam. 11. Kal. Sept. CIↃ. IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

AVreum planè totum carmen eſt , & quod Pſaltes Dauid optimo ſibi adſcribat iure, non vt auctori modò , ſed etiam vt conſilij in omnes vitæ partes à ſe ſuſcepti ſummam continens integram. Nam cùm in ſuperiori Pſalmo , totam generis humani gentem ſub peccato concluſam , redemptore & vindice ac liberatore & ad meliorem conditionem promoturo Deo indigere declaraſſet , id quod etiam declaratu opus

opus fuerat, in hoc præſcribit & proſequitur Pſalmo: docetq́ omnes quidem homines ad ſalutem illam diuinamq́ libertatem & ad ſanctæ ciuitatis communionem à Deo vocatos, non tamen omnes promiſcuè admittendos, niſi eos tantùm, qui promiſſi primùm diuini fide fundati rectum & probandum officium tam publicè quàm priuatè diligenter coluerint; hoc eſt, qui ſe, dum tantùm ſeruorum obtinent nomen, virtute & conſtantia atque propriis pro cuiuſque conditione partibus rectè peragendis præſtiterint. Id quod aptiſſima quoque diſſeritur partitione, initio ab animi ac mentis conſtante ſententia ducto, vnde humanarum actionum vera petitur æſtimatio; deinde verò diſtributis officiorum generibus, tam iis quæ ſingulis hominum priuatè conueniunt, quàm illis quæ ad mutuam inter ipſos coniunctionem ſocietatemq́ pertinent.

Ad ſalutem qui quibus conditionibus vocati.

1. Pſalmus Dauid.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?

PSalmus Dauid] *Dauidi compoſitus, atque ad vitæ inſtitutionem ſibi etiam præſcriptus & vſurpatus. Eſt autem dramaticum carmen, in quo ex auctoris interrogatione opportuna Dei reſpondentis proſopopeia inducitur.* Domine qui habitabit] *Duplicem interrogationem ſiue conſultationem duo diuerſa indicant verba,* IAGVR *&* IISACHEN, *quæ Latinus interpres noſter vertit in* habitabit *&* requieſcet. *Atqui* IAGHVR *viatorum & iter agentium atque peregrinantium & aduenarum,* IISACHEN *verò eorum qui ſedem alicubi figunt, habitationem ſignificat. Animaduertendum verò eſt (id quod ſæpe ſæpius monemus) Dauidem ſacrosq́ Vates ceteros, diuinæ legis tum præcepta tum hiſtorias dum ſcribunt, ſubinde ſpectare, & ad arcanam ſignificationem (quò omnia tendunt) collimare. Atque hæc ipſa ratio ſic hoc loco indicanda eſt. Iſraëlis gens, Dei quondam populus pro tempore dictus, ex Aegyptiaca liberatus miſerrima ſeruitute, totis quadraginta annis per Arabiæ ſolitudinem deducta peregrinabatur à Deo interim curata, educta, & ſingularis prouidentiæ muneribus ac donis affecta; atque interea in tentoriis agens præſentis numinis tutelam & curam è ſacri tabernaculi celebritate & frequentia experiebatur, eiuſdemq́ tabernaculi commoditate atque opportunitate, quamdiu bellis hoſtium vacatum eſt, vtebatur. Pace vero vndique à finitimis parta hoſtibus, pro tabernaculo mobili, templum Dei in ſacro Memoriæ monte ſtructũ, & antiquo vocabulo* BEITH GHOLAMIM, *id eſt,* ſæculorum *perpetuam* domum *ſiue* ædem *dictitatam ſortita eſt: quam perpetuis aſſiduisq́ ſacris faciundis frequentabat. Vtrumque autem exemplum, Dei de humana ſalute conſilium in imagine repræſentabat. Namque homines per Chriſtum à Diaboli ſeruitute, in qua detinebantur, liberatos, per vitæ huius mortalis deſerta ac per mundi pericula, bella atque*

Iſraëliticæ gentis hiſtoria.

Domus ſęculorum.

IſraëlisDei hiſtoriæ ſumma ratio.

certamina, ſibi deducendos primùm, deinde verò victores & voti ac æternæ pacis compotes in ſuperna ciuitate collocandos, atque promiſſi poſſeſſione regni firmandos, inſtituerat. Id quod vt illis quondam contigit, ſic & nobis euenturum, ſacri cecinerunt Vates, & eueniſſe teſtati ſunt Apoſtoli; reiectis ab hac communione iis, qui propria ipſorum culpa ab electione diuina exciderunt. Neque enim omnes qui ex Aegypto liberati fuerant, promiſſas obtinuerunt ſedes, niſi ij tantùm qui in fide & pietatis veræ permanſerunt officio: ad quod alludens Magiſter vnicus, Qui perſeuerauerit, *inquit,* vſque in finem, hic ſaluus erit. *Antiquorum itaque tum promiſſorum tum reſponſorum non ignari viri, ſed veræ pietatis inſtructi ſcientia, vtramque hominum ſortem, vt futuram ſperabant, ita ſolicitè & ſtudioſè inquirebant,* in quod vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti, prænuncians eas quæ in Chriſto *futuræ erant* paſſiones, & poſteriores glorias. *Hoc autem in Pſalmo conditiones & partes inquiruntur eorum, qui ad veram ſalutem recipiendi primùm, ac per omne vitæ tempus in ſanctitate & iuſtitia coram Deo deducendi, demumq́; in cæleſtis patriæ ciuitate æterno munere conſtituendi eſſent.* Quis habitabit in tabernaculo tuo? *quamdiu in hoc mundo à Domino peregrinaturus fuerit? poſtea verò,* Quis requieſcet in monte ſancto tuo? *In illa Ieruſalem, quæ ſupercæleſtis dicitur, conſcriptus? Non rogat Pſaltes, quis nam habitat,* ſed quis habitabit *ſiue peregrinabitur? vt non tam ad præſens quàm ad futurum referenda ſit ratio. in qua myſterij vis & ſignificatio latet. Quoniam verò futuri temporis felicitas non otioſis, ignauis, aut inertibus, verùm iis, qui ſeſe in præſenti ſtatu legitimè exercuerint, promiſſa & reſeruata eſt; quibuſnam ea contingat conditionibus, à præſenti tempore deſcribendis, diuinum deſinit oraculum.*

Matth. 10. 1. Pet. 1.

2. Qui ingreditur ſine macula & operatur iuſtitiam, qui loquitur veritatem in corde ſuo.

Totius vitæ propoſitum, rectè, purè, & ſimpliciter inſtitutum atque certum, animi atque mentis conſilio fundatur. id quod in ſacra lingua HOLECH THAMIM, *id eſt,* ſanè ac ſimpliciter ambulans *dicitur, quem Latini* integrum vitæ *vocant. Namque ambulandi verbo humanæ vitæ mores etiam Latinè ſignificantur: vt,* Iuuenes hortantur vt illam Ire viam pergant. *&,* Cùm animaduerterem quamplurimos errare in via morum. *Quiſquis igitur à recta via etiam ſolitariè ac ſecum agens non deflectit,* HOLECH THAMIM, ſanè, purè, & ſine macula ingrediens *vocatur. Atque hæc quam dicimus, morum via, duobus peragitur modis; altero, quo quiſpiam ſecum tantùm agens nihil vel agitat vel meditatur, quod à ſimplicitate & ſanitate virtutis abhorreat, hoc eſt, nihil turpe ac fœdum aut malum ne cogitando quidem admittit; ſed quacumque incedit, regia ſemper inſiſtit legis diuinæ via: altero verò modo, quo ita vnuſ-*

Vitæ integer. Ambulare. Via. Viæ morum ratio.

quiſque

quiſque in hac vitæ via ſeſe comparat, vt, quoad poßit, aliis a nde m viam terentibus proſit, & mortalium nulli nec priuatè, nec publicè noceat aut officiat. Nec enim vni cuipiam ſingulari iſta via terenda ſternitur, ſed omnibus communiter hominibus, quorum naturæ & vocationi ac generi communis conuenit ſocietas: ea verò & colloquiis ac ſermonibus atque factis mutuò exercendis conſeruatur. Sermonum prima laus & commendatio ab eſſatorum veritate petitur: veritatis verò æſtimatio in animo conſilioq́ ex diuini iudicij ſententia ſtatuitur. Nec enim ſatis fuerit hominem vera profari, ſed veracem etiam oportet eſſe, hoc eſt, ita veri cognoſcendi atque efferendi ſtudioſum, vt nullo pacto à veritate ſeſe patiatur diuelli, non qui vanus deprehendi metuat, ſed qui vanitatem & falſum cane peius & angue oderit. Quoniam verò veri ſtudium & amor non tam facilè ab hominibus quàm iuſtitia cognoſcitur, id quod probatu facilius eſt, in examinationis præponitur ordine, hoc eſt, iuſtum, liberale, & benignum factum. Nam totius humani officij ſumma, miſericordia & veritate continetur, quam aliàs Latini iuſtitiam & fidem, hoc eſt, dictorum conuentorúmque conſtantiam & veritatem vocant. Eſt autem TSEDEK, *pro quo iu*ſtitiam *Latini reddunt, voluntarium & ſtudioſum aliis prouidendi & opem ferendi conſilium, adeò vt liberale in pauperiores erogatum donum* iuſtitia *quoque dicatur.* Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Operatur iuſtitiam] *ſeſe totum inſtitiæ exercendæ tradit. namque hæc ſignificatiō eſt verbi* POGHEL, *differtq́ à* GHOSSEH, *quòd hoc operi finem impoſitum, illud operam dare ſignificat. Qui iuſtitiæ cum beneuolentia exercendæ attentam dat operam, nec minore ſtudio & affectu veritatem colit, imò* loquitur veritatem] *non ſolùm ſermone, vt ſimplex veraxq́ habeatur, ſed quòd reapſe veri ſit amantißimus. Atque humanitatis vis & ratio omnis duabus conſtat partibus, priuatorum integritate morum, quæ iam ſuperiore indicata eſt verſu, & erga ceteros homines innocentia ac probitate: quæ in ſubiunctis explicantur carminibus.*

Veritas ſermonum.

Officij humani ſumma, Miſericordia & veritas. Iuſtitia & fides.

Matth. 6.

3. Qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos.

Iiſdem è partibus damna, mala, & incommoda atque offenſæ inter homines, ex quibus commoda, benefacta & opitulationes adiumentaq́, proficiſcuntur. Sunt autem vtriuſque generis inſtrumenta præcipua lingua & manus: quibus qui purè atque continenter vtitur, innocentiæ ac probitatis ius noménque obtinet, & ſecuritatem ſui ceteris præſtat mortalibus.

Linguæ vſus.

Qui non egit dolum in lingua ſua] LO RAGHAL GHAL LESONO. non inceſſit ſuper linguam ſuam. *Qua ſermonis formula delatores, percontatores, & garruli ſignificantur, qui alienas res curioſiùs inueſti-*

Detractores & garruli.

inueſtigant; idq́; magis detrahendi & incommodandi ac traducendi quàm iuuandi ſtudio & cauſſa; ijdemq́; ſermonibus compoſitis & confictis, & vlterius atque citerius delatis, inuidiæ & inimicitiarum pernicioſiſſimi auctores euadunt. quod vitium ab eo qui dignè Deo agere ſtudet, procul afforе oportet, vt nulla ex parte vel dicti vel ſermonis cuiquam officiatur, nedum vllo malo noceatur facto. Nec fecit proximo ſuo malum] LEREGHEHV, *ei qui cum vitæ ſocietatem vlla ex parte inijt. Namque ſodalis, comes, & ſocius, & cuiuſcumque communis rei vel operis particeps aut conſors, ſiue id ratione, ſiue ſorte euenerit,* REAGH *in ſacra lingua vocatur; adeò vt ad omnem humani ſocietatem generis, vocabulum hoc nonnumquam pertineat. Id quod verus & vnicus magiſter aliquando interrogatus,* Et quis eſt meus proximus? *docuit.* Nec fecit] *non modò conſultò ac data opera, ſed nec inuitus aut caſu impulſus: namque, vti iam diſtinximus, verbum* GHASAH *finem & euentum atque rei exemplum ſignificat. Huic abſtinentiæ alia etiam in viro bono adiungitur cura, neminem non ſolùm facto aut delatione, ſed nec detractione, probro, vel maledicto inceſſendi, infamandi, aut eleuandi.* Et opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos] HHERPAH, *crimen, probrum, & conuicium Latinè dicitur, id quod aduerſus quempiam ſibi penitus notum non modò inferre, ſed ferre etiam nefas fuerit. nec tentat, inquit, nec tentari patitur, conuicio & crimine eum, quem vita aut conſuetudine coniunctum ſociumq́; ſortitus eſt.* KARBO, propinquum ſuum. *minùs amplum vocabulum quàm ſuperius illud* REGHEHV. Non accepit] LONASA, non tulit. *ita vt non ſolùm ipſe ſocium non lædat, ſed nec lædi ſe coram patiatur nomen eius aut famam. Quod optimi officij exemplum Ionathas erga Dauidem, apud patrem ſuum etiam regem, etiam iratum, præſtitiſſe narratur. Nec verò dicto tantùm ac facto ſeſe præbere innocentem ac ſceleris purum ſatis fuerit, ſed opus eſt ſenſu etiam & iudicio libero atque à vulgaribus opinionibus & ſententiis alieno, ea tantùm probantem & admirantem, quæ verè & ſolidè bona fuerint, quæq́; ad ſanctitatem pietatemq́; faciunt.*

Proximus. | Luc. 10. | Probrum.

4. Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat: qui iurat proximo ſuo, & non decipit:

5. Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit: Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

Vitæ tranquillitas.

Tranquillæ vitæ ſumma, in appetendorum & reijciendorum pura & bene ſubducta ratione conſiſtit. Qui nihil omnino cum pietatis cognitione, & cultura & ſtudio comparandum cenſet; cetera omnia quæ vulgo appetuntur,

tuntur, vel contemnit, vel deteſtatur prorſus, vt opes, diuitias, honores, & potentiam; quæ expoſita etiam vltroq́; oblata ſpernit ac reÿcit, tantum abeſt vt quærat & conſequatur. Quòd ſi ita ſeſe erga res ipſas habet, conſequens eſt, vt nec earundem compotes admiretur; ſed ſolùm eos ſuſpiciat & magni apud ſe faciat, quos vera pietate ac virtute præditos intellexerit. Hic genuinus verſus huius eſt ſenſus. Verba verò latius in propria lingua quàm in verſionibus habent. diſpungendum primum ſic, Ad nihilum deductus in conſpectu eius, malignus] *Significat, id ſibi vt prorſus malum improbari ac reÿci, quod vbi rectè putatum fuerit, vile & contemnendum cenſetur: cuius generis ſunt diuitiæ & opes, atque numorum & pecuniæ acerui, quocumque comparati modo.* NIBZEH BEGHENAIV, NIMAEZZ. Contemptibile in oculis ſuis, reiicitur. *Quidquid eiuſmodi eſt, quamquam vulgi ſuffragiis ornatum, nihili faciens & contemnens auerſatur: contrà verò* timentes Dominum IECHABED, glorificat, veneratur, & magnificit. *Sunt enim antitheta* NIBZEH, NIMAEZZ, & IECHABED. Qui iurat proximo ſuo, & non decipit] *Pergit in deſcribendo bono & ſanæ mentis viro, quem non modò beneficum, liberalem, & innocentem, ſed etiam quamlibet offenſum & contumeliis laceſſitum, ac denique prouocatum ſeſeq́; vindicare minitatum, tamen clementiſſimum & ad iniuriarum rependendam vicem nullatenus commotum aut inductum. Verba duo in hoc hemiſtichio duplicem ſubindicant ſenſum:* HRGH, *ſi quis cum illis legat vocalibus, vti noſter videtur interpres legiſſe,* HAREAGH, *certum quendam ſocium & proximum ſignificat: ſi verò cum illis* HARAGH, *malefacere & nocere verti poteſt. Alterum verbum* IAMER, *cuius thema eſt* MIR, *mutare, permutare, & vicem rependere Latinè eſt. vtrouis, imò & vtroque, legamus modo, ſenſus apertus redditur. iuratus quippiam ſocios non decipit, non detrahit, aut mutat; & ſi fortè iratus & offenſus malum ſe illaturum cuipiam iurauerit, non tamen fuerit demum repenſurus; vtpote qui nemini mortalium quoquam officere inſtituerit pacto, neque rem ſuam cuiuſquam damno aut incommodo augere aut malis rationibus promouere compararéq́; ſibi velit. Eſt autem duplex malè pariendæ pecuniæ* Auaritia. *via; altera qua manifeſtum alterius agitur damnum, qualis vſura & fæ-* Vſura. *neratio eſt numis, quorum natura prorſus habetur ſterilis, certo tempore parere è ſe ipſis numos alios abſque vllo ſui detrimento coactis: quod monſtri genus immane quantum hoc æui percrebuerit: altera verò, qua ſine vllo labore, ſine cultu aut probanda induſtria, per iniuriam aut contumeliam in quemquam immeritum admiſſam, numi aut munera aut merces aut aliàs quælibet reportantur præmia. qua in culpa auari iudices, falſi teſtes, atque etiam ſicarÿ inuoluuntur. Atqui in eo, quem bonum, pium, ſuæq́; ſalutis expetentem & curantem Deus deſcribit virum, nihil iſtiuſmodi vitÿ excipiendum relinquit.* Pecuniam ſuam non dedit ad vſuram] *vſuræ ſiue fænoris nomen apud Græcos τόκος eſt, partumq́; ſignificat: in ſa-* τόκος.

cra verò lingua NESECH, *id eſt, morſus, vocabulum appoſitiſſimum, eò quòd alienam rem vſuræ atque fænoris merces aſsiduis corrodendo morſibus tandem abſumant, dum ipſum caput ſuis manet & conſtat integrum nominibus.* Et munera ſuper innocentem non accepit] *qualia improbi iudices, falſi teſtes, ſicarij, malefici & venenorum artifices, mercatoresq; accipere conſueuere. Demum deſcriptionem totam boni & pij ac felicitatem ſuam expectantis viri, non verbis & oratione ſermoneq; compoſito, non perſonæ actione, quæ hypocriſis dicitur, ſed re & virtute atque veritate præſtandam, à Deo exigi, concludit Pſalmus. Namque vera virtus non verbis, ſed probandis rebus examinata conſtat.* Qui facit hæc, non mouebitur in æternum] *Tranſlatio eſt à ſolidis & pondere præditis rebus, cuiuſmodi marmoreæ ſtatuæ & columnæ ſunt, atque etiam currus ferro aut ære aliiſq; grauibus onuſti rebus, qui recta ſemper inſiſtentes orbita conſtitutam peragunt viam: ſic enim qui fide & ſpe inſtructus virtutem veram fortiter & ſtrenuè Deo, quoad humanè fieri poteſt, probauerit,* non mouebitur *à gratia diuina, quæ volentem præit, deducit, & promouet,* in æternum. IAMVT *nutare, labare & huc illuc impelli ſignificat. Perſiſtitur autem in tranſlatione à viatoribus recta inſiſtentibus via certam ſemper tenentibus curriculi orbitam.* In æternum] LEGHOLAM. *quamquam mundus omnis varia tempeſtate iactatus & mutatus varietur, etſi fractus illabatur orbis, impauidus nihilq; trepidans ex diuino beneficio voti compos euadet.*

IN PSALMVM XV.

LVDOVICO PEREZIO SALVTEM.

EXplicationis noſtræ in Pſalmum, *Conſerua me Domine*, quantulamcunque operam, te præſertim primum cognoſcere, & cognitam & (vt ſpero) placituram vſurpare, conſentaneum fuerit; quippe quem vnum cùm id agerem mihi animo cognitorem, imò & adiutorem tamquam præſentem ſtatuerim: quod vt facerem ſingularis cauſſæ lege ac iure ſum inductus. Soleo enim quidquid incipio, vnumquempiam ex amicis, quos non paucos habeo, notarum partium ante oculos mihi ſtatuere arbitrum:

trum: quicum quæ in mentem ad ſcribendum veniunt, conferam & communicem, atque eo animatus pacto, & veluti præſente hortatione adiutus, inſtitutum iter ad finem vſque peragam. Te autem vt ad hoc argumentum præcipuè tractandum delegerim & aſciuerim, pietatis multis nominibus notum & ſpectatum permouit exemplum: quam tibi vnicè & conſtanter cordi eſſe, nemo, qui te nouerit, eſt qui non intelligat; nemo eſt, qui tibi conſuerit, quin temporibus omnibus re & moribus præſtitam non teſtetur; nemo denique, qui non Deo gratuletur viros adhuc ſupereſſe & quotidie extare (quamquam hoc æui raros) qui tentati & examinati nullis rerum vel aduerſarum vel ſecundarum periculis à prouidentiæ diuinæ erga homines in vniuerſum & ſingulariter erga fideles ac pios præſidio, in quo latent in aliam humanæ potentiæ, facultatis, & opis cogitationem, aut in aliud patrocinium, vel animo diuertant vel vllo intendere arguantur ſigno: quin potiùs quidquid cælo, terra, mariq́ue per totum æui curſum commoueatur, miſceatur, atque turbetur, conſtante perferant patientia; certa profectò fide fulti, fore denique, vt ſublatis per diuinæ examinationis ignem impuris humani generis fecibus, quod purum probatumq́ue ſupererit, auctori artificiq́ue ſummo Deo ad ſacroſancti templi vſum & ornamentum in vaſa conformetur elegantia & vtiliſſima, atque illi aſſocientur omnium optimo exemplari, tanquam proprio membra capiti; quod vnicè, & per quod quæ probanda fuerint cetera, & citra quod nullum ſibi placere, Deus ipſe pronunciauit. Cuius exemplaris admirabilis deſcriptio & hiſtoria (quæ aliàs fæcundiſſimi agumenti eſt) quadantenus & quaſi per breuem ſummam, hoc, quem tibi modò deſtinamus, perſtringitur Pſalmo. Vale. Ex ſeceſſu noſtro rupis apud Aracenam, prid. Kalend. Septembr. CIↃ. IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

PSalmi huius à Dauide componendi cauſſam, Chriſto propriè Spiritus ſanctus, Petro Apoſtolo interprete, adſcribit: à quo principium omne ducendum, & exitum opportuniſsimè exſpectandum docet. Namque Chriſtus mundi ſeruatoris perſonam atque partes à ſe ſuſceptas Patri Deo exactè demum probaturus commendat, ſeſe in præſtando munere ſuo fidelem, obſequentem, ac diligentiſsimum præſtiturum profeſſus; fretum videlicet ſapientia, fortitudine, & bonitate Patris, cuius vnico præſidio quamlibet magnos aſsiduoſq́ labores perlaturum, atque adeò mortem ſubiturum, eandemq́ quàm citiſsimè victurum & ſubacturum ſeſe firmiſsimè ſperat. Atque ex his denique omnibus, maxima bona iis quos liberandos promouendoſq́ in ſe recepit, euentura intelligens prædicit: inde porrò æternæ gratulationis laudes, bonorum omnium auctori miſericordiarumq́ parenti Deo dedicandas ac decantandas vouet.

1. Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te.

Virtutum omnium ſummum exemplum IESVS Chriſtus.

Philip. 2.

Chriſtus formam ſerui accepit.

SVmmum virtutum omnium, fidei, ſpei, & obedientiæ exemplum hominibus omnibus, quibus propria ſalus curæ eſt, diuina ſapientia IESVM Chriſtum ſtatuit: qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, & habitu inuentus vt homo, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis *ignominioſam & ſeruilem; quæ tamen ſibi non ſolùm vti Deo ante mundi conſtitutionem, ſed etiam vt homini ab ipſo matris vtero præcognita, libens tamen & volens perferenda ſuſcepit, diuina Patris ope fiſus; quem vt obſequij ſui probatorem & fautorem, ſic etiam ad gerendam rem laboreſq́ perferendos & pericula ſuperanda, mortemq́ vincendam, dextrum, auxiliatorem, ſummeq́ efficacem ſperando, his omnibus aliiſq́ nominibus, ad conſtituti iamq́ cœpti negotij ſui expeditionem, clamans appellat & inuocat:* Conſerua me Domine] *Chriſtum quamquam humanæ carnis infirmitudine (abſque peccato) per omnia tentatum diuinitate & veritate Patris præſentiſsima ſemper fuiſſe* (Iohan. 10.) *munitum didicimus:* Vt cognoſcatis & credatis quia ego in Patre, & Pater in me eſt. *Diuinam itaque, quam dicimus, tutelam* IESVS *Chriſtus agnoſcens, laudans & prædicans appellat, eandemq́ membris fidelibus ſuis appellandam docet; ex quibus vnus etiam Pſalmi huius auctor Dauid erat; verùm Chriſtus ipſe totius rei ac veritatis caput hîc habetur. Appellatur autem Deus nomine* EL, *quod potentiam, fortitudinem, robur, & efficacitatem ſignificando includit.* ſperaui in te] *De multis verbis, quæ Latinè plerumque in* ſperare *vertuntur, id quod hoc loco inuenitur,* HHAZZAH *ad ſingularem atque ſtudioſam refertur præſidij tutelam, ac ſæpiſsimè ad auium erga pullos curam ſignificandam vſurpatur, indeq́ tranſ-*

transfertur ad opem auxiliumq́ Dei certiſsimum: quale illud eſt, Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum IEHHEZZAIVN, ſperabunt. *Hiſpanicè dicitur* amparar, *ſiue* mamparar. *Romanorum quod vocabatur Aſylum,* MAHHZZEH *in ſacra lingua rectè dicetur. Te vnicum mihi protectorem ac tutelarem meiq́ ſeruantem conſtitui, quem rerum & partium quoque mearum agnoſco, & prædico auctorem, atque etiam Dominum colo & veneror.* Pſalm. 35. Aſylum.

2. Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Dixi Domino: Deus meus es tu] *Verbum* dixit, *quod in tertia perſona ipſam dicentis animam ſiue ſpem indicat, ad primam perſonam planè & clarè à Latino interprete relatum eſt,* Dixi: *deliberato certoq́ conſilio neminem alium quàm te Deum* IEHVEH *Dominum agnoſco, appello, & colo.* LEIEHVEH ADONI. *Plus millies iam aliàs repetiuimus, id quod nuſquam admonere pigebit,* IEHVEH *ſacroſanctum nomen ad eam præcipuè appellari rationem, qua Deus miſericors ac ſalutaris hominumq́ ſeruator & amplificator dicitur. Cuius rei, quoniam Patris Verbum factus homo Chriſtus, nuncius, miniſter, & procurator conſtitutus fuerat, ſe ipſum ſeruum profeſſus, eundem ipſum* IEHVEH ADON, *id eſt, Dominum, agnoſcit ac laudat.* Dixi *ipſi* IEHVEH, ADONI ATHA, Dominus meus tu [es.] *Quoniam verò ciuiles & vulgares qui dicuntur ſerui, ea comparantur cauſſa, rem vt augeant amplificentq́ dominorum, atque ita familiam locupletent; aliam longè liberaliorem & auguſtiorem miniſterio ſuo & operæ à ſe ponendæ cauſam conſtitutam declarat Chriſtus, non qui Patris ac Domini ſui rem augeat maioremq́ faciat, vtpote ditiſsimi & nulla prorſus egentis re, ſed qui ſeruorum Dei ſanctorumq́ beatitatem & felicitatem ſtrenuè ac diligenter efficaciterq́ curet.* Quoniam bonorum meorum non eges] *Cùm ſeruus amplificandis domini non vacat rebus, proprium ſibi peculium plerumque augere & comparare ſolet, idq́ domini permiſſu: nam ſi frugi eſt, ab otio & deſidia abhorrens quidquid agit, alicui vſui eſſe oportet. Verùm ille prorſus laudem ac decus meretur ſeruus, qui non ſibi, ſed iis quos commendatos à domino ſortitus eſt, hoc eſt, conſeruis, conſilio, ſtudio, labore, & opportuna prouidet atque vacat opera. S. S. E.* Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram. *Huiuſmodi ſeruum ſeſe Chriſtus profitetur, non qui venerit, vt faceret voluntatem ſuam, ſed voluntatem eius, qui ſe miſit. ad quam ſententiam & rationem ſubiunctum referimus verſum,* Seruorum vſus. Frugi ſeruus. Luc. 12.

3. Sanctis, qui ſunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis.

Propoſitum ſtudium, & opus operámque, & quidquid à ſe agitur, in cu-

 randis,

randis, fouendis & beandis fortibus, quoſcunque terra tales habet, quoſq; ipſe regni cæleſtis ciues ac domeſticos Dei efficere tendit ac fouet; totumq; ſeſe in hoc negotio, vt Patri obediat & placeat, vtq; illis proſit, eſſe & verſari ait. mirificauit omnes voluntates meas in eis] *mirabiles fecit & ſtabiliuit Deus Pater, atq; id ipſum pariter volo & ago,* LEADIREI, ad fortes, illuſtres, mirabiles *reddendos. Atque hunc vnicum, verum, ſalutarem, efficacem, hunc omnium ſuiq; Dominum Deum, hunc felicitatis humanæ ſolum auctorem, ſeq; miniſtrum & procuratorem fideliſſimum profeſſus & confeſſus Chriſtus, nihil aliud eſſe ait, quod ad hanc rem faciat; nihil, quod vtilitatis veræ loco hominibus in cælo & in terra vſquámue locorum ſtatui haberiq; poſſit, nedum in aſtris & in ceteris nominibus, quæcumque magno ſumptu laboreq; multo pro diis falsò proponuntur & coluntur.* Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, *præter Deum vnicum Patrem & quem miſit filium ſuum, qui cum Sancto ſpiritu hominum ſanctificatore vnus Deus coluntur & ſunt. Ceterorum verò, qui Dij falsò putantur,*

Act. 4.

4. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: poſtea accelerauerunt. Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Multiplicatæ ſunt infirmitates] *Actiuo verbo hæc in exemplari leguntur,* IIRBV, GHETSABOTHAM, multiplicabunt, *multiplicare ſolent homines,* infirmitates, labores, idola, ſimulacra. *quæ omnia partim propriè, partim ex effectu, nomen* GHATSAB *ſignificat, vt apud Iſaiam.* Ne fortè diceres; Idola mea fecerunt hæc, & ſculptilia mea, *&c. Namque iſtiuſmodi vanorum cultus numinum præter laborem & ſumptum atque damnum, quibus apparatur, vtilitatis nihil, calamitatis, trepidationis, ac metus plurimum cum ſuperſtitione affert: nulla enim vitæ parte ſecuri atque quieti manent, ſed perpetuò dubij, trepidi, & inſtabiles, qui huiuſmodi opinione imbuti aliud colunt præter vnicum ac trinum Deum æternæ vitæ auctorem ſolum.* poſtea accelerauerunt] MAHHARV, trepidarunt. *Ab iſtiuſmodi autem ſenſu, factione, & cōſortio ſeſe omnino alienum declarans Chriſtus, eos, qui ſuarum partium ſunt, alienos quoq; vult eſſe ac docet.* Non congregabo conuenticula eorum] *Sacrorū quorumlibet communicatio, profeſſionem participationis & conſortij cum eo cui ſacrificatur, indicat & arguit. S.S.E.* Sed quę immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum, *&c. Cuiuſmodi ſuperſtitioſam & nefariam communionem deteſtabilem ſibi eſſe adeò, vt ne nominando quidem meminiſſe ſtatuerit. qua in exceptione legitimi vetiti obſeruantia promittitur.* Quaſi ſpurcitiam deteſtaberis [*idolum omne idoliq; materiam*] & velut inquinamentum ac ſordes, abominationi habebis, quia anathema eſt. De ſanguinibus]

Iſai. 48. Idolorum inutilitas.

Sacrificiorum communicatio. 1. Cor. 10.

Deut. 7.

MIDAM, de ſanguine, *qui ad libamina adhibebatur, fœdus inter cultores & id quod colebatur, numen ſignificantia. Opportunè autem, ſeſe ab omni ſuperſtitione & vano, monſtroſo, inutili, & nefario cultu exceptum declarans Chriſtus, totum ſe ſuaq́; cuncta vnius veri, miſericordis, efficacis, ac ſalutaris Dei eſſe profitetur, & quidquid egerit, agat, acturus & effecturus fuerit, ad illius voluntatem, ſapientiam, virtutemq́; referēdum definit.*

5. Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei: tu es qui reſtitues hereditatem meam mihi.

Pars hereditatis meæ] MINATH HHELKI. *Portio & conditio, quæ vnumquemque tangit,* MINAH, *ſiue* MINATH *vocatur. Idem autem formula hæc dicendi valet, atque, Partes, conditiones, iuraq́; mea cuncta vnicum* IEHVEH *reſpiciunt, eidemq́; à me referūtur accepta. Fuit autem mos antiquis, in omni fœderis, communionis, concordiæ, vel ſocietatis conſortio, pacti celebritatem nonnunquam epulo, ſæpius etiam poculi communicatione excolere ac profiteri. Id quod hodieq́; apud Germanos, Britannos, Hibernos, & complures alias obſeruatur nationes. Nec rara in ſacris hiſtoriis huius moris ac ritus mentio. Hinc illud:* Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. *Et,* Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? *Ad hunc itaque ritum alludens Chriſtus, partes omnes, quas ipſe agat quasq́; ferat & ſuſtineat, ad Dei Patris voluntatem, auctoritatem, & virtutem reuocat: qui, cùm ſingulis rerum generibus, cùm ſpiritibus & hominibus ceterisq́; omnibus, quæ in cælo ſurſum & in terra deorſum, & in abyſſo ſub terra ſunt, ſua ſapienter munia fuerit impertitus, certam, ſingularem, eandemq́; mirabilem ſibi deſtinauerit ſortem; quam conſequentibus eueſtigio verſibus ex ordine prædicens indicat.*

Fœderis ritus.

Calix. *Pſal. 115. Matth. 20.*

Tu es qui reſtitues hereditatem meam mihi] GORAL, *pro quo interpres noſter hoc loco* hereditatem *reddit, idem ſæpe aliàs vertit in* ſortem. *vt,* Cecidit ſors ſuper Ionam. *Verbum autem* reſtitues *in exemplari eſt* THOMICH, *quod manu vel pugno apprehendere, tenere, ſuſtentare, & fulcire ſignificat, atque in ſimilia verba ab interprete noſtro ſæpe vertitur. vt* Tenentem ſceptrum de Aſcalone. *Atqui ſortium ex vrna ducendarum bifariam exercetur vſus; vno modo, ſingulorum coniectis & confuſis primum temerè, tum verò inde extractis nominibus, & quid cuique obtigerit animaduertendo: qui modus ad caſum plerumque inter homines refertur: altero verò cùm vnuſquiſque quid de aliquo ſentiat & velit, primùm apud ſe ſtatuit, deinde verò certo coniecto ſymbolo vrnæ committit: quæ ratio iudicum ſententiis, erga eos qui iudicabantur, expendendis olim obſeruabatur. Vtroque verò modo quæcunque iaceretur ſors, vel iacientis, vel educentis exigebat manum. Atqui humanam quidem, ſiue educendo ſiue iaciendo, vel errare & falli, vel conſultò fallere manum non vno tantùm periculo deprehenſum eſt. quod vt ne eueniret,*

Sors. *Ion. 1.* *Amos 1.* Sortium ratio.

Act.1. *ſanctos viros accuratè ac ſolicitè deprecatos accepimus. At verò quam Dei manus ſiue iaciendam ſiue educendam tractauerit ac tenuerit, eam vel errare vel fallere fuerit prorſus impoßibile: quando diuina manus eadem videns, eadem ſapiens, eadem quoque potens & eſt efficacißima. Hac tranſlatione vſus in hoc verſu Chriſtus, partes omnes, quas ipſe acturus, quas laturus & præſtiturus iuerit, certißimas, felices, fauſtasq́ vndique euaſuras ait; vtpote quas nemine alio quàm Deo ipſo auctore & ſortis ſuæ curatore atque auſpice, iudice & conſultore, ſibi nouerit obtigiſſe.* Tu es qui tenes manu ſortem meam, *partem, quæ me contingit. Interpres noſter hac in ſignificatione* hereditatem *vocat, perſtans videlicet in præcedenti tranſlatione,* Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei, *& ad ſubiunctam quoque alludens illam,*

6. Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hereditas mea præclara eſt mihi.

Terræ per ſortes diuiſio. *Ad antiquam illam promiſſæ terræ in vndecim tribuum vſus diuiſionem, oratio hæc per imaginem refertur. in qua quid cuique obtigerit, diuina ſors indicaßе, deinde ſingulæ tribus, quas nactæ eſſent ſorte partes, coluiſſe & ornaſſe narrantur. Chriſtus autem ſibi abſolutæ & integræ nullaq́ exceptione imminutæ obedientiæ partes, diuino conſilio ac iudicio ſibi datas, optimam & fertilißimam, pulcherrimam, imò & amœnam ſuam hereditatem eſſe prædicat. id quod & aliàs idem ipſe declarauit.* Sacrificium

Pſal.39. & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi: Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. *Herciſcundas olim ſiue ineundas hereditates, certi ac publicè noti modi funiculis dimetiri mos fuit. qui & nunc ſimiliter apud Bæthicos obſeruatur.*

Funes menſorij. *Atqui Chriſto quam ſtatuerit hereditatem Deus, ipſe idem in ſecundo definiuit Pſalmo:* Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.

Pſal. 2.

Chriſti obedientia. *Verùm enimuerò quemadmodum & quo pacto tam præclaram promeriturus erat hereditatem, alius in carminibus reſponſisq́ compluribus relatum ſignificauit, atque hoc etiam non obſcurè indicat loco; nempe patientißimæ obedientiæ obſequio, per multos vitæ labores exercendæ atque probandæ ad mortem vſque: quam præſtare, ſibi certißimum eſſe ait, cum firmißima ſpe victoriæ ex omnibus laboribus ac diſcriminibus, atque adeò ex morte ipſa corporis, reportandæ; vtpote quem animi integri, & ab omni mortis æternæ iure & imperio immunem diuina conſtituerit virtus. Cuius rationis atque ſententiæ, quæ ſubiunguntur deinceps carmina, ſeſe ipſa commonſtrant.*

7. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: inſuper & vſque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Actionum atque negotiorum vitæ laus omnis, ab animi certitudine petitur, quam conſilium pariat: quare fundamentum in conſilio primùm iacitur. conſilium autem rectiſſimum illud habetur, quod ex Dei auctoritate proficiſcitur: à qua quidquid diſcrepat, in ſtultitiam & errorem tendit. Conſiliorum igitur ſuorum & cogitatuum etiam nocturnorum auctorem vnicum Deum Patrem ſuum laudare ſe, laudaturumq́ perpetuò fore Chriſtus ait; neque verò id ſolùm interdiu vigilantem & inter homines verſantem; ſed noctu etiam ſolùm & ſecum priuatè agentem, nihil ſe declarat cogitare & cupere aut expetere, niſi quod cum diuina voluntate adamuſſim conueniat. Benedicam Dominum] Inter alia, quæ benedicere ſiue BARACH verbum complectitur, connumeratur laus eius, qui rei cuiuſpiam quomodolibet citatur aut conſiliator aut index, inuentor, aut aliàs caput. Cui apud Latinos laudare etiam huiuſmodi iure confertur: dicimus enim laudare teſtem, iudicem, auctorem, &, Laudo meum ciuem, Scriptor nobilis dixit. atque hac ſignificatione Dominus miſericors & efficax conſilij ac propoſiti cogitatuumq́ ſuorum caput & principium, vnicus auctor, idemq́ cauſſa vnica laudatur à Chriſto. Qui tribuit mihi intellectum] ASER IAGHATSENI. certam indicationem ac ſingularem efficaciam hæc formula indicat, Qui conſilium mihi tulit, quo conſiliario vtor perpetuò, vſque adeò vt ne noctu quidem, cùm ſemotis curis quieti & ſomno indulgent homines, ipſe à diuinæ voluntatis cogitatione diuellar aut ceſſem. Inſuper & vſque ad noctem, idem valet, Atque adeò noctibus ipſis increpuerunt, IIZZARVNI, monuerunt, erudierunt, incitarunt me renes mei. Duo præcipua humani animi officia ſunt; alterum, quo rebus agendis proſpicitur, in quo cogitatio, conſilium, intellectio & quæcunque ad cognitionem faciunt, verſantur, atque adeò ſenſus ipſi dum animi intentioni inſeruiunt: alterum verò quod exteriore hominis parte, hoc eſt, corpore curando & nutriendo & conſeruando ponitur. Prius illud interdiu per lucem & vigiliam commodiùs & expeditiùs exercetur: poſterius autem noctu per opportunum alimentum & conuenientem ſoporem præſtatur. S. S. E. Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ; catuli leonum rugientes, vt rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi. Ortus eſt ſol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam. Atque hac rerum & actionum partitione Platonis inducta Schola, animam definiebat Numerum eſſe mouentem ſeſe, & interdiu quæ ad cognitionem, noctu verò quæ ad nutritionem faciunt, ſatagentem: ideoq́ ſenſus omnes noctu ſopitos, per lucem verò excitatos teneri. Vt verò cogitationum, conſiliorum, & animi

Conſilium actionum fundamentum.

Benedicere

Laudare.

Animi officia.

Pſal. 103.

Animæ definitio Platonica.

Mentis ſedes cor. *illius, quem marem ſacra philoſophia prædicat, regiam aulam & ſedem in corde; ſic affectuum ad corporis & minoris partis curationem, & voluptatem pertinentium fontem, eadem ſacra diſciplina renes eſſe indicat: quamobrem vtraque pars in animalium hoſtiarumq́ ſacrificiis, altaris igni ſacranda & exurenda poſtulatur. Vtramque itaque ſui partem Chriſtus qua homo eſt, hoc eſt, animum, quo ſapit, & animam, qua viuit, ſuperiorem inquam & inferiorem portiones, aliàs interiorem & exteriorem homines vocatos, Deo prorſus dicatos & addictos declarat, profitetur, & gratulatur. ex quo eueniſſe legimus, vt non modò interdiu ille Patris negotium ageret & curaret, ſed vt* in oratione *etiam* Dei pernoctans *eſſet, renum quoque nocturnis affectibus & motibus, in perpetuum Patris obſequium intentis & excitatis vltroq́ deditis. Et quamquam inferior iſta portio, quæ alio nomine infirmitas vocatur, propter boni & mali cunctis hominibus communem cognitionem, maximorum laborum difficultatem præcognitam horreat, idemq́ ipſe in eadem portione (abſque peccato tamen) experturum ſe intelligat; nihilominus tentatum quamlibet, non tamen commotum iri, fidit & affirmat; vtpote qui Dei conſilio ſemper intentus, eiuſdem æterna virtute perpetuò fulciatur, homo quidem in diebus carnis ſuæ infirmus & mortalis, Deus idem verò Deus ſemper fortiſſimus & immortalis: qui tandem corporis etiam deuicta morte reſurgens, immortalis eadem quoque parte ſit euaſurus.*

Renes cupidinum ſedes. Cor & renes in ſacrificiis. Chriſtus omnibus ſui partibus Deo dicatus. *Luc. 6.*

8. Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear.

Prouidebam Dominum] SAVITHI IEHVEH, poſui Dominum miſericordem & efficacem. In conſpectu meo ſemper] LENEGEDI THAMID, coram me iugiter, perpetuò, & continuò. *Hæc vis vocis* THAMID, *ſenſu atq́ animo ſibi perpetuò præſentem Deum conſtare declarat & gratulatur; quem tum conſiliorũ negotiorumq́ ſuorum intueatur auctorem, tum verò etiam laborum, certaminum, atque acerbiſſimæ mortis conflictus opitulatorem & protectorem nouerit. Hoc enim illa* A dextris eſſe. *formula* A DEXTRIS ESSE, *(vt in ſacro docebamus apparatu) ſignificatur. Huius veritatis illud teſtimonium citamus,* Apparuit illi Angelus Dei, confortans eum. Ne commouear] BAL AEMVT. non nutabo. *Conſtantiam, firmitudinem, & quamlibet quaſſum ac tentatum tamen inconcuſſum ſcopuli inſtar animi robur, atque integerrimam ſibi ex Deo promittit fortitudinem. Huius autem firmiſſimi diuini præſidij certitudine fultus Chriſtus, ſubeundi ſibi ſecundùm carnem cum duriſſimis hoſtibus, peccato, morte, & inferno, certaminis longè multo antea cogniti victorem ſeſe, lætum, ouantem, imò & triumphatorem perpetuis gratulationibus ac laudibus celeberrimum, prædicat euaſurum; & æternitate etiam victoriæ, perpetuaq́ de cetero ſecuritate & gloria, breuem illum,* *quamuis*

Luc. 22. Chriſti certamen & victoria.

quamuis maximum, trium dierum laborem commutaturum & repenſurum, ſine vlla vtriuſque rei comparatione: Non enim ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *Rom.8.*

9. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.

Lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea] *Cordis lætitiam linguæ comitatur gratulatio:* ex abundantia enim cordis os loquitur. *atque vtraque hæc pars ad animi impulſum & ſenſum, ſiue ſpiritum vocari placeat, refertur. de quo ſcriptum,* Spiritus quidem promptus eſt. *Inferioris verò portionis nomen* caro, *quæ, quamquam aliàs infirmior in Adami filiis deprehendatur, tamen in ſe propter victoriæ ac reſurrectionis & conſequentis gloriæ ſpem certiſſimam, conſtanter patiens, & obſequens eſſe perhibetur.* Inſuper & caro mea requieſcet in ſpe] *non ait,* morietur, *ſed* IISACHEN, habitabit, morabitur, attendet. *Quorum caro ita moritur, vt putreſcat & corrumpatur, dici ſolet* IISACHEN BAGHAPHAR, habitabit in puluere. *Verùm hæc formula & ſignificatio à Chriſti corpore longè fuerit alieniſſima; quod tametſi in ſepulchro depoſitum fuit, non tamen in puluere iacuit, ſed tumulo, qui in viuo lapide exciſus eſt,* in quo nondum quiſquam poſitus fuerat; *neque ibidem diutius hæſurum aut relinquendum, ſed breui admodum temporis ſpatio habitaturum* in ſpe, LABETAHH, in fiducia. *Eſt autem fiducia rei animo certiſſimæ & tanquam iam prorſus obtentæ, atque vocabulo* BETAHH *apprimè reſpondet; vt ex illo verſu conſtat:*

Cor. *Spiritus.* *Mar.14.* *Caro.* *Chriſti caro.* *Habitare in puluere.* *Fiducia.*

Nam cum magna malæ ſupereſt audacia cauſſæ,
Creditur à multis fiducia. *Iuuenal. Sat.11.*

Hac ſpe atque fiducia fultam carnem ſuam, probra, plagas, contumelias, ignominioſamq; pati mortem paratam eſſe Chriſtus ait.

10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.

Non derelinques animam meam in inferno] NAPHSI *pro ea parte vſurpatur hoc loco ſecundũ quam viueret, id eſt, pro vita. id quod in Euangelio frequẽtiùs obſeruatur. vt,* Maiorem hac dilectionẽ nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. *atque ex metonymia corpus quoque ſignificat, quod illâ informatur & viuit animâ. Breuiſſimum autem fore mortis ac ſepulturæ ſuæ ſpatium, qui à Deo in ſepulchro animam ſuam non deſerendam ait, ſiue* inferni *nomine ſepulchrum, ſiue animarum olim poſt corporis mortem locum quis intelligat: vtrumque enim* SEOL *vocabulo ſignificari, vel mediocriter in ſacris literis verſati norunt. quod Paulus Apoſtolus* inferiores terræ partes *interpretatur. Quatenus verò mortẽ in corpore ſuo hæſuram intelligeret, ſubiuncta indicauit expolitione;* Nec

Anima pro vita. *Iohan.15.* *Infernus.* *Epheſ.4.* *Inferiores partes terræ.*

Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem] *Occiſi hominis vel aliàs vita defuncti corpus, intra quartum diem vitium corruptionemq́ ſubire, quotidianis compertum conſtat experimentis, atque illo de*
Iohan. 11. *Lazari carne confirmatur teſtimonio :* Domine iam fœtet, quatriduanus eſt enim. IESV *Chriſti verò carnem à ſimili prorſus labe non ſolùm conſeruatum, ſed ab eius labis tempore & opportunitate exceptum iri, hæc elocutionis formula planè docet,* nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. *Videntur etiam ea, quæ nondum quidem contingunt, proxima verò vel ſunt vel accedunt : impoßibile autem fuit hunc Dei ſingularißi-*
Act. 2. *mè pium & ſanctum* inferni doloribus teneri. *Igitur ante naturali etiam corruptioni præſcriptum tempus illum viuum extiturum, expectari oportuit, vtpote nulli corruptionis legi vel tempori vel modo vel initio ne minima quidem ex parte addictum; imo etiam tanta præditum vitæ fortitudine & virtute, vt vel mortuo ipſi ſibi vitam reuocare ac reſumere inte-*
Iohan. 11. *grum eſſet, non ab alio quàm à ſe ipſo petendam : quippe qui & vita ipſe eſſet & reſurrectio. Atque hoc eſt quod ipſe ſibi ex diuina natura ac virtute datum agnoſcens ait,*

11. Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo : delectationes in dextera tua vſque in finem.

Chriſti ex reſurrectione vita.

Notas mihi feciſti vias vitæ] OR AHH HHAIIM. *Certam ac ſingularem vitæ ſemitam ſignificat hæc formula; quam ſemitam ſibi vnicè ex Dei virtute cognitam agnitamq́ gratulatur, ita vt qui Patri ſuo ad mortem vſque obediens in cruce ſpiritum inclinato capite reddiderit, ſua ipſius virtute ac ſapientia conſtans repetere, ac reſumere rurſus valeat; neque vnquam amplius à morte tangatur, vel tentetur, ſed æternæ vitæ, quæ ipſemet eſt, æternis bonis, gaudiis, & veris atque in ſua membra præſtandis delectationibus, etiam quatenus homo eſt in paterna ſedens dextera abundet.* Adimplebis me lætitia cum vultu tuo] SEBAGH SIMHHOTH ETH PANEICHA. *Ex verbo,* Saturitas gaudiorum apud facies tuas. Delectationes in dextera tua vſque in finem; NEZZAHH, iugiter, perpetuò, & in æternum. *Hanc Pſalmi huius interpretationem diuinus, vti initio monebamus, per Petrum Apoſtolum do-*
Act. 2. *cuit Spiritus.* Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha Dauid, quoniam & defunctus eſt & ſepultus : & ſepulchrum eius eſt apud nos vſque in hodiernum diem. Propheta igitur cùm eſſet, & ſciret quia iureiurando iuraſſet illi Deus de fructu lumbi eius ſedere ſuper ſolium eius, prouidens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hunc IESVM reſuſcitauit Deus, cuius omnes nos teſtes ſumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre, effudit hunc quem vos videtis, & auditis. *Has intelligimus in dextera*

Patris

Patris æternas quoque dici delectationes. Sunt qui pro nomine SAHHATH foueam *Latinè reddant, quòd locum, vnde effoſſa & extracta terra fuerit, idem etiam vocabulum ſignificet. id quod in hoc loco ab hiſtoriæ non abhorret veritate. Namque, vt in antiquorum iudiciorum traditionibus legimus, iis qui ex iudicum ſententia capitali afficiebantur ſupplicio, priuata aut patria ſepultura prohibitis, communem quendam ſiue cippum ſiue ſepulchrum, idq; in fronte & in agrum ſatis amplè effoſſum ſtare deputatum ad vſque carnis conſumptionem; carne poſtea abſumpta prorſus, oſſa ad familiare monumentum transferri licebat; quem locum* SAHHATH, *id eſt,* corruptionis foueam, *vti accepimus, vocitatum, ne videre quidem à longè Chriſtum ſuum diuina prouidentia paſſa eſt; primùm vt nec vel nominis communione participare ſineret, ac deinde etiam ne ex eo reſurgente loco, qui ſontibus omnibus communis & publicus habebatur; alterius cuiuſquam, pro ſuo reſurgentis nomine, ab inuidorum & inimicorum ſuorum verſutia ac detractione ſupponeret. id quod non ſine prudenti animaduerſione excipiendum Spiritus ſanctus Euangeliſtæ dictauit.* Erat autem in loco, vbi crucifixus eſt, hortus; & in horto monumentum nouum, in quo nondum quiſquam poſitus erat. ibi ergo propter paraſceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, poſuerũt IESVM.

Sontium ſepultura.

Fouea corruptionis.

Miſnaioth de iudiciis cap. penultimo.

Chriſti ſepulchrum.

Iohan. 19.

Huic, quem interpretati ſumus, Pſalmo MICHTHAM LE DAVID *præfigitur titulus, qui Latinè* Dauidis monile *reddi poßit: ideo ſic inſcriptio eſt quòd magna de Chriſto (in quem piorum omnium vota tendunt) myſteria & perpetuò animi & cordis cogitatu verſanda contineat, eademq; ita connexa & cohærentia, vt monilis ac torquis repræſententur imagine.*

IN PSALMVM XVI.

FERNANDO XIMENIO EQVITI ET CIVI FLORENTINO SALVTEM.

PErſtat mundus adhuc in ſuæ improbitatis propoſito, amice Fernande, & crudelibus ſemper delectatur fabulis: quarum præcipuos actores non leues & pauperes hiſtriones, verùm magnates, potentes, & locupletiores inter homines conducit & profert: quos, vel opum vel humanę gloriolæ mercede promiſſa, ad omnium

Mundi improbitas.

facinorum non agenda modò, ſed etiam inſtauranda atque edenda inſtruit exempla. Nullum ſæuitiæ, nullum fraudis, violentiæ nullum profectò monſtrum, prudentiores antiquorum temporum ſcriptores in moribus gentium adeò ferum deteſtabileque notarunt, quod in noſtris excipiatur ſeculis; ſiue illud ad probroſa ac turpia auſa, ſiue ad auaritiam, ſiue ad ſuperbiam & vitæ faſtum referatur; nec minus nunc atque olim,

Omne in præcipiti vitium ſtetit,

quando vt nullum prorſus crimen extaret, diuinæ doctrinæ ratio & Chriſtianæ ſimplicitatis poſtulabat veritas. Verùm enimuerò vltra cetera mala quæ ſumma eſſe ſenſemus, inuidiæ & contentionis æmulationiſque ſpiritus, quæ maxima Satanæ ad generis humani exitium vis eſt, nunc ita hominum pectora inuaſit & occupauit, atque adeò in furias ignemq. concitauit; vt niſi diuina iuſtitia vel diluuio aliquo, vel miſericordia leni & refrigerante vento repentè ſuccurrat, vehementi ac manifeſto incendio terrarum orbem conflagraturum debeamus metuere. præcipuè cùm quæ olim ſæuitia & crudelitas, manifeſto ac noto vitij vultu, habitu atque veſtitu, graſſabatur; nunc iam pietatis ac religionis tum nomine tum ſpecie ac perſona ſuas peragat partes, & innocentes ipſos, quos perdere intendit, ita turbet & confundat, vt nec dimicare ac ſeſe defendere ſinat, atque adeò nec effugere, & vel ignotos vllo terrarum loco latere permittat, ſed vel omnino perire, vel vexatos, expoliatos, ac direptos in ſuam concedere turbam ſuaſque imitari & referre artes cogat; hoc eſt, ex furto, rapina, vi, fraude atque inſidiis viuere, & mendacium vanitatemque pro præcipuo vitæ rerumque præſidio colere & venerari ac frequentare. Quid mirum? cùm vitia iſta ita in publicum theatrum ornata prodeant, ita ſeſe pro veris virtutibus venditent, ita ſua diſſimulent, aliena verò ſimulent ingenia, iis denique præſtigiis attendentium & ſpectantium ſenſibus ac mentibus imponant, vt perinde atque
Matth.24 IESVS præceptor animaduertendum docuit, *in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* Id quod in ſe vnum quondam expertus, & in alios fieri miratus ac dolens Dauid Vates, nobis vt planè cognoſceretur & caueretur, deſcriptum literarum tradidit

didit monumentis, ſuaſitque idem ab eodem tantis incommodis petere ac poſcere remedium, quod & à quo ipſe hoc in Pſalmo popoſcit; à Deo inquam improbitatis omnis vindice, & piorum tutore vnico, ſalutiſque publicæ per expectatum quondam & iam reapſe præſtitum Chriſtum Pontificem efficaciſſimo auctore. Quem tibi purè ac ritè cognitum & conſtanter oratum, peroratum iri confido, & gratulabundus propediem ſpero. Vale, ex ſeceſſu noſtro apud Aracenam, pridie Kalend. Septembr. CIↃ. IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

IVſtorum pioruműq; vita hominum bifariam in hoc mundo exercetur; vno quidem modo, ſuis ipſius actionibus honeſtis cumprimis & probis, atque ab inferenda mortalium cuiquam iniuria prorſus alienis: alio verò calamitatibus, ærumnis, & laboribus, quibus mortalis hic ſtatus vndique quatitur, ferendis, ac præcipuè contumeliis, damnis & incommodis, quæ per aduerſarios afferuntur, fortiter & patienter ſuſtinendis. Verùm enimuerò quòd ipſa humanæ carnis infirmitudo, ſi præſidio careat, tantæ laborum ac tentationum moli ſeſe imparem agnoſcat, duo præter alia etiam ſibi apud Deum conſtare ad ſalutem intelligens nomina, ſtudiosè appellat, inq; ſuas conciliare curat partes: alterum iudicij, miſericordiæ alterum: iudicium ad propulſandam vindicandamq; iniuriam prouocatur; miſericordia verò ad laborum & calamitatum depulſionem aut leuamen poſcitur. Et iudici quidem Deo, innocentia ac ſimplicitas probatur propria; miſericordi verò, humanæ ſimul inopiæ atque ærumnæ ad opem ferendam grauis ac miſerabilis proponitur imago. Hanc igitur perſonam cùm Dauid ſuſtineret, apud Deum in hoc Pſalmo agere inſtituit.

Piorum vitæ exercitatio.

Iudicij & miſericordiæ imploratio.

1. Exaudi Domine iuſtitiam meam: intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam, non in labiis doloſis.

DVas res in hoc Pſalmo ſe comprimis agere Vates indicat; alteram, qua ſuam aduerſus inimicos cauſſam Deo iudici probet; alteram verò, qua eidem benigno ac miſericordi, labores, ærumnas, & incommoda ſua, ad opem impetrandam commemoret: priorem partem iuſtitiæ *nomine definit.* Exaudi Domine] IEHVEH *miſericors idem ac iuſtus; quo nomine ab Iſraelitis apud Aegyptios oppreſſis cognitus fuit.* Iuſtitiam meam] *Quamquam hoc pronomen in exemplari non*

 legatur,

legatur, tamen re ipſa & poëtico arguitur ſchemate; vtpote quòd in poſteriori contineatur membro, deprecationem meam] RINATHI. *Magnus & vehemens clamor ſiue in lætitia, ſiue in lamentatione hoc nomine dicitur; atque is præcipuè, qui cum fiducia erumpit, quali ſe in vtroque ſuæ actionis argumento præditum eſſe cueſtigio profitetur. Eſt itaque exordij ſumma, ſe iuſtam pariter ac miſerabilem apud Dominum cauſſam acturum, eandemq́ſ ſumma veritate ac fide, ſine vllis coloribus aut fucis, quibus iniuſtæ cauſſæ obuelari ſolent, expoſiturum.* Auribus percipe orationem meam, non in labiis doloſis, *pronunciatam.* THEPHILATHI poſtulationem meam, *quales apud iudicem factitari ſolent; namque huiuſmodi muneris nomine & cauſſa, Deus in hoc appellatur Pſalmo vt arbiter integerrimus, idemq́ſ ſapientiſſimus & certiſſimus hominum examinator, veritatisq́ſ ſingulorum compos maximè. Atque ita à cauſſæ perſonæq́ſ ſuæ ſimplicitate & à iudicis perſona atque officio exordium primùm contexit, deinde narrationem occipit: itaque veram ſimplicemq́ſ cauſam ſeſe acturum profitetur, id verò apud qualem iudicem?*

2. De vultu tuo iudicium meum prodeat; oculi tui videant æquitates.

Prius verbum prodeat *imperatiui eſt modi, qui optatiui etiam vim præſtat. Volo te, inquit, & opto meæ cauſſæ eſſe iudicem: poſterius verò* videant, *futuro pronunciatum* THEHAZINA, *proprium, antiquum & perpetuum diuinum ſignificat morem, & perſpicaciſſimum viſum ad cognoſcendum vnico intuitu rerum actionumq́ſ humanarum* æquitates *& rectitudines. nam pluraliter nominantur* MESARIM. *Cum hac Dei, quam laudat, perſpicacia, ſuæ periculum etiam ſimplicitatis diligentiſſimè factum & comprobatum allegat:*

3. Probaſti cor meum & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas;

4. Vt non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.

Alia eſt in exemplari hebraico verſus hos diſtinguendi ratio quam interpretando ſequemur. Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte; igne me examinaſti] *Ab auri & argenti examinatione, quæ per ignem exactiſſmè fieri ſolet, ſimilitudine, ſimplicitatem puritatemq́ſ rationum ſuarum, ac totius vitæ ſuæ cum ſumma erga homines innocentia & probitate inſtitutæ veritatem, Deo affirmat exploratam & comprobatam. Noctu homines agenda ſibi cogitant, & ſecreta mente ſine arbitris meditantur; interdiu verò, quæ nocte parauerant, promunt, factitant, & eloquuntur; atque lingua interprete, ſiue purè ac ſimpliciter, ſiue fraudulenter & malo*

malo cum dolo, pronuntiant. Nam qui mendax eſt, animi vitium decoris verbis & honeſta obuoluit oratione; qui verò candidus, probus, ac ſimplex, nihil prorſus ab eo quod animo atque puro conſilio conceperat, elocutus lingua effert; atque ſe ita probè ac purè ſemper egiſſe, conſcientiæ ſuæ teſtimonio per Deum iudicem examinato, & verborum atque dictorum conſona veritate & conſtantia defendit. Ignem autem moleſtiarum, & incommodorum, quæ ſibi ab aduerſariis parata & illata fuerint, moleſtam vehementemq́ vim, magna cum patientia toleratam, imò & perlatam, interpretamur. dum videlicet multis indigniſq́ afflictus & exagitatus modis, tamen de vltione minimè vnquam prolocutus fuerit, ſed ne cogitarit quidem. Ignis.

& non eſt inuenta] BAL THIMATSE, minimè comperies, *comperire ſoles. ſignificat ſe non ſemel atque iterum, ſed ſæpius tentatum & exploratum. hæc enim futuri verbi vis & ratio eſt. Quod latinè legimus,* in me iniquitas vt non loquatur os meum, *in exemplari habetur* ZIMATHI BAL IAGHABOR PI. cogitatio mea non excedet os meum. *ſimplicem & concinnam mentis & elocutionum ſuarum conuenientiam ſanitatemq́ Deo probatam conſtare ait. Ad huiuſmodi probitatis ac ſimplicitatis normam, vitæ modum ſibi inſtitutum, conſcientiæ ſuæ teſtimonium ac Dei iudicium vbi iam laudauit & appellauit; humana multorum mortalium negotia corrupta prorſus & exorbitantia ſibi exiſtimari & cenſeri ait: non qui vti Deus aliorum conſcientias & corda ſe penetrare & pernoſcere iactet; ſed qui ex factorum atque artium exemplis, ad Dei manifeſtam doctrinam, legem, & inſtitutionem collatis & expenſis, pro via morum ſimplici, regia, & præceptis conſtrata diuinis, mille hominum ſua ſingulariter vniuſcuiuſque commoda agentium & quæritantium deprehenderit ſemitas, communis conſuetudinis ac ſocietatis integritate variis in partibus proruptâ atque diſiectâ.* opera hominum, propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras] *Alienarum actionum, internum iudicium, hoc eſt, quali vnuſquiſque mente animoq́ ſit, non temerè cuiquam iudicare atque ſtatuere fas fuerit; cùm id proprium Deo tribuatur iudicium. Verùm enimuerò, ne id prorſus ignorari, hominum vitæ coniunctioniq́ inter ſe foret incommodiſſimum, diuina lege prouiſum eſt: cuius obſeruatio & cultura publica vti omni ex parte vtilis, ita ad probandum & laudandum commendata; contrà verò præuaricatio & contemptio, deteſtandi atque improbandi copiam diuino etiam iure ſpectatoribus & cenſoribus præbet. S. S. E.* Attendite à falſis prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoſcetis eos. Alienæ mentis iudicium. *Matth.* 7.

Ego cuſtodiui vias duras] ANI SAMARTHI ORHHOTH PERETS. ego obſeruaui, *non vnam & ſimplicem communemq́, ſed complures & varias ac multiplices,* ſemitas graſſatoris; PERETS, *qui communi & certo aditu & exitu relicto, ſepti loci maceriem aliàs perrumpit.* PERETS *Hiſpanicè* aportilla dor, *vocatur. Sumpta eſt hæc tranſlatio à legis ambitu, cuius integri-* Tranſgreſſionum ſemitæ.

tegritatem vlla ex parte violare vel tentare nefas execrabileq́ cenſetur ex
Deut. 27. *illo.*, Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis huius, nec eos opere perficit. *contra has verò ſemitas, varias doctrinæ & conſuetudinis*
Deut. 5. *ac morum ſectas, mandatum legimus*; Non declinabitis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ſed per viam, quam præcepit Dominus Deus veſter, ambulabitis. *Plures autem notantur ſemitæ ſiue viæ, quibus nomen adiungitur ſingulare* PERETS graſſator : *id quod ſignificat communem eum quàm plurimis eſſe errorem, cauſſam verò & faciem ipſam errandi vnicuique priuatam & ſingularem; quam ſuiipſius eſſe amorem philoſophi ſcitè arguunt. Ab iſtiuſmodi autem errore, contaminatione, & vitio ſeſe prorſus alienum eſſe profitetur & conſeruari confirmariq́ vouet ac poſcit.*

5. Perfice greſſus meos in ſemitis tuis : vt non moueantur veſtigia mea.

Sententia aperta eſt, ſolumq́ germanam quorundam verborum explicationem requirit. Perfice greſſus meos] THAMACH ASVRAI. fulci greſſus meos. *Conſilium, voluntatem ſuam, certiſſimumq́ animum non diſcedendi à lege mandatiſq́ Dei, profitetur; atque hac mente diuinæ gratiæ & opis tutelam poſcit, ne per infirmitudinem carnis vel inimicorum tentationes, aut etiam per corrupta exempla hominum vel tantillum à piæ & integræ vitæ recto declinet curſu.* In ſemitis tuis] BEMA-
Orbita. GHAGALOTHECHA. *Latinè propriè* orbitæ *dicuntur, & certum atque perpetuum vitæ tramitem ex tranſlatione vocabulum ſignificat, à quo ſchemate latini etiam auctores non abhorrent. vt*

Perſ. Nam quamuis prope te, quamuis temone ſub vno,
Vertentem ſeſe fruſtra ſectabere canthum,
Cùm rota poſterior curras & in axe ſecundo.

Vt non moueantur veſtigia mea] BAL NEMVTHV, PAGHAMAI.] vt ne nutent veſtigia mea. *ne veſtigia vllo modo extra orbitam figam. hoc autem votum vt animo ſuo certum, ita diuinæ gratiæ tutela & præſenti ſemper virtute confirmatum repetit, clamat, & poſcit; tantum abeſt, vt errare, offendere, labi, vel ex humana opinione viuere aut agere vnquam velit.*

6. Ego clamaui quoniam exaudiſti me Deus : inclina aurem tuam mihi & exaudi verba mea.

Optatum & opportunum ſubſidium non aliunde ſe poſcere & exſpectare ait, niſi vnde aliàs frequens popoſcerit & expertus fuerit; non ex opibus, viribus, aut potentia humana, ſed ex Dei EL, *id eſt, fortis, quem nunc appellat virtute; nec aliud ſibi vnquam patrocinium quæri quàm Dei fortis, qui vim cuipiam iniuſtè factam imploratus propulſare aut ſeuerè ſolet vindi-*

vindicare. Quoniam exaudiſti me] *aliàs cùm tuam implora-ueram fidem atque virtutem.* Inclina aurem tuam mihi & exaudi verba mea] IMRATHI dictum meum. *Reliquas orationis ac poſtulationis partes, in quibus narratio & confirmatio continentur, dictum vocat ſuum; quod certa attentione exceptum cupit & poſtulat, perſuaſus prorſus certiſſimum fore ſalutis euentum ſuæ, ex eo poſtulatum & expectatum, qui in ſeſe fidentibus cunctis liberatorem ſoſpitalemq́ præbere ſolet. id quod alio atque alio exemplo probatum & perſpectum perpetuò admirandum commendari cupit & petit:*

7. Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperãtes in te.
8. A reſiſtẽtibus dexteræ tuæ cuſtodi me, vt pupillam oculi.
Sub vmbra alarum tuarum protege me; 9. à facie impiorum qui me afflixerunt. Inimici animam meam circumdederunt. 10. adipem ſuum concluſerunt: os eorum locutum eſt ſuperbiam.

Mirifica miſericordias tuas] *Petitionis ac totius, quam orat, cauſſæ ſummam propoſitionem breuiter hoc exhibet verſu, in quo fidem beneficentiamq́ Dei ita magis eluceſcere ac declarari poſſe ait, ſi videlicet, qui Deo fidunt, ſingulari & magis conſpicuo modo excipiantur & foueantur, quàm iÿ qui diuinæ voluntati ac prouidentiæ ex oppoſito aduerſari contendunt. Huiuſmodi namque diſtinctione, quæ communia videntur vulgo, quæ vel ex natura proficiſci commoda, vel aliàs caſu accidere, ac plerumque potentioribus & non melioribus contingere, manifeſto diſcrimine piis & modeſtis atq́ ſeſe Deo committẽtibus dignoſcerentur fauere.* Prouidentiæ diuinæ maximum argumentum. mirifica] HAPLEH, *mirabiles ac ſecretas oſtende,* miſericordias tuas] HHEZZDEICHA, *benignitates & beneficentias eas videlicet, quibus* ſaluos facis ſperantes in te] HOZZEICHA, ad te confugientes, *teq́ præſidium ſuum definientes. A quibus autem mirificata & ſecreta atque inſigniter diſtincta huiuſmodi exempla poſtulet, è veſtigio declarat:* A reſiſtentibus (MIMITHHO MEMIM ab extollentibus ſeſe dexteræ tuæ] *Manifeſtis hoc actum ac demonſtratum cupit & vouet exemplis, nempe iis, quæ à Dei dextera & efficientia profecta eſſe omnino probentur & euincant.* Dexteræ tuæ *cum illo* miſericordias tuas *coniungendum, tametſi propter ſpondæi pedis rationem poſtremum carminis teneat locum, in exemplari clarè inſtrumenti vis indicatur,* BIMINECHA, in dextera tua. *Quemadmodum verò hæc ſingularis & magis conſpicua erga pios ac ſibi fidentes tutela parari facileq́ probari poſſit, expoſitione ſubiuncta declarat; quod vnum ex oratorum ac ſapienter dicentium officium eſt, vt illud:*

Incute vim ventis, ſubmerſaſque obrue puppes. *Virgil. 1. Æneid.*

Id verò

Id verò ſingulari & accurata cuſtodia ac proſpicientia in ſe edi optat: Cuſtodi me vt pupillam oculi: ſub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum qui me afflixerunt] *Vt nihil in ſenſibus viſu carius, ita nihil natura munitius quàm oculorum pupillam in cunctis ſenſuum inſtrumentis canit; cæterorum namque membra ſiue partes vel organa ferè aperta patent, pupillæ verò agiliſſimo & præſentiſſimo præſidio palpebrarum conſultum fuit, quibus incidens nocumentum anteuertitur & propellitur, vel repente illatum è veſtigio coniunctis & collaborantibus excutitur. Huiuſmodi ſingulari tutela ſe pium, probum, ac ſimplicem, cuſtoditum vallari à Deo poſtulat, quod ad curam attinet: quod verò ad præſidium ac defenſionem, eodem haberi & conſeruari modo, quo pulli ſub maternis auium pennis fouentur & proteguntur. atque hoc pacto manifeſtam cunctiſq; admirabilem diuinam probatum iri erga ſe prouidentiam ait, ſi vnus, ſimplex, probus atque ſolitarius & inops, à multorum, potentium, diuitum, & ſuperborum atque etiam inſolentium inſidiis, vi & impetu atque contumacia, ſoſpes euadat & extet. atque totius narrationis & confirmationis ratio duabus his abſoluitur partibus: altera, qua ſe ſola fide atque ſpe in Deum nixum atque animatum eſſe; altera, qua copias, opes, potentiam & multiplices vires atque artes inimicorum ſingillatim enarrat.*

Pupillæ munimenta.

Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem ſuum concluſerunt: os eorum locutum eſt ſuperbiam] *Suas primùm partes non modò propoſuerat, ſed Deo ipſi examinatas & exploratas declarauerat, id eſt, morum ſimplicitatem, vitæ innocentiam, ſermonis atque conſuetudinis candorem & probitatem: nunc verò contrà, eorum qui ſecum contendant, imò qui ſibi æmulentur & inuideant officereq; moliantur, animi impulſum, vires, ac robur, nec non & conatus ad nocendumq; facultates ex comparatione recenſet; indicans complures eſſe, eoſdemq; obſtinatos, diuitiis & opibus potentes, nominis ac famæ cupidos, ſobolis propagandæ & conſtituendæ ſtudioſos; & quibus pecunia non modo in ſuos ſuppetat ſumptus, ſed in filios, & nepotes atque poſteritatem longam comparata ſuperet.* Inimici mei] *Frequenti ac denſa & conferta inimicorum copia ſeſe obſeſſum, vallatum, & ad internecionem vexatum atque oppreſſum queritur.* Animam meam] *vitam hoc loco ſignificat, ſi de ſimplici agimus explicatione; ſi verò de arcana, quid ſit anima, & qualibus impugnetur inimicis, facilè quiuis hominum in ſe agnoſcet, modò ſe ipſum nouerit Adami filium.* Adipem ſuum concluſerunt] *Seſe tenuem ac macilentum, ſuos verò aduerſarios multos, pingues, robuſtos, & ita iunctis humeris & lateribus inuicem tectis conſtipatos, vt nihil inter illos ad effugium ſibi ſuperſit loci. Hoc eſt quod ait,* Adipem ſuum concluſerunt; *denſa me corporum, & coniuncta mole vallarunt, ſimulq; minis, contumeliis, irriſionibus & alto terribiliq; vexare non deſinunt clamore.*

Os eorum locutum eſt ſuperbiam] BEGAAVAH, *in celſitudine ſiue alta voce. Tota hæc tranſlatio à venatoribus ducta, qui concluſas*

cluſas in arctum feras non modò clamoribus fatigant & terrent, ſed nec moueri ſine periculo ſinunt, retibus & laqueis, quacumq; effugium dari poſſet, expanſis, ac tenſis, atq; ita vi & inſidiis capere & interficere moliuntur.

11. Proiicientes me nunc circumdederunt me: oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.

Amplificatio eſt vexationis, oppreſſionis, atque inſidiarum quibus infeſtatur. Proiicientes me] ASADVNV, obſederunt attentiſſimè; *iam iamq́; proximum eſt vt vel manu capiant, vel laqueis & caſſibus irretiant. nunc rem ad ſummum diſcrimen deueniſſe ait.* Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram] *Pedum aut greſſuum ſuorum veſtigiis ita inſidiatos dicit, vt quacunque ipſe tendere aut diuertere poſſit, illac etiam laqueos tendere decreuerint. hoc apertius in exemplari.* GHENEIHEM IASITHV LINETOTH BAARETS. oculos ſuos poſuerunt ad tendendum laqueos in terra. *Iam verò inimicorum quanta promptitudo, quantaq́; ſit ſagacitas, duplici ſimilitudine commonſtratur; altera leonis iam ſenioris, qui annis atque vſu ſagacior ad obſeruandum; altera catuli leonis, qui propter ſanguinis feruorem promptiùs & intemperantiùs agit ac ſæuit.*

12. Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam; & ſicut catulus leonis habitans in abditis.

Et quidem ita res omnis narrata expoſitaq́; conſtat, vt niſi quamprimum à vindice periculum auertatur ac propulſetur, manifeſtè iam ſtet in præcipiti: quamobrem ad perorationem ſermone conuerſo, id quod initio poſtulatum fuerat, & in quo petitionis verſatur argumentum, repetitur.

13. Exurge Domine, præueni eum, & ſupplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam 14. ab inimicis manus tuæ. Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum: de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum. Saturati ſunt filiis: & dimiſerunt reliquias paruulis ſuis.

Exurge Domine] *Ex illius diuini moris certiſſima fide, videlicet,* adiutor in opportunitatibus in tribulatione, *argumentum ad petitionem arripitur, declarato iam, imò & indicato extremæ opportunitatis articulo, qualem proximus expoſuit verſus. Euadendi verò periculi rationem & modum duabus partibus efficacem poſtulat, celeritate, & ſubitæ propugnationis impetu. Celeritas in præuentione conſiſtit:* Præueni eum] *inimicum, qui me, iam iam adoriri paratiſſimus, obſeruat. Propugnatio præſcindendis auribus ad rem aptiſſima fuerit:* Supplanta eum]

HACHRIGHEHV. *Poplitibus cæſis vel aliàs vulnere in crura inflicto, hic ſupplantationis proprius ſignificatur modus: nam verbum hoc in camelorum incuruatione vſurpatur; atque in eadem tranſlatione perſeuerans, hoc ſeſe modo, inſtar petitæ in ſilua per inſidias pecudis, eripi poſcit & optat.* Eripe animam (*vitam*) meam ab impio] *cuius iniuſta cauſſa; quamobrem iuſta etiam repulſio & vindicatio.* frameam tuam] *diuinam vindicationem diuino gladio, hoc eſt efficaci iudicio, fieri poſtulat. Siquidem nomen* HHARBECHA, *quo verſus hic clauditur,* gladio tuo *ſiue* framea tua *latinè ſonat. idq́ ordinis cauſſa, inſtrumenti caſu & ſignificatione accipimus. Porrò inimicorum facultas, otium, & ſecuritas atque opes etiam recenſentur, ita vt nulla videatur alia ſupereſſe cura quàm inopibus & innocentibus inſidiari ac nocere.* Ab inimicis manus tuæ Domine, à paucis de terra diuide eos in vita eorum] *Nomen* manus tuæ *eiuſdem caſus atque intentionis nobis eſt cum nomine* Framea, *de quo proximè ſuperiùs: quo nomine diuina appellatur & poſcitur efficacitas, atque hoc pacto facilis eſt explicatio illius partis,* ab inimicis manus tuæ, *efficacitatis diuinæ inimicos notantis. Verùm quia multi latinè, nonnulli autem & hebraicè ſciunt, & nos vtriſque inſeruire & prodeſſe ſtudemus, exemplaris etiam dictionis hoc loco ſequacem & concinnum ſenſum aperimus:* MIMETHIM IADCHA IEHVEH, MIMETHIM MEHHELED: *ex verbo,* A mortuis

Impiorum felicitas.

manus tuæ Domine, à mortuis præ æuo. *Eorum qui ſe affligunt & perdere ſtudent, felicitatem deſcribit; cuius prima pars eſt longæ ac ſecuræ vitæ exemplum, vtpote cuius finis non gladio aut bello aut alio caſu, ſed longo ac diuturno nulliſq́ incommoditatibus interrupto vitæ decurſu euenire ſoleat, & ſic magno etiam ad nocendum fruantur ſpatio. Neque verò id, quod ita illis contingit, longi æui vllis ærumnis aut egeſtate vlla frangitur; quippe quibus non modo res omnes ad commodum viuendi ſuppetunt vſum, ſed pretioſiſſima & rariſſima quæque diuitiarum atque delitiarum ſingulari (vti vulgo exiſtimatur) dono & munere Dei conceſſa videantur conſtare.*

Diuites Deo cari habentur. Zach. 11.

Nam ditiſſimum ac delitioſiſſimum quemque, cælo ac numine peculiariter fotum & amplificatum, communis & vulgaris hominum ſententia autumat. ex quo loco & illud: Benedictus Dominus, diuites facti ſumus. *hæc explicatio illius partis eſt,* à paucis de terra diuide eos

Viuere.

in vita eorum. *quod clarius in exemplari* HHELCHAM BEHHAIM, pars eorum in vita. *idem ferè ſchema, quo Latini auctores aliquando viuere, id eſt, cutem curare atque genio indulgere dicunt, ſicut & Græci* ζῆν. *Itaque inimicos ſuos à paucis in vita diuiſos, idem ſignificat quod inter felices ac raros vitam ducere ſecuram; vt illud,* A nobis es tu, an ab alijs? & à conſiliis *dicitur eſſe aliquis, id eſt, in conſiliariorum numero conſcriptus. Verùm, vti diximus, ex exemplari planior explicatio fuerit.* De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum] *Rariſſima quæq́, piſcium, auium, cæterorumq́ obſoniorũ, ad iſtorũ epulas cõparata ac repoſita videri ait,*

ait, quibus in ſolo viuendi cauſſa palato eſt. *de quibus illud quoq; dictum:*

Interea guſtus elementa per omnia quærunt.

Numquam animo pretiis obſtantibus, interiùs ſi

Attendas, magis illa iuuant quæ pluris emuntur.

Iuuenal. Sat. xj.

Atque hæc ſecunda vulgaris felicitatis pars, quæ magno, lauto, & ſumptuoſo epularum ſpectatur ac laudatur apparatu. Tertia verò, liberorum numeroſa proles & ad poſteritatem familiæ propagatio, cui tamen fundorum, pecuniæ atque patrimonij copia contingat nitidiſſima. duas has partes ita deſcribit Vates: Saturati ſunt filiis: & dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis.

——— Nos animorum

Impulſu, & cæca magnaque cupidine ducti,

Coniugium petimus, partumque vxoris:

Iuuenalis.

aiebat ille, qui vota mortalium ſapienter etiam ſtultitiæ notauit: quorum ſumma eſſet, diuitiis ad vitæ luxum abundare, atque filiorum copioſa præſtare ſobole, quæ tamen non ad laborem, nec ad mortales cæteros induſtria & artibus iuuãdos, verùm ad ignauiam, luxuriem, & delitias atque paternæ lautitiæ ſuperandum ſplendorem expetatur, & ab ipſa vſque inſtruatur infantia. id quod vt ex animi ſententia comparetur, iura legeſq; violari, & pauperiorum rebus inſidiari atque detrimentum afferri ſolet.

Reliquias ſuas] IETHERAM Reſiduum *ſiue* Reliquum ſuum. *Quantum oportet eſſe diuitiarum cumulum, quarum non modò copia tantis delitiis ſufficere, ſed reſiduum quoque compluribus iiſdemq; inertibus otio ac luxu laſciuientibus abundè ſuperare debeat?* Paruulis ſuis] *aptiſſima ac veriſſima ſignificatione vſurpatum vocabulum*, LEGHOLELEIHEM. *dicuntur enim* GHOLELIM *pueri, qui primùm ab infantia egreſſi, nulli rei præterquam ventri & luſibus horas dieſq; impendunt integros, noctes verò brutorum inſtar ſomno conſumunt: quales bonus ille deſcribit auctor:*

Ditiorum filij quales.

Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo

Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram

Colligit ac ponit temerè, & mutatur in horas.

Tales plerumque diuites iſti atque opulenti cogitant, parant, & magno ſtudio intendunt heredes relinquere, quorum ingenia & mores graphicè ille alter deſcribat: ——— Mitte Oſtia Cæſar,

Mitte; ſed in magna legatum quære popina,

Inuenies aliquo cum percuſſore iacentem

Inter carnifices & fabros ſandapilarum,

Et reſupinati ceſſantia tympana Galli:

Æqua vbi libertas, communia pocula, lectus

Non alius cuiquam, nec menſa remotior vlli.

Quid facias talem ſortitus, Pontice, ſeruum?

Nempe in Lucanos aut Tuſca ergaſtula mittas.

At vos Troiugenæ vobis ignoſcitis, & quæ
Turpia cerdoni, Voleſos Brutoſque decebunt.

Iſtos itaque paruulos, quales Hiſpani etiam per iocum ac ludibrium niños, *vocant, vno vocabulo* Paruulis ſuis *indicatos intelligimus. Inimicorum autem partibus atque artibus & facultatibus indicatis, rurſus eueſtigio ſuas opponit Vates; totiuſq; à ſe optatæ & expetitæ ſortis rationem, atque vnicum felicitatis idemq; perpetuum declarat & profitetur votum; quod ſimplici, pura, & calente pietate, atque Diuini arcani beneficij exſpectatione definit:*

15. Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo: ſatiabor cùm apparuerit gloria tua.

Vera felicitas. Iuſtitia legalis. Iuſtitia diuina.

Veram, vnicam, eandemq; ſolidam de humana felicitate doctrinam, vnico verſu complexus & profeſſus declarauit Vates, quo etiam ſuam perorauit cauſſam. Sunt autem totius doctrinæ huius capita duo; alterum, quod ab hominibus præſtari debet; alterum verò, quod à Deo poſcendum & exſpectandum commendatur. illud in humano officio legitimo, hoc in diuino admirabili conſtituitur beneficio. illius norma in legitimis exhibetur præceptis, quæ qui fecerit homo, viuet in eis; huius virtus in diuinæ gratiæ dono præſtatur. illius munus catenus pertinet, vt fidelẽ hominẽ bonum, iuſtum iuſtitia legali, Deo commendet; huius autem efficientia, ad vſque adoptionem filiorum Dei fideles, pios & diuinis iuſsis parentes amplificat homines. Vtramque verò conditionem ſibi creditam atque certam optari, iniri, & ſummo ſtudio curari; nihilq; vel diuerſum à priore primùm agendum, nihil præterea vltra, aut præter poſteriorem quærendum & poſcendum, vel noſſe, vel velle, vel vmquam propoſitum aut proponendum aſſeuerat. Prioris autem partis ratio, in priore teſtamento tradita certis, verborum ſignificatur formulis; ex quibus illa: Non apparebis in conſpectu meo vacuus. *iubetur enim fidelis homo, pietatis legitimis obſequiis ornatum ſeſe Deo, idq; ſtatis & feſtis temporibus, præſentare. ea verò officia atque obſequia vno iuſtitiæ nomine complectitur auctor.* Ego autem in iuſtitia *(legali)* apparebo conſpectui tuo] BETSEDEK EHHEZEH PANEICHA, in iuſtitia videbo facies tuas; *quod mearum, inquit, partium. Verùm quamquam iuſtitia illa eo vſque progrediar, vt nihil mihi ſim conſcius, tamen non ad ſaturitatem, non plenè inquam felix & beatus continuò euaſero, donec diuino illo à te promiſſo atque à te vnicè præſtando munere explear:* Satiabor cùm apparuerit gloria tua] BEHEKITS, in excitando, THEMVNATHECHA. *id quod rem quampiam ad viuum, vti dici ſolet, exprimit,* THEMVNAH *in ſacra dicitur lingua. in antiquæ verò legis hiſtoria nulla huiuſmodi imago hominibus oſtenſa conſtitit: ſicut ſcriptum eſt,* Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis.

Exod. 23.

Imago Dei

Deut. 4.

ignis. *Quam verò illo in ſtatu videre non contigit, quamq́; cernere & ſentire cognoſcereq́; noſter & cæteri Vates expetebant omnes; hanc noui teſtamenti Sancti in ſe excitatam cognouere.* Nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt in Filio: Qui cùm ſit ſplendor *Patris* & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, *in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*, & habitauit *in ſuis qui viderunt* gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. *Atque hanc veram & ſaluberrimam perpetuamq́; ſaturitatem, quæ non ventrem ſed mentem explet; non domum ac familiam filiis & nepotibus à nominis & gentis obliuione vindicat, verùm ipſum cui contingit, Dei filium, regem, ſacerdotem, & æterni regni cum Chriſto heredem ſtatuit & conſeruat: hanc, inquam, ſaturitatem ſibi optatam ſolummodo ac ſingulariter expeti, nihil præterea requiri declarans, noſter perorat Vates.*

Noui fœderis ſancti
Heb. 1.
Iohan. 1.

IN PSALMVM XVII.

MATTHÆO DOOMIO BELGÆ SALVTEM.

NOn immeritò, mi Matthæe, imò non fruſtra, in omni publica & priuata re, in omni negotio, in cauſſis cunctis, vnica tibi cordi eſt veritas, vnica ſuſcipitur, colitur ac defenditur vnica: quippe quæ nuda ac ſimplex perpetuoque ſibi ſimilis & conſtans, falſi ac mendacij genus omne, quamuis plurimis figmentorum ac ſimulationum & commentorũ turmis denſum, & fraudum ſtratagematibus inſtructum, potentiæ quoque viribus & armis vallatum, tamen duabus tantùm partibus inſtructa, videlicet patientia & modeſtia, ſuſtinere, contemnere, ac demum vincere ſolet; atque aduerſariis ſuis, pro affectatata gloria, pro præcepto & ſperato commodo, mandare laqueum, & ignominiæ ac probri perpetua inurere nota; nonnumquam verò & ſpontanei exitij cogitationem ex conſcientiæ deſperatione ab iiſdem ſuſceptam miſerari potiùs, quàm inſultare. Id quod te ſæpius antiquis hiſtoriis inter domeſtica & familiaria negotia

ex more euoluendis obſeruaſſe, non rarò autem in tua ipſius priuata & in cõmuni amicorum ac ſociorum Belgarum cauſſa expertum, planè didiciſſe noui; dum quæ à vobis ex vero & æquo tractantur negotia, quorumdam auaritia, aliorumque inuidia calumniis & inſidiis, petita, tentata, atque impugnata; nonnullo fortaſſis interdum damno, aliquanto temporis diſpendio; demum tamen cum veſtri nominis decore, fidei atque integritatis & bonitatis veſtri præconio, nitida, pura, ac verè legitima appareant, & ſelectiorum ſpectatorum plauſus mereantur, atque inſidiatorum ruborem, vulgi vel admirationem extorqueant, vel temerariam corrigant opinionem. Huius autem rei graue, præclarum, & inſigne exemplum, veritatis pater & vindex atque aſſertor Deus, in Dauidis ſibi delecti ſingulari & variis periculis examinata perſona, ſtatutum ac mundo editum voluit: qui cùm per omnem ætatem veri atque æqui ſuſtinuerit partes, quamquam ab inimicis, inuidis, atque potentiſſimis æmulis, diu ac ſæpe afflictus atque mille petitus dolis, innumeris paſſim calumniis traductus, indigniſſimiſque exagitatus & habitus modis, ita vt ſuis etiam affinibus horreretur; tamen malorum tolerantia, & conſtante beneficentiæ atque innocentiæ propoſito perpetuoque ſtudio, victor demum & promiſſi diuini compos factus, quod tu iam ſæpe legiſti, quodque à nobis nunc explicatius accipies, gratulatorium concinit Carmen tibi; quod pro iſtius animi candore, vt pauperis amici ſed amantiſſimi & abſentis iucundum munuſculum, libenter & gratè, vt ſpero, perleges. Vale. Ex noſtræ rupis apud Aracenam tibi iam viſo receſſu. Kalend. Septembr. cIↃ. IↃ. XCVII.

Dauidis perſona veri & æqui ſuſtinet partes.

ARGVMENTVM.

Singularis prouidentiæ Dei teſtimonium, aſſiduis & manifeſtis periculis atque experimentis comprobatum, Pſalmus hic exhibet; cuius à priuata gratulatione ducitur initium, finis verò ac peroratio publicè decernendis laudibus deſinit. Namque hæc ſupplicationum communis ratio eſt, vt cum priuati exempli narratione & gratulatione, publica etiam coniungatur cauſſa. Totius igitur anteacti ſibi per varios caſus ac per multa diſcrimina temporis hiſtoriam recenſens Dauid,

uid, quantum diuina miſericordia ac tutela in duris & aduerſis hominum rebus luceat & agnoſcatur, quantum etiam veritas in promiſſis ſuis præſtandis & aſſerendis aduerſus omnem impietatem & improbitatem hominum veræq; virtuti aduerſantium præmineat, manifeſtè oſtendit; eóque magis, quo melior pars humilior & infirmior atque ſuis viribus minùs valens conſpicitur, improbitatis verò factio potentior, validior & ſuperbior, atque in ſpeciem inſuperabilior apparet. Vnde euenit, vt qui minùs antea rectè ac ſapienter de Dei natura, efficacitate & prouidentia, ſentiebant; manifeſtis euicti exemplis ad veræ pietatis diſciplinam & ſtudium reuocentur, atque vltrò inclinentur. Rationem verò & occaſionem canendi Pſalmi, atque etiam ſingularem argumenti deſcriptionem, cum perſonæ, hoc eſt, ſerui redempti confeſſione, ipſemet auctor primo carminis verſu, vt aliàs conſueuit, indicat.

1. In finem, puero Domini Dauid, qui locutus eſt Domino verba cantici huius, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul, & dixit:

PVero Domini] LAGHEBED IEHVEH, Seruo Domini. *Quo nomine ſe Domini ſeruituti ſingulariter addictū profitetur, vtpote à manifeſtis, plurimis, ac potentiſſimis inimicis ereptū ac liberatum ſecurumq; redditum.* Et de manu Saul] *Qui cùm rex eſſet, nihil non egit, nihil nō tentauit, vt optimè de ſe multis modis merito exitiū inferret. id quod certiſſimum ſingularis erga Dauidem tutelæ & curæ exemplum ducendum, atque in beneficij gratulationem cæterorumq; hominum doctrinam perpetuis celebrandum eſt laudibus. Notanter autem inimicis cæteris* palma, *Sauli verò* manus *adſcripta: Namque idem vir poſtquam ex aula primùm exulauerat, in varia incidit cùm vicinorum tum etiam hoſtium pericula; adeò, vt aliquando comprehenſus & captus, inſania ſimulata, euaſerit. Saulis verò manus regiam ſignificat auctoritatem & potentiam, quæ longiùs multo quàm priuati palma protenditur. Namque ab hoc, non tantùm eminus iaculo & lancea petitus ac penè transfixus, verùm ſæpius per ſeruos & familiares ad necem quæſitus, ſemel etiam atque iterum, imò & ſæpiùs, armata manu obſeſſus & vallatus, & multifariam vexatus atque inſectatus narratur; quæ omnia Saulis, contumaciſſimi, inquam, inimici, dicuntur manus. Nos hoc loco, in ea inſcriptione quam huic Pſalmo carminibus reddendo interpretābamur, è* palma Saulis *per incuriam vertimus, quod corrigendum nunc adnotamus* è manu Saulis. Et dixit] *non modo compoſuit ac dedicauit, ſed idem ipſe in ſancto loco voti compos pronuntiauit ac cecinit. Certam, veram, & animo cogitatam orationem verbum* VAIOMER *indicat, ac plus quàm apud Oratores* dicere *valet.*

2. Diligam te Domine fortitudo mea.

Totius carminis propoſitio vnico eodemq; breui verſu contenta; qua Vates me-

tes meliorem ſui partem, hoc eſt, animam & mentem, Domino miſericordi & ſalutari ac ſoſpitali iure ex voto addictam canit, eo nomine, quo ſe vitæ ſalutisq́; ſuæ debitorem vnico liberatori confitetur. Atqui ad pericula omnia ſubeunda, ad magnas item res agendas, ea prima commendatur virtus, quæ à Latinis fortitudo appellatur, duabusq́; perficitur partibus, alterâ eademq́; præſtantiori quæ in animi vigore & conſtantia ponitur, & quâ, quid agendum vel ferendum & quemadmodum gerendum ſit, præſenti ſemper conſilio proſpicitur, & firmato initur propoſito. Hæc pars in ſacra lingua HHAZAKAH dicitur, eademq́;, vt potior ac maioris æſtimationis, affectum ſtudiumq́; præcipuum exigit, vtpote quæ ad ſalutem & vitam conſeruandam intenta, ceteris virtutibus ac partibus animæ conſulit ac prodeſt. Eſt autem duplex etiam amoris in anima affectio; ſimplex amor, quo quid ſua natura bonum aut pulchrum vel eſt vel ducitur, conſequenti quodam iure amatur, ſaltem amari meretur: atque hoc pacto Deum ſupra nos, & proximum noſtri ipſorum inſtar amare, diuina lege iubemur. hæc autem affectio AHABAH dicitur. Altera verò affectio eſt, quæ non modò bonitatis æſtimat rationem, ſed etiam proprij atque vnicuique coniunctiſſimi & chariſſimi pignoris commodum ponderat & conſequitur; qualis eſt matris erga proprios filios feruentiſſima charitas, cui impenſi amoris numquam ſatis eſſe videtur. huic verò affectioni RAHHAMIM nomen eſt, quod in naturæ animalis partibus viſcera ſignificat, in quibus cum præcordiis cor & iecur ac renes numerantur; eademq́; totius vitæ atque actionum & affectionum omnium vendicat dominium. idq́; ex huius nominis etymo RAHHAM conſtat, quod feruidiſſimè atque impenſiſſimè ſignificat amare, totumq́; ſeſe in eius, quæ amatur, vel perſonæ vel rei cogitationem, ſtudium, & charitatem, perpetuò impendere. Hoc verbum à Dauide in hac ſupplicatione vſurpatum, Latinus interpres noſter vertit in Diligam te. quod intimo viſcerum omnium atque totius animæ amore definiendum fuerit; vtpote qui ei debeatur Domino, qui internæ animi humani fortitudinis magniq́; illius vigoris ad difficillima quæque ſuperanda & vincenda caput, immò & ipſa fuerit ac ſit fortitudo. Quòd ſi huiuſmodi animi vigori ac fortitudini, membrorum etiam tum firmitudo tum agilitas adiungatur, omnia roboris ad victoriam profectò conſtiterint momenta; maximè autem vbi locorum opportunitas, & armorum ac propugnaculorum commoda, firma ac tuta ſuperarint munimenta: quæ quidem cuncta in vnius Dei præſidio ac tutela ſibi poſita & comprobata Vates commemorat; ea quæ ex verbo, indicandis tranſlationibus, naturam, vim, & efficacitatem propriam nullis indicant ambagibus.

Fortitudinis partes.

Amoris duplex affectio.

3. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus adiutor meus, & ſperabo in eum. Protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus.

Ad victoriam quæ neceſſaria.

Præter animi fortitudinem ac vigorem, corporis ac membrorum tum ſitus

ſitus tum habitus, atque adeò repagula & munimina ad propugnationem ſelecta & commoda, conſtare oportet: quæ omnia, tam quæ interna & coniuncta, quàm quæ ex arte & vſu peti ſolent, vnica Dei virtute & efficacitate ſibi poſita, cognita, atque explorata, & multiplici ſalutis exemplo manifeſta confitetur Dauid. Firmamentum meum] ZZELAGHI, rupes mea. *Altiſſima quæque & expugnatoribus inacceſſibilis petræ ſtatio,* ZZELAGH *dicitur; vt apud eundem Vatem,* Montes excelſi ceruis & ZZELAGH refugium herinaceis: *vbi interpres noſter reddidit* Petra. *Quòd ſi ad naturæ loci opportunitatem, operis quoque adſit munitio, firmiſſimum habetur propugnaculum, cui* METSVDAH *nomen eſt, quali nomine etiam ſibi Deum laudare Vates pergit. Vbi Latinè legimus* Refugium meum, *militari vocabulo præſidium dicitur, quò cùm quis deuenerit, ſeſe tutum ducit. Verùm vt quis ab inimicis inſectatus eo euadat, & animo & celeritate, atque etiam propugnatore & eo qui hoſtium impetum à tergo retineat vel ſiſtat vel arceat, opus eſt; atque hic, ſi contingat,* MEPALET *vocatur: idem verò virtutis & efficientiæ cum nomine Domino tribuit Vates,* liberator meus. *At verò vt hæc propria atque diuturna conſtent, cuſtodem ac tutorem defenſoremq́; poſtulant efficacem, qualem ſibi adfuiſſe & adeſſe Deum, nunc ob eam rationem* ELI *appellatum, idem gratulator prædicat.* Deus meus] ELI, Valens meus, *ſiue* robuſtus meus, *vix Latinè par inuenias nomen. Namque eiuſmodi efficaciſſimos quondam viros, Heroas antiqui dictitabant, quales ſuos finxerunt Hercules: verùm neque hoc etiam vocabulum parem cum* EL *præſtat virium æſtimationem. Propugnatorem itaque ſuum efficaciſſimum vocat; eundem etiam tutorem & conſeruatorem, ſubdens,* adiutor meus] TSVRI. *eſt autem* TSVR *munitiſſimus vndequaque locus & ad præſidij perpetui tutelam conformatus, cui adiungi ſolet verbum* HHAZZAH, *quod tutum eſſe ſignificat, tanquam in latibulo nulla ex parte inſidiis patente; receptaculum dici hoc poſſit apud nos: nam* HHAZZAH, recipi, *in hanc ſignificationem interpretari nihil obſtat. atque hoc quidem firmiſſimum, perpetuum & ſummum perfugium ſibi eſſe, nomen* cornu *vſurpatum declarat. quod in animalibus propugnationis & expugnationis natiuum inſtrumentum, in rupibus verò ac montibus apicem prominentiamq́; indicat præſtantiſſimam, nulliusq́; hominum veſtigiis peruiam. Idem etiam* protector meus *dictus,* MAGENI: clypeus meus *propriè dicitur Latinè. atque ita ſeſe tutiſſimum contra omnia hoſtium tela perſtare & perſtitiſſe ait; vtpote cui tale contigerit ſcutum, quod nullis viribus, iaculis, aut plagis lædi, immò neque tentari quidem, poſſit. denique omnem munitionis, propugnaculi, ſalutis, tutelæ ac ſecuritatis ſummam ſibi in Deo vnico definitam duobus his verſibus, qui exordij vicem præſtant, confeſſus & gratulabundus prædicat Vates. id quod ſibi manifeſtis & continuis exemplis probatum, cognitum & confirmatum temporibus rebusq́; ſuis narrandis exponit. eſt autem narrationis initium illud:*

Pſal. 103.

Heros.

Cornu.

4. Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis ſaluus ero.

Participium præſens futuro verbo adiunctum, conſuetudinem cum perpetuitate concinnat. Laus quidem ad præteritorum exemplorum refertur commemorationem: inuocatio verò ad perpetuum facit morem. eſt autem huius verſus illa explicatio. Inuocaturus ego IEHVEH *miſericordis & afflictis præſentis ac tutelaris opem, memoria atque oratione beneficia iampridem apud homines comprobata repeto: quale illud exempli cauſſa fuerit;*
Pſalm. 21. In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt & liberaſti eos. ad te clamauerunt, & non ſunt confuſi. *Talibus igitur pro re nata per me primùm appellatis & laudatis nominibus & exemplis, Dei in meam ſalutem implorare conſueui & miſericordiam, & fidem. quam demum certiſſimam opportuniſſimamque experior, dum ab inimicis meis ſaluus euado & incolumis. neque verò hoc vnico tantùm vel ſimplici aut communi caſu & argumento, verùm quàm plurimis iiſdemque grauiſſimis tentatus & exercitus laboribus comperi. Atque laborum ſuorum terribilem & inſuperabilem vim terribilibus deinceps deſcribit imaginibus Pſaltes.*

5. Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

Animo & corpori ſuo ab inimicis allatas moleſtias duplici depingit imagine, alterâ funium, quibus per venatores partim tenſis partim iniectis, ferarum crura, pedes, & colla comprehenſa & impedita atque occupata, abſque vlla reſiſtendi facultate, non ſecùs atque exanimato iam corpore, trahuntur: alterâ verò à quarum impotenti vi torrentium, quarum copiâ & impetu turbatum & commotum animal, nec ſubſiſtere valet, nec euadere aut enatare poteſt; maximè verò cùm ad impetum fragor etiam acceſſerit, qui vel ſonitu ipſo terrorem tremoremque iniicit. vtroque ſeſe malo affectum commemorando, pingit Pſaltes APHAPHVNI; *circumdare, ambire, vndique vexare & comprehendere ſignificat verbum; vt in illo*
Pſal. 39. *verſu,* Circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus, *idem vſurpatur verbum* APHAPHV. Dolores mortis] HHABLEI MAVETH, laquei mortis. *ſiue funes letiferi; quales auibus & feris capiendis, & ſuſpendio vel diſtractione interficiendis, aucupes ac venatores parant.* torrentes iniquitatis] BELIAGHAL *in ſacra lingua rei vel perſonæ adiungitur, cuius impetum ac temeritatem nec vltrò cogi*
Impotens. *ac ſiſti, nec à quoquam contingit cohiberi. Latinè dici licet* Impotens; *la-*
Nequam. *tinius verò, apud poëtas præcipuè,* nequam, *& vitium ipſum* nequities
Nequities. *dicitur, iiſque adſcribitur, qui metus ac pudoris ruptis habenis in vitia proni ac præcipites ruunt. cuiuſmodi effrænato ad nocendum animo inimicos in ſe ſuos, magna manu, ingenti copia & feſtinatione, feciſſe impetum, idque*

ſæpius

ſæpius iteraſſe ait; nam hoc plurale nomen torrentes, *indicat. Idem etiam per expolitionis amplificat figuram.*

6. Dolores inferni circumdederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis.

Perſtat in venatoria tranſlatione, cuius vna ex artibus eſt, in ipſo, qui à fera ſiue aue tenendus erit, certo tramite, foueam admodum capacem fodere, & laqueis ac pedicis probè inſtructam, ramis feſtucisq́; impoſitis & puluere obductis operire; quò imprudentiùs incedens animal, impotentiùs etiam exceptum pereat. Atqui fouea illa ſepulchri ſiue inferni inſtar ſe præbet. Nam SEOL *pro quo* infernum *ſiue* ſepulchrum *latini reddunt, locum terræ communi facie inferiorem atque voraginem in ipſa terra ſignificat, qualia ſepulchra non omnia, ſed quæ in ſolo fodiuntur, vel vltrò hiant, vnde & hiatus etiam dicuntur, Hiſpanicè parum verſis elementis vocatur* Silo. *idem etiam vocabulum, ad animarum corpore exutarum locum ſignificandum quondam vſurpatum videtur. Namque vt corporibus numquam terra, ſic etiam inferior illa capacitas animabus numquam ſatiari dictitatur. Cunctis itaque perditionis & exitij viribus, artibus, ac dolis petitum, vallatum, exagitatumq́; ſe Vates ait, atque eò miſeriæ & ærumnæ calamitatisq́; redactum, vnde nulla conſilij auxiliiue humani ope euadere poſſet, nec ſua ex parte præter clamoris atque implorandi Dei ſupereſſet quicquam facultatis.* præoccupauerunt] *Omnia ſibi euadendi loca vndequaque præcepta & occupata ait: quid igitur agendum?*

Infernus. Sepulchrũ. Silo.

7. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui. Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam: & clamor meus in conſpectu eius, introiuit in aures eius.

In tribulatione mea] BETSARLI, *in angi me, cùm angerer maximè, in ipſo maximæ & anguſtiſſimæ preſſuræ articulo, cùm cætera omnia me præter vocem deficerent. Semper enim antea patienter egiſſe ait, & inimicos toleraſſe ad extremum vſque preſſuræ tempus, quo tamen nec ad hominum opem conuerſum, quæ nulla aderat, nec ad maledicta ac diras in inimicos preces, verùm ad* IEHVEH *miſericordis poſcendum auxilium, & ad eiuſdem ſibi gubernatoris, iudicis, & vindicis noti fidem implorandam, fuiſſe intentum, idq́; optimo & feliciſſimo euentu.* Et ad Deum meum clamaui] ESAVEAGH querelam cum gemitu fundam. *in futuro morem conſuetudinemq́; ſignificationi addit. Quoties in eum ſtatum deueniebam, toties gemitu meum ciebam Iudicem. Quid itaque ab ipſo actum fuerit, quid pios omnes agere oportere intelligat, vbi docuit, certiſſimum diuinæ curæ ac prouidentiæ ſubiungit exemplum.*

Et exaudiuit] *Duobus, quibus vſus fuerat, verbis* inuocaui & clamaui *ſiue* ingemui, *prouidentiam indicantia ſubiungit vocabula,* Exaudiuit vocem *inuocantis,* & clamor *gemitus* introiuit in conſpectu eius. *inuocatio ſiue* KOL *vox pro oratione ipſa ponitur;* SIVGHAH, *clamor ſiue gemitus, non fictus aut temere compoſitus, ſed verè & seriò atque ex animo profectus, cuius animi ipſe teſtis, iudex, ac probator eſt. hoc ſignificatur expolitione,* in conſpectu eius. *Nam quæ ex animi interno affectu & fidei firmitudine non proficiſcuntur voces & querelæ ſiue petitiones, ea Deus internorum cogitatuum inſpector ſibi reiecta ac repudiata*

Iſai. 29. *improbat. S. S. E.* Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum

Matth. 15. longè eſt à me. *Verùm gemitum ſuum* in conſpectu Dei, LIPANAIV, coram illo *manifeſtum in* aures eius *introiſſe aſſeuerat. atque humano ſenſu præditos homines ac mitioris ingenij compotes vehementiùs miſera-*

Gemitus. *bili cuiuſpiam gemitu tentari ac dolentiùs etiam commoueri & percelli, experimento comperimus; neſcio quid vltra communem vocem gemitu aures pungente, ad commiſerationemq́ & vltionem concitante: id quod &*

Iacob. 5. *Iacobus Apoſt. conſentiente huic loco ſignificatione adnotauit:* Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt, clamat: & clamor eorum in aures domini Sabbaoth introiuit. *Quod*

Templum Dei. *verò expoſitione notatur,* De templo ſancto ſuo, *myſterium continet non modò cælorum, in quibus habitare & coli Deus creditur; verùm humani animi, quod verum, ſanctum, atque ſingulariter conſecratum ſibi adopta-*

Tabernaculi & templi figura. *uit ac vendicauit vnicè Deus. Huius enim naturam & veritatem loci, antiquum primùm tabernaculum, deinceps verò Salomonis celeberrimum illud fanum per imaginem quandam adumbrauit. atqui precationes, vota, & petitiones piorum hominum non fruſtra, ſed magna cum efficientia exaudiri, curariq́ à Deo, ſubiuncta poëtica eademq́ arcana & veri ſignificationibus referta deſcriptione declarat Vates: cuius partes & particulas omnes nunc explicare, nobis breue commentarium profeſſis & vrgentibus, minimè vacat; illud tamen affirmantibus, nullam poëtarum, quos Græcos*

Numinis in terram deſcendentis maieſtas poëticè deſcripta. *aut Latinos commendat antiquitas, numinis in terram deſcendentis deſcriptionem quamlibet exquiſita fictaq́ imagine, huic Dauidicæ veritati componendam, necdum æquandam, poſſe proferri; in qua naturæ diuinæ humanis oculis conſpici negatæ, certa tamen maieſtas, auctoritas, ac bifariam ſentienda efficacitas indicatur terroris atque vltionis, aduerſum impios atque improbos hominum affectus, conatus, & auſus; rurſum verò conſolationis, gratiæ, ac ſalutis, erga pios ac ſimplices diuinamq́ prouidentiam ac fidem implorantes: vtriuſque autem efficientiæ argumenta & ſigna ac teſtimonia, cælorum ac terræ maximorumq́ in rerum natura corporum concuſſione ac tumultu indicari, omnium Vatum atque huius præſertim imaginibus ac deſcriptionibus manifeſtum eſt: quorum vmbram & veſtigia quædam conſectari ſoliti aliarum gentium poëtæ, numquam tamen veritate, ſed nec exæquanda artis imitatione aſſequuntur.*

8. Com-

8. Commota eſt & contremuit terra: fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis.

Dei vltoris vim & efficacitatem (quam iræ nomine humanus indicat ſermo) non modò ſenſu præditis hominibus & animantibus terribilem, verùm orbi omni atque ſenſu carentibus mundi elementis horrendam, atque adeò ſenſibilem, Vates noſter declarat. Quoniam iratus eſt eis] CHI HARAM LO, Quoniam *ſiue* Quando indignatio ipſi. *Quando indignatus iraſcitur Deus, non qui iræ affectu vllo moueatur (abſit hoc à diuinæ naturæ præſtantia) ſed qui non ſecùs malefacta humana vindicet, quàm qui ira percitus princeps aliàs potentiſſimus innocentum vlciſcatur & propulſet iniurias.* Ira Dei.

9. Aſcendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit; carbones ſuccenſi ſunt ab eo.

Ignis triplex obſeruatur ſtatus & in efficacitate gradatio: principio enim fumus conſpicitur, materiam ſubiectam adorti, & comprehendere incipientis; deinde flamma exardens corripit, quæ tamen quandiu carbones non incendit, leuiùs hæſiſſe, & necdum corpus quod vrendum eſt penetraſſe cenſetur. nam carbonum ſuccenſio abſolutam pernitiem conſumptionemq́; molitur; atque hoc pacto diuinam iram non ſubitò euadentem ſed lento procedentem gradu ac certo modo & ordine progredi ſolitam deſcribunt Vates. concordat verò deſcriptio cum illa alia: Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit, & parauit illum: & in eo parauit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus effecit. *atque hæc voluntatem & animi (vt ita loquamur) impulſum ſpectant; caſum, fortunam, exceptioneſq́; alias ab humana induſtria contra prouidentiam excogitatas excludunt. Iam verò naturam omnem rerum Dei nutibus ac voluntati addictam parere & obſequi, eleganti currus & quadrigæ imagine declarat, ſimul & vim efficacitatiſq́; promptitudinem oſtendit. Solenne enim Vatibus & hoc imitatis poëtis eſt, numinis ac virtutis numini adſcriptæ ratione, certarũ notarumq́; animantiũ dicato vſu adpingere: ſic ætheris naturæ, quam Iouem illi vocant, aquilam & fulmen; Iunonis verò, id eſt, aëris mediæ regioni, pauonem & iridem; amoris ac procreationis, columbarum par; atque aliarum rerum formas aliis ad efficientiam tribuere. Deo igitur viuo ac vero & vnicè efficaciſſimo, cæli ac terræ imperium, & eorum, quæ maxima appellantur, mundi corpora, eademq́; promptiſſima & agiliſſima ad obſequium addicta noſter commemorat Vates.*

Ira Dei igni comparata. *Pſal.* 7. Natura ſub Deo. Animantes diis dicatæ.

10. Inclinauit cælos, & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius.

Immobilitatem conſtantiamq́; Dei, atque omni in loco omniq́; tempore

Deus immotus vbique locorū præſens.

præſens numen, cælorum inclinatio ſignificat: non enim ipſe vnquam ſuum cælum, hoc eſt, ſuum thronum deſerit vacuum; ſed quocumque velit, cælum ipſum, quamquam ſupremam obtinens mundi regionem, tamen inclinat, flectit, & vertit, immotus ac ſedens ipſe ſibiq́; ſemper conſtans: id quod cælorum etiam iſtorum, quæ oculis conſpiciuntur, mutationes & efficacitates contemplantibus animis facile cognitu eſt: quamquam aliàs quidnam illa portendant, quorſúmue euaſura ſint ignoretur, propter humani ingenij obſcuritatem & imbecillitatem, diuini conſilij rationes, vias, & modos intueri & capere minimè, nedum Dei ipſius claritatem mortali ſenſu perferre valentem. Et quidem Homeri iudicium atque mentem numquam ſatis laudare poſſe videtur Plato (& ex antiquis Philoſophis alij) qui diuinam naturam humanis oculis inuiſibilem affirmare ſtudens, Apollinem aliàs clarum ac ſplendentem illis putatum Deum, inter homines verſatum, minimè conſpectum tamen, νυκτὶ εἰκότα, id eſt, nocti ſimilem, veniſſe canit: cùm nihil magis naturâ, quàm lux ac tenebræ, quàm ſol & nox, pugnare deprehendantur, longè profectò elegantiùs, longè pulchriùs, idq́; veriſsimè, Deum, quem lucem inacceſsibilem perpetuò habitare, id eſt, quem lucem ipſam veram & æternam eſſe oracula prædicant ſacra, non quidem lucem ſuam deſeruiſſe, verùm inter ipſam & mortalis viſus aciem caliginem intercedere, Vates noſter deſcribit: ita vt totus ipſe Deus lux eſſe, caligo verò nec pedes quidem illius attingere, ſed infra pedes offuſa humanam contemplationem cohibere dicatur. iam verò naturam rerum, tam earum, quæ videri & conſpici mortalibus poſſunt ac ſentiri, cuiuſmodi ſunt ventus, aër, nubes, quàm ſpirituum corpore carentium atque ſublimiori genere præditorum, auctori, gubernatori, atque imperatori omnium Deo ſeruire ac parere ſubiuncto docemur verſu.

Dei conſilia. — De Deorū inuiſibili præſentia Homerica comparatio. — Dei inuiſibilitas à prophetis deſcripta.

11. Et aſcendit ſuper Cherubim & volauit: volauit ſuper pennas ventorum.

Dei currus.

Currus Dei pingitur ac deſcribitur, qui non ex ligno, auro, aliáue corporea materia conſtat; ſed Cherubim coniunctis alis ſubſternitur: alluditq́; ad geminam illam infantium effigiem, quos ex auro ductos, alis inuicem protenſis ac ſeſe contingentibus, in tabernaculi ſancti adyto ſuper fæderis arcam & propitiatorium collocari Deus iuſſerat; hos nos cùm ſacrum moliremur ac deſcriberemus apparatum, maris ac fæminæ infantium formam expreſsiſſe dicebamus; tum ex vocabuli CHERVB *interpretatione idem valentis atque latinum hoc,* Sicut infans, *tum verò ex arcana ſignificatione intellectus ac mentis ſiue voluntatis, quibus concordibus atque diuinæ legi innixis attenteq́; obſecundantibus Deus inſidere & quieſcere ſignificatur: hinc enim illud eſt,* Qui ſedes ſuper Cherubim. *atque hoc in Pſalmo, quem commentamur,* Cherub *ſingulari pronunciatum numero, vnum ex ſupernorum ſpirituum Deoq́; erga homines miniſtrantium ordinem indicat;*

Cherubim propitiatorio impoſita maris ac fæminæ forma. — Cherubim ſignificatio. — *Pſal.* 79. — Cherubim angelicus ordo.

cat : quem cum alijs omnibus Deo ſubditum hic idem canit Vates, Qui facis angelos tuos, ſpiritus ; & miniſtros tuos ignem vrentem. *Velociſſimam atque exactiſſimam imperij voluntatiſq́; Dei maturationem ventis ad currum admotis indicat,* Et volauit] *Ad Cherubim alas refertur prius verbum* VEIAGHAPH, *poſterius ad ventos*, VEIADA, volauit, *intendit, impulit : corporum namque omnium celerrimum atque agiliſſimum ventus eſt, qui* vbi vult ſpirat ; & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat aut quò vadat. *adnotanter autem tam ſuperni ſpiritus, quàm venti & corporum omnium natura & vis Deo ſubſtrata, ſubdita, & longè inferior ſignificatur voce illa*, GHAL, ſuper, *vbique repetita. ſolent autem currus cortinis obtentis aut alio velamento inſtrui : ita vt qui vehuntur, videre eos qui foris verſantur, poſſint ; ipſi verò non videantur, aut quid intus agant obſeruentur. Qualia verò velamina Dei currus prætendat, audire eſt ; non ſolùm quæ circumſpicientem obtutum arceant, ſed quæ animos etiam turbent ac terreant.* Pſal. 103. Iohan. 3.

12. Et poſuit tenebras latibulum ſuum: in circuitu eius tabernaculum eius, tenebroſa aqua in nubibus aëris.

Ipſum ab omni impreſſionis ac procellarum impedimento immunem ait, nec ſe conſpici ſinere, nec quid agat, quídue aut quibus paret, pernoſci, vtpote obiectis vndique tenebris & imbribus magnis etiã atq; obſcuris nubibus denſiſſimis immiſſis. in nubibus aëris] GHABEI SEHHAKIM, denſitates nubium. *Omnem præterea terribilium rerum naturam, quamquam inter ſe diuerſam atque diſcordem, tamen Dei imperio parentem ſumma conuenire concordia teſtatur, atque eodem tempore ſuas vnamquamque vires exercere, ſuaſq́; præſtare partes; vtpote quæ non vario ac diuerſo, ſed vnico eodemq́; efficaciſſimo & ſapientiſſimo pareant atque obediant numini.*

13. Præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt, grando & carbones ignis.

Impiorum ac diuinam prouidentiam negantium animos fulgura, tonitrua & fulmina communiter terrere & conuincere ſolent. id quod complu-ribus in hiſtoriis adnotare licet, atque ab vno ex iſtis confeſſione declaratum audire eſt. Fulgura animos prouidentiam negantium maximè turbant.

—— Namque Dieſpiter
Igni coruſco nubila diuidens,
Plerumque per purum tonanteis
Egit equos, volucremq́ue currum;
Quo bruta tellus, quo vaga flumina,
Quo Styx, & inuiſi horrida Tænari

Horat. lib. 1. Od. 34.

Sedes,

Sedes, Atlanteuſque finis
Concutitur. Valet ima ſummis
Mutare, & inſignem attenuat Deus. *& ille etiam alter de iſtorum pauore & contentione.*

Iuuenal. Sat.xiij.

Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent;
Cùm tonat, exanimes primo quoque murmure cæli.
Non quaſi fortuitu, nec ventorum rabie, ſed
Iratus cadat in terras ac vindicet ignis.

Præ fulgore] MINOGHA à fulgure, *hoc eſt, fulgore præeunte: nam fulgetra tonitruum præcurrunt: quæ quanto ſpendidiora viſuntur, tanto vehementiorem frigidorum & ignitorum corporum vim diſcutiunt, ita vt eodem momento grando & fulmina in terras graſſentur immiſſa.*

Fulmen.

Carbones ignis] *Fulminis naturam ſignificat, quod nihil aliud eſt quàm acerrimum ſulphur ſuo ipſius calore incenſum: vt in Naturæ hiſtoria diſſerebamus. atque hæc omnia in ſublimi generata & in terras immiſſa, non caſu aut naturæ cæco impetu, ſed voluntate iuſſuq; Dei parari, fieri, atque euenire Vates aſſerit.*

14. Et intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam: grando & carbones ignis.

Ipſe rerum ordo ad prouidentiam & efficientiam Dei conſultò indicatur. namque in hoc genere ſic comparantur omnia; primùm fulgur ſiue fulgetrum conſpicitur, deinde tonitruum auditur fragor, quem grando atque incenſa conſequuntur fulmina. de cælo Dominus] *non caſu, non ex loci aut regionis aëríſue ingenio, ſe l ipſius Domini iuſſu ac voluntate, atque in hunc etiam ſenſum illud à Moſe aſſeueratum interpretari conuenit.* Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo. *Intellexerat nimirum dum hæc ſcribebat Moſes, non defuturos qui vrbes illas ex bituminoſi ſoli ingenio correptis ignibus conflagraſſe ſcriberent: quamobrem illud conſulto ac prudenter adnotandum repetiuit,* à Domino de cælo. *itaque non temerè aut caſu, ſed certo conſilio ſublimia parari, confici & exerceri, ſacri docent Scriptores: Moſes ciuitatum illarum perdendarum cauſſa, Dauid verò elementa omnia ad ſui liberationem & inimicorum caſtigationem ex Dei nutu agitata fuiſſe canit. quod, quamquam ex hiſtoriæ ſimplicitate factum non conſtat, tamen ex euentu arcanis modis comprobatur effectum: poëtica namque imagine ac vehementis procellæ deſcriptione id in animis, mentibus, atque adeò in corporibus inimicorum eueniſſe aſſeuerat, quod aliàs iiſdem iſtis rerum exemplis edi conficiq; ſolet: verùm de his arcanis nunc non eſt agendi commoditas. Itaque euentum ſpectans adiunxit:*

Sodomorum conflagratio à Domino de cælo. *Gen.19.*

15. Et

15. Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.

O vtinam hæc nobis ex propria, quam celant, ſpiritalium rerum ſignificatione interpretari fas foret, Sagittas ſuas] *fulmina intelligimus; quæ vt Ioui deluſa antiquitas, ita Deo vero & vnico vera philoſophia tribuit. Namque hoc vnum genus eorum exercituum eſt, quos incorporea natura promptos & ad omnem nutum inſtructos diuina prouidentia conſeruat. atque illud germanè & ex Oeconomia rerum diſtributum adnotandum eſt, fulminibus diſiectos diſsipari homines, non perdi tamen omnes, verùm fulgure crebro lucenti turbari, & oculis ac ſenſibus paueſcere ſingulos. Namque fulminis ictus pauciores multo quàm fulguris lux & ſplendor corripit; eodem enim temporis momento* Fulgur erit ab Oriente, & paret vſque in Occidentem. *atque non ſimili aut pari animi affectu & ſenſu huiuſmodi mutationes à mortalibus omnibus excipi & ſpectari deinceps declarat Vates; ſiquidem hæc omnia terrorem & correptionem impijs atque improbis moliuntur, piis verò atque innocentibus probisq; viris conſolationem & exhortationem parant, iuxta illud:* His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra: & nolite timere vos.

Dei exercitus. — *Matth. 24.* — *Luc. 21.*

16. Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum: Ab increpatione tua Domine, ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.

Magnas mortalium calamitates & humanarum rerum conuerſiones & mutationes, antiqui ac decātati diluuij imagine ſacri Vates indicare ſolent. Fuerat autem diluuij, vti nouimus, duplex cauſſa; altera exitium impiorum, altera verò piorum ſalus & conſeruatio: vtrumque enim Deus Noahho denunciauit. Finis vniuerſæ carnis venit coram me: repleta eſt terra iniquitate à facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis læuigatis. *Atque huius argumenti ac ſignificationis illud eſt:* Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me. *Diluuij autem impetus præter communem naturæ & imbrium exemplum excitatus, manifeſtum ſingularis efficientiæ Dei atque prouidentiæ præbuit argumentum.* Anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis, rupti ſunt [*vna eademq; die*] omnes fontes Abyſſi magnæ, & cataractæ cæli apertæ ſunt: & facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. *Inimicorum itaque ſuorum calamitatem diluuij inſtar repente allatam canit Vates, idq; manifeſta Dei iu-*

Diluuij cauſſæ. — *Gen. 6.* — *Pſal. 31.* — *Gen. 7.*

dicis ac vindicis voluntate ac ſententia. Ab increpatione tua Domine, ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ] MINESEMATH RVAHH APECHA, ab halitu ſpiritus naris tuæ. *In naribus enim excandeſcentiæ impetus proditur. vna enim die inimicorum Dauidis exercitus fractus, fuſus, ac penè conſumptus, & Saul ipſe inimicitiarum caput interfectus narratur. Eadem etiam luce Dauidi ſalus conſtituta atque firmata & certo indicata fuit nuncio, non ſecus atque Noahko quondam contigerat, S.S.E.* In articulo diei illius ingreſſus eſt Noe, & Sem & Cham & Iapheth filij eius, & vxor illius, & tres vxores filiorum eius cum eis, in arcam. *In hunc itaque modum ſibi à Deo conſultum prædicat Vates;*

Nares. Gen. 7.

17. Miſit de ſummo, & accepit me: & aſſumpſit me de aquis multis.

Atque hactenus tranſlationem perſecutus, iam deinceps porrò interpretatur, qualéſque aquæ illæ fuerint, à quibus exceptum ſe dicat, ſimplicibus explicat verbis:

18. Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis, & ab his qui oderunt me: quoniam confortati ſunt ſuper me.

19. Præuenerunt me in die afflictionis meæ: & factus eſt Dominus protector meus.

Pacem verò deinceps ac ſecuritatem publicè priuatéq; eiuſdem Dei beneficio ac munere partam, atque omnia hæc cum iuſtitiæ diuinæ veritate & auctoritate conuenire docet; atque ex conſequenti humanæ prauitatis induſtriam, quamuis potentiſſimam, tamen ad ſummum improbitatis gradum atque ad ſe prorſus prodendum peruenire ſitam, repentino demum impulſu turbari, corruere, atque perdi declarat.

20. Et eduxit me in latitudinem: ſaluum me fecit, quoniam voluit me.

Velle.

Quoniam voluit me] *Rationes ſuas vt ſimplices ac veras Deo iudici probatas & acceptas fuiſſe ſignificat. id quod pleniùs etiam explicat & perſequitur. Verbum* voluit *diuinam probationem ſimul cum virtute & efficacitate conuinctam, etiam apud Latinos poëtas, declarat: vt,*

Et minax (quod ſic voluere) ponto
Vnda recumbit.

21. Et retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam, & ſecundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi.

Inimicorũ Dauidis oratio.

Inimicorum Dauidis prætexta in ſpeciem oratio fuerat illa, ſcilicet ſe

ſuam

ſuam cauſam defendere aduerſus audacem, ambitioſum, ac tyrannidem occupare molitum hominem, atque adeò infidelem ſeruum, dominoq́ ſuo legitimo, atque diuinis reſponſis electo & conſtituto regi, inſidias ſtruentem atque exitium armata manu afferentem. cuius argumenti illud eſt: Quis eſt Dauid & quis eſt filius Iſai? *hodie increuerunt ſerui qui fugiunt dominos ſuos. à qua calumnia Dauid ſe diuino iudicio liberatum ipſo docet, & combrobat exitu, nempe ſe nihil præter Dei voluntatem & conſilium atque etiam iuſſum, legem ac mandatum, egiſſe vel tentaſſe.* 1. Reg. 25.

22. Quia cuſtodiui vias Domini, nec impiè geſſi à Deo meo.

23. Quoniam omnia iudicia eius in conſpectu meo: & iuſtitias eius non repuli à me.

24. Et ero immaculatus cum eo: & obſeruabo me ab iniquitate mea.

Morem, conſuetudinem, certum ac deliberatum conſilium, perpetuumq́ agendi modum, verba hæc omnia futuro tempore pronunciata, vt ſæpe aliàs docebamus, ſignificant. Ea verò ſibi non ex humana aut vulgari opinione, non ex hominum interpretatione, qui plerumque mendoſi ac mendaces deprehenduntur, ſed ex iuſtiſſimo Dei iudicio æſtimata atque declarata aſſeuerat:

25. Et retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam: & ſecundùm puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum eius.

Non ad arrogantiam referendũ id fuerit quod ex officij integritate quiſquam rectè egerit, præcipuè cùm id Deo iudici probatũ certus & manifeſtus declarauit exitus: nec verò id cuiquã pro ſe apud Deum alleganti ſuperbiæ aut inſolentiæ dandum, modò ſimpliciter & candidè pureq́ fiat. Siquidem candor, ſimplicitas, & veritas in his numerantur partibus, quæ Deo ſimpliciſſimo ac veraciſſimo manifeſtiſſimè probantur; ſicut in Abrahami, Abimelechi, & aliorum quàm plurimis edocti ſumus exemplis; Deum videlicet ſeſe erga homines eo pacto, quem ipſi ſibi optauerint & inſtituerint gerere hoc diuinum (vt ita loqui ſit fas) ingenium, appoſitiſſimè noſter prædicat Vates.

Officij integritas nõ ſuperbè allegata.

Deus vt ſe erga homines gerat.

26. Cum ſancto ſanctus eris: & cum viro innocente innocens eris.

Apoſtrophe figura neſcio quid fiduciæ in dicentis animo indicat, dum is de quo tamquam abſente priùs agebatur, in ſermonem ſubitò veluti præ-

ſens inducitur, atque argumentum quod tractatur concedere ac probare videtur; ſiue id interrogando ſiue aſſeuerando pronuntietur. Laudat igitur Vates Dei integritatem, qui cùm omnibus hominibus, vt verus pater atque Dominus conſulat, vniuſcuiuſque rationem habet, qualem veritas, æquitas & ratio iusq́; poſtulet. atque ita ſe ſapientiſſimum, iuſtiſſimum, ac miſericordiſſimum declaret, qui digna actis, conſiliis ac factis, non modò rei exitu, ſed modo etiam reponat; hoc videlicet pacto vt ſimplices, candidos & innocentes, ingenua ſimplicitate & comitate tractet, eos verò qui per dolum, fraudem, vel per vim & potentiam propoſitum inire & vrgere parant, conceptæ ab ipſis fraudis partu, hoc eſt, ipſomet mendoſi inſtituti exitu, deturbet, labefactet, ac diſſipet. Verborum autem definita ſignificatio res ipſas facilè indicabit, hoc eſt, morum diuerſitatem in hominibus, quam diuinæ æquitatis ratio pro ſingulorum bonis aut malis meritis conſequitur. Cum ſancto ſanctus eris] GHIM HHAZZID THITHHHAZZED, cum pio te ipſum pium benignumq́ue præbere ſoles. *verbum* THITHHHAZZED *reciprocæ formæ eſt.* cum innocente] GHIM GEBERTHAMIM THITHAMEM, cum viro ſano atque integro te præſtas integrum ac ſanæ mentis.

27. Et cum electo electus eris: & cum peruerſo peruerteris.

Et cum electo electus eris] VEGHIM NABAR THITHBARER. NABAR *purum candidumq́; atque ita egregium & electum ſignificat, eum, inquam, qui nihil exceptionis ad probitatem admittat. Atque* Probitatis partes. *hi ſanitatis ac probitatis quaſi quidam ſunt gradus mentis, imprimis pietas, cogitationum atque conſiliorum ſanitas ac ſimplicitas, actionum, & factorum expedita puritas. quibus probitatis partibus vitium aduerſatur, quod* Prauitas. *ſacra lingua* GHAKSVTH, *id eſt, prauitatis, nomine notatur. eſt enim* GHIKES *quidquid à recto deuiat, id verò vitium cordi primùm magis & menti datur, ex quo cogitationes prauæ, fallaciæ, fictiones, atque improbæ & iniquæ ſimulationes, ac doli demum proficiſcuntur, importuniſſima penitus mala & diuinæ bonitati ac ſimplicitati prorſus inuiſa. S. S. E.* Prou. 11. Abominabile Domino GHIKES LEB cor prauum: & voluntas eius in iis, qui ſimpliciter ambulant. *Qualem verò ſeſe Deus aduerſus huiuſmodi ingenia præbeat, declarat opportuniſſimè Vates,* VEGHIM GHIKES THIPATHEL. *In ſuperioribus comparationibus eiuſdem verbi vſurpatio eandem agendi ſignificabat rationem, in hoc verò oppoſitione ſiue contentione variè vſurpata ſunt vocabula* GHIKES, *quod* Aſtus. *iam interpretati ſumus, &* PATHAL, *quod non tam ad conſilium & voluntatem quàm ad modum agendi refertur, idq́; ad artem, induſtriam, argutiam, acutumq́; inuentum magis quàm ad animi impulſum refertur. Illud enim prius* GHIKESVTH, *ſiue* prauitas, *nulli citra vitij notam adſcribitur, vtpote quod cordi ac menti hæreat. hoc autem poſterius* PATHAL *interdum ex calliditate & vafritie, nonnumquam verò ex prudentia*

dentia ac dexteritate inſtituitur. Nam ſi quis malo dolo cuipiam inſidias fraudemq́ molitus, ab illo cui parabat, aut ab alio ſimilibus vel diuerſis eludatur aut capiatur commentis; prior ille propriè GHIKES, *prauus ac peruerſus, poſterior verò* POTHEL, *acutus, aſtutus, ac eluſor dicitur; cùm ille ex inferendæ iniuriæ ſtudio, hic verò ex propulſandæ animo & prudente conſilio, egerint; quare verbum* PATHAL *ambiguæ adnotationis eſt, atque ex animi agentis impulſu laudem culpámue adrogat. Hinc adeò fit vt nonnumquam cum* GHIKES, *interdum verò ſeorſum atque abſolutum obſeruetur, & inter diuerſas partes illud ſemper improbæ, hoc verò nonnumquam meliori, id eſt, ei qui fallacia alia aliam truſerit, adſcribatur: cuius argumenti illud inſigne nobis exemplum;* & cùm veniſſet [*Ieſus*] in templum, acceſſerunt ad eum docentem principes ſacerdotum & ſeniores populi, dicentes: In qua poteſtate hæc facis? & quis tibi dedit hanc poteſtatem? Reſpondens Ieſus dixit eis: Interrogabo vos & ego vnum ſermonem; quem ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua poteſtate hæc facio. Baptiſmus Ioannis vnde erat? è cælo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter ſe, dicentes: Si dixerimus, è cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidiſtis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: Omnes enim habebant Ioannem ſicut prophetam. Et reſpondentes Ieſu, dixerunt: Neſcimus. Ait illis & ipſe: Nec ego dico vobis in qua poteſtate hæc facio. *Doloſam & fraudulentam captionem, repentina, prudente, atque ex iiſdem petita locis argumentatione Ieſus hoc in colloquio refellit. Hoc verò, nempe modeſtiam ſimplicitatemq́ fouere, iuuare ac tueri; contrà verò ſuperbiam, arrogantiam, & inſolentiæ genus omne odiſſe ac peſſundare, antiquum certumq́ Deo eſſe Vates aſſeuerat.* Matth. 21.

28. Quoniam tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.

Futurum tempus in naturæ atque morum argumentis perpetuitatem conſuetudinemq́ ſignificat certam; ſuperbiæ & arrogantiæ indicium in oculis ac ſupercilio præcipuè notatur ac reperitur: Generatio cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ eius in alta ſurrectæ. *Oculorum autem nomine cogitationes & conſilia ſignificantur, quæ primum in humanis actionibus obtinent locum. ea verò cùm ab inſolentia & ſuperbia proficiſcuntur, diuinæ ſapientiæ vi & efficientia labefactari & caſſa irritaq́ euadere Pſaltes ait; contra verò modeſta inſtituta & vota ad ſalutem & felicitatem dirigi & promoueri. ipſe autem ex antitheto rem ipſam explicat, & oculorum nomine prudentiam, luminis verò, ſapientiam, tenebrarum autem ignorationem, errores, inſcientiamq́ ſignificari declarat, & quod in vniuerſum de Deo pronuntiarat, ſuarum etiam rerum ſingulari confirmat exemplo.*

Futurum tempus. Oculi & ſupercilia ſuperborū. *Prou. 30.*

29. Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.

Animi lucerna. *Quod erga corporis ac ſenſuum vſus lucerna, hoc erga animum prudentia præſtat; conſilium videlicet, ſine quo res inſtitui & geri non poſſunt, huius autem ſignificationis illud eſt;* Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus; ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus lucidum erit. Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſe tenebræ quantæ erunt? *Igitur agendis gerendiſq́ rebus viam primùm aperiri indicariq́ oportet, id quod ſibi diuina præſtari gratia fatetur Pſaltes; conſilium autem certum facti maturitatem poſcit, cuius expediendæ cauſſa & vires & opes & arma atque circumſtantiarum opportuniſsima quæque parantur. Quæ omnia ſibi quoque auctore conſtare Deo gratulatus declarat. tum quidem quæ ad creatum ſibi periculum declinandum & euadendum, tum verò ea quæ ad retundendam frangendamq́ inimicorum ſuperbiam & vim vi repellendam fuerint neceſſaria.*

Luc. 11. Matth. 6.

30. Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum.

Quamquam (inquit) obſeſſus vallatusq́ premar, tamen nominis & efficacitatis iſtius virtute & periculum perrumpam, & murum quo concluſus & obſeſſus tenebar, tranſilire potero. Quemadmodum verò hoc fiat, quoq́ pacto ipſe ſibi diuinæ opis conciliet copiam, opportuna occupatione declarat; nempe inquam fidei virtute, quæ ſui verè & legitimè compotes numquam fruſtratur: eſt autem fidei fundamentum diuinorum effatorum conſtans veritas.

Fides.

31. Deus meus impolluta via eius: eloquia Domini igne examinata: protector eſt omnium ſperantium in ſe.

Fidei laudes. *Huius confeſsionis & argumenti veritatem in ſuas de fidei laudibus partes allegare ſolet Paulus:* Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam [*legalem,*] adepti ſunt repromiſſiones [*terrenas,*] obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum. *Hæc & complura alia ex vno ſimplici & communi dicto deducta obſeruare eſt; nempe,* Deus meus impolluta via eius. *atque hoc loco nomen* EL *appellatur, quod tametſi Latinè redditur* Deus, *vt alia etiam, tamen ſingularem continet virtutis & efficacitatis rationem: Fortiſsimi, inquit, via & conſuetudo ſana, integra, ac ſibi vndequaque ſimilis & conſtans permanet. eſt autem*

Heb. 11.

tem via hæc probatiſſima omnibus exemplis, dictorum & effatorum Domini veritas. Hoc in orationis membro ſacroſanctum illud vſurpatur IEHVEH nomen, quod ad miſericordiæ promiſſa & conſtantiam referri identidem commonemus; IMRATH IEHVEH TSERVEPAH, Dictũ Domini purum putũ. *Hiſpanicè*, dicho del ſeñor apurado. *Prima verſus huius pars vim efficacitatemq́, ſecunda verò voluntatem & promiſſionem Dei aſſerit: ex vtraque autem infertur tertia illa*, Protector eſt omnium ſperantium in ſe. *in exemplari* MAGEN HVLECHOL HAHHOZZIM BO, clypeus ipſe omnibus ſuccedentibus ipſi. *Hiſpanicè* eſcudo para todos los albergantes en el. *Atque Latinum verbum* ſuccedere *huic interdum vſurpationi eleganter inſeruit: vt*, -ſucceſſimus antro. *Commodè autem docemur nullum humanum conſilium aut factum ſine Deo rectè aut vtiliter vniri & inſtitui, nullum autem eſſe Deum gubernatorem niſi vnicum* IEHVEH; *quem Iſraëlis gens, hoc eſt, fidelis & verè pia confitetur, prædicat, & colit Eccleſia.* Succedere. *Verg.*

32. Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum noſtrum?

Diuinitatis ac numinis rationum ſummam duobus nominibus complectitur Vates, gubernatione, & virtute: in gubernatione conſilium & voluntas, in virtute facultas cernitur. vtramque ſummam vni IEHVEH *propriè, legitimè, ac ſingulariter tribuendam eſſe aſſeuerat, idq́ tribus inſinuat vocabulis* ELOHAH, *quod gubernatorem*, IEHVEH, *quod benignum conſultorem promiſſoremq́*, TSVR, *quod petram, rupem, baſim, centrumq́ interpretari licet. Itaque* TSVR, *id eſt, rupes, hoc loco, tutoris vnici, Dei inquam Iſraëlis virtutem & curam atque protectionem ſignificat. id quod in vniuerſum atque in genere aſſeueratum, ſuæ ſalutis confirmat exemplo, cuncta videlicet ſibi ad victoriam curante Deo conſtitiſſe docens. Sunt autem illa ad rem ſtrenuè gerendam cumprimis opportuna, armorum probata copia, ſitus ac ſoli tum ad aggreſſum tum etiam ad prælium electio, deinde verò corporis ac membrorum agilitas, demum robur ac dexteritas; quibus arma & haberi firmiter & commodè atque doctè tractari poſſint, tum feriendo, tum etiam aduerſarij ictus & impetus retundendo ac frangendo. Primam igitur partem ſic ille ſibi ex diuino arrogat munere.* Diuinitatis ſumma ratio.

33. Deus qui præcinxit me virtute: & poſuit immaculatam viam meam.

HHAIL, *vim, virtutem, & copias Latini interpretantur, quæ omnia ſibi ex Deo ſuffecta, Deo inquam* EL, Forti, *ac fortitudinem ſibi ſuggerente.* Immaculatam viam] *Ad militarem viam alludit, cui expediendæ non poſtremam oportet eſſe curam, ne quid militaria impediat,* Via militaris.

aut

aut moretur itinera. THAMIM, Sanam, *firmiter atque liberè inſtructam. Hoc quod ad arma apparatumq́ bellicum: quod verò ad agilitatem, celeritatem, atque ad robur & firmitudinem facit, deinceps perſequitur.*

34. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum: & ſuper excelſa ſtatuens me.

35. Qui docet manus meas ad prælium: & poſuiſti vt arcum æreum brachia mea.

Tanta brachiorum vi ac firmitudine ſe à Deo præditum gratulatur, vt æreos etiam arcus ſiue calybeos, quales balliſtarum ſunt, non multa contentione frangere nihil impedierit. VENAHHATHAH KESETH NEHHVSAH ZERVGHATHI, & fregit arcum calybeum brachium meum. *Neque verò in leuibus aut facilibus & communibus periculis virtutem ſibi ſuffectam, ſed in grauiſsimis ac duriſsimis rebus, id quod magnum & euidens argumentum fuerit præſentis numinis ac ſingularis tutelæ Dei.*

36. Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ, & dextera tua ſuſcepit me: Et diſciplina tua correxit me in finem, & diſciplina tua ipſa me docebit.

THEZZAGHADENI VEGHANOTHECHA THARBENI, confirmaſti me & ærumnis tuis auxiſti me. *Id quod deluſa antiquitas de ſuo fabulata eſt Hercule, verè de ſe Vates hic prædicat, hoc eſt, magnis & frequentibus laboribus ex diuino permiſſu tentatum quidem, diuinæ tamen tutelæ munitum præſidio euaſiſſe victorem: id quod cùm fide primùm imbutus, & animatus intellexiſſet, deliberato tamen ſubierit animo, ac demum felici confecerit euentu.*

37. Dilataſti greſſus meos ſubtus me: & non ſunt infirmata veſtigia mea.

Liberum & expeditum ſibi ad pugnam laboreſq́ ſuſtinendos, atque ad dimicandi opportunitatem, conſtitiſſe locum ait; animum quoque ita firmatum, vt in ipſo etiam certaminis ardore, ac tumultu nec mens nec pes labarit; immò adeò valuerit, vt cedere coactos aduerſarios ad extremum vſque perſecutus fuerit exitium: itaque fidei ſubſidio fretus ipſum ſeſe his animarit verbis:

38. Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar donec deficiant.

39. Con-

39. Confringam illos, nec poterunt ſtare; cadent ſubtus pedes meos.

Hanc ex fide conceptam fiduciam non irritam, immò efficaciſſimam, ſeſe primùm agnouiſſe, atque euentu deinde ex animi ſententia ſpectato fuiſſe comprobatam.

40. Et præcinxiſti me virtute ad bellum: & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me.

41. Et inimicos meos dediſti mihi dorſum: & odientes me diſperdidiſti.

Non ait Saulem, æmulos, inuidos, maleuoloſq; cæteros à ſe fuſos & interfectos fuiſſe (quippe qui clementiſſimus erga illos fuerat, & cùm ſemel atque iterum perdere poſſet, noluerat, immò ſeruarat vltro; id quod non longè antè hoc ipſo carmine ſignificauerat ipſe: Et retribuit mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam, & ſecundùm puritatem manuum mearum retribuit mihi) *verùm enimuerò victoriæ ſuæ ſpem certam ex fide conceptam Dei vindicis numine ac iudicio euentum ſortitam fuiſſe affirmat. Namque diuini iudicij decreto edita ſententia eſt, per Samuelem pronuntiata, & Palæſtinorum genti ad executionem commiſſa, atque ipſius etiam Saulis manu ad extremum perſoluta.*

42. Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret, ad Dominum; nec exaudiuit eos.

Nam qui opportunè moniti, docti, atque à mala mente reuocati, iniuriæ tamen faciendæ propoſito non retrahuntur; in ea ſeſe vltrò inferunt pericula, ex quibus ad euadendum fruſtra vota ſuſcipiunt. S. S. E. Date Domino Deo veſtro gloriam antequam contenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos: expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis, & in caliginem. Pertinaciæ pœna. *Hierem.* 13.

43. Et comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti: vt lutum platearum delebo eos.

Victoria quamuis parta, niſi maturo atque expedito firmetur vſu, nec triumphum meretur nec laudem ſolidam cum ſecuritate procreat. Igitur cui vtrumque contingit, id eſt, vincere & victoria vti ac frui, eidem Dei numen ac iudicium certiſſimè fauere agnoſcitur: ita autem à ſe victos & profligatos hoſtes ait, vt proculdubio omnes omnino in poſterum perditos deletum è medioq; ſublatum iri adſeueret. id quod duplici ſimilitudine adnotandum canit, pulueris videlicet in terra ſtrati, indeq; commoti & ſublati atque vehementi vento obiecti; qui quamquam in turbinem oculis mo- Victoriæ confirmatio.

leſtum tollatur, tamen ſpiritus vi diſiectus ita diſſipatur, vt nequa pars cum aliqua alia coniungi & vires valeat recuperare: tum etiam luti platearum, quod vel calonum & lixarum opera aſportatur, vel frequentatorum pedibus conculcatum demum diſperit. Talem porrò inimicorum & æmulorum & inuidentium exitum, qualis comitetur & conſequatur euentus, prædicitur; nempe pacatio ac ſedatio vulgi, aliàs inconſtantis iudicij & ad præſentis tempeſtatis impulſum ſuo ingenio flecti ſoliti: denique obedientia & obſequium, atque iugi & imperij receptio. Quem euentum nationes quoque aliæ contemplatæ, atque vt manifeſtæ Dei tutelæ ac prouidentiæ argumentum admiratæ, fœdere etiam pacis & amicitiæ atque communionis & gubernationis compoſito proſequantur & amplificent.

44. Eripies me de contradictionibus populi: conſtitues me in caput Gentium.

Hanc verò non modò patientiæ & lenitatis, ſed beneficentiæ quoque in aduerſarios victoriam, quanta exſpectet laus & commendatio; ex aduerſariorum conſequenti vituperatione, probro & nota, declaratur:

45. Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.

Palæſtinorum complures Dauidi ſæpius ſub iugum miſſos, atque Armeniorum partem vltra Damaſcum quoque expugnatam, ex ſacris conſtat hiſtoriis; atque ex conſequenti, gentes illas & alias Regis huius felicitatem ſingulari Dei tutelæ, numini, ac præſidio tribuiſſe: ex quo manifeſtè apparet pudere debuiſſe eos, qui cùm prudentiùs ac meliùs agere poſſent, hoc eſt, diuinæ voluntati obſecuti quem gratum Deo eſſe intelligerent ſuſcipere ac fouere, tamen improbè contemnere, negare & reijcere auſi ſunt.

46. Filij alieni mentiti ſunt mihi: filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis.

Iſraëlitæ, qui à ſe deſciuerant, filij alieni, *à Vate vocantur; vel quòd ſeſe vltrò abalienarant, vel quòd alieno, hoc eſt, aduerſario ſuo per Dei oraculum abdicato, nihilominus addixerant. Exemplaris lingua rem ipſam apertiùs exprimit;* BENEI NACHAR, ædificati alieni, *qui ad alieni domum & clientelam ſeſe vſurpatos voluerant. Namque nomen* filius *non exprimit planè nominis* BEN *ſignificationem.* Inueterati ſunt] IIBALV, marceſcebant: *Verbi tranſlatio hoc loco ſumitur à lapidibus, qui ædificationi admoti & applicati, non tamen conueniunt nec hærent.*

Claudicauerunt à ſemitis ſuis] VAIIHHARGV MIMAGAROTHEIHEM, & labefactati ſunt ex cauernis ſuis: *Tranſlatio ducta à lapidibus perperam in pariete locatis, id eſt, minimè conuenientibus*

prauéq;

praueq́ poſitis. Poteſt eadem tranſlatio à ramorum deciduis foliis peti: verùm nomen BENEI, *id eſt, lapides ſiue filij, priorem præfert tranſlationem. Igitur quæ dicta, narrata & expoſita ſunt, omnia eò tendunt vt felicitatis verus atque vnicus auctor Deus agnoſcatur, agnitus prædicetur ac laudetur. id quod à Vate ſtudioſè ac piè præſtatur.*

47. Viuit Dominus & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ.

Benedictus Deus meus] BARVCH TSVRI, benedictus petra mea *ſiue* rupes mea. *Virtutis & efficacitatis omnis centrum & fundamentum Deus gubernator appellatur; cuius muneris eſt totum quod hoc in carmine quódque aliàs laudandum narratur & celebratur.*

48. Deus qui das vindictas mihi, qui ſubdis populos ſub me: liberator meus de inimicis meis iracundis.

Gratulatorio epilogo carminis totius cogitur ſumma, poſtremo nomine & capite rerum primùm repetito. Namque priùs ex ordine inimicorum inſidiæ peſſumdatæ, deinde turbæ compoſitæ, poſtremò nationes ad obſequium deuictæ & admiſſæ narrabantur: nunc verò poſteriora hæc repetendo vſurpantur. Deus] HAEL, fortis ille; *elocutio ex apoſtrophe apud Vates familiariſſima. Tria præceſſerant in narratione; inuidorum clades à Deo decreta, & per alienam manum edita, hoc eſt, Palæſtinorum; deinde diſſipatio & fuſio potentiorum & vim inferentium; poſtremò populi ac turbarum ſedatio, & hæc conſequuta aliarum gentium obſequia & fœdera.*

49. Et ab inſurgentibus in me exaltabis me: à viro iniquo eripies me.

Et ab inſurgentibus in me exaltabis me] APH MIN KAMAI THERVMEMENI, immò ab inſtantibus & præſtantibus mihi exaltas me. *Pulcherrima allegoria, ſe magnis, potentibus, ac ſeſe opprimere molitis ſuperiorem redditum, idq́ ex diuino beneficio aſſecutum gratulatur: alluditq́ ad ſtaturæ ſuæ breuitatem, & ad Goliathi quondam monſtroſam corporis molem, atque adeò ad Saulis proceritatem; hac etiam imagine ſuperbiam, inſolentiam, & arrogantiam aduerſariorum notat, vnà cum potentia & fraudulentis artibus & inſidiis, quibus diu ac ſæpe petitus ac vexatus fuerat: præcipuè à Saule ingratè & iniquè ſemper aduerſum ſe agēte, per ſummamq́ inſoleſcente iniuriam.* A viro iniquo eripies me] *viro iniurioſo; qui nec religione nec pudore ab iniuriis alij inferendis retinetur; qualem ſeſe aduerſum Dauidem Saul pertinaciſſimè exhibuit: Exemplaris lingua* IS HHAMATS, *id eſt, viro ſingulari ſingulariterq́*

iniurio; cuius artes, vim & potentiam, atque inſolentiam declinare, fallere, & euadere, diuinæ opi manifeſtè adſcribendum ſit, atque ex conſequenti gratulationibus ac laudibus celebrari conueniat.

50. Propterea confitebor tibi in nationibus Domine; & nomini tuo pſalmum dicam.

Diuinorum beneficiorum erga homines agnitio, gratulationem, ſupplicationes ac laudes iure ſummo vendicat: quas, à ſe grato animo & carmine, hoc eſt, pſalmo apud nationes etiam alias celebrando, Vates profitetur; cuius argumentum non ſolùm rem veritatemq́; ipſam in vniuerſum & communiter tractatam contineat, ſed ſingularis ac perpetuæ tutelæ & prouidentiæ erga Dauidem ex humili & afflicto atque oppreſſo ſæpius liberatum, ac ſuperiorem euadentem, denique perpetui regni & imperij honore & auctoritate adauctum. Fuerit itaque carminis illa ſumma:

51. Magnificans ſalutes regis eius, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius vſque in ſæculum.

IESV Chriſti hiſtoria.

Carminis argumentum eſt gentibus tenendum atque repetendum, ideoq́; tertiæ perſonæ adſcriptum: continet autem ſumma breuitate, verùm perſpicuo ordine, Dauidicæ hiſtoriæ ſeriem totam. Nemo verò in arcanioribus myſteriis adeò rudis leuiterq́; initiatus eſt, quin intelligat, carmen hoc Ieſu Chriſti NaZareni filij Dauidis geneſin, hoc eſt, hiſtoriam integram ab euangelij initio ad vſque aſcenſum in cælos, in Dauidis periculis ac rebus geſtis & conſequente gloria, velut in theatro quodam ſpectatam complecti: atque in ipſo vero Dauide vncto, id eſt, dilecto Chriſto, illud certè præſtitum conſtitiſſe & conſtare, & ſemini eius vſque in ſæculum, GHAD GHOLAM. *Verùm nec noſtræ nunc opis nec inſtitutionis eſt, eiuſmodi myſterium ſingulariter & ad plenum tractare; quod qui iam nouerit, noſtra non eget opera; qui verò ignorat, non ſatis vſque penetrare valebit.*

IN PSALMVM XVIII.

IACOBO MONAVIO SALVTEM.

EPiſtolæ iam pridem abs te mihi miſſæ manet adhuc, quamdiu & vitæ huius vſura, manebit quoque memoria; in qua fratrem tuum virum optimum Petrum (cuius deſiderio non ſecùs atque tu vexor) narrabas, poſt complures annos Græcis literis ac diſciplinis feliciter impenſos, tandem ad ſacram lectionem in exemplaribus linguis, Hebraica ſiue Chananæa præcipuè, tractandam appuliſſe animum; tantumque in ſanctæ arcanæque doctrinæ atque linguæ illius maieſtate & ſplendore & commodis compendiis demumque myſteriis promouiſſe, vt ſæpiſſime tibi confeſſum teſteris, pœnitere valde ſeriùs ea iniiſſe ſtudia, quæ vt maxima & ad omnem doctrinæ partem opportuniſſima & vtiliſſima, ita prima ſuſcipi oportere, experimento ipſo intellexiſſet; atque hoc iudicio nihil poſtea antiquius, nihil prius duxiſſe, nihil attentius & pertinacius ac ſuauius ad vſque extremum tempus habuiſſe, aut egiſſe. quem tametſi mihi ſemel per literas notum ac dilectum, tam citò ex amicitiæ conſuetudine abreptum ac ſeparatum ſemper doleo; tamen gaudeo animum auctori ſuo id temporis reddidiſſe, quo, in ſacris illius reſponſis, effatis, præceptis ac promiſſis, teſtimoniis, atque doctrina omni, ſtudioſè pariter ac piè diligenter occupatum tenebat. Namque illius bene poſiti ac probati laboris, humana notitia præſtantiorem ac ſuauiorem fructum illi iam perceptum, ex diuinæ liberalitatis ac bonitatis fide perſuaſus, gratulor; ac tibi etiam non minùs vnicè curari, rogari, & quæri exiſtimo, cui ſymbolum illud præcipuè placuiſſe, atque in conſilijs capiendis & rebus omnibus agendis præijſſe nouimus, quo diuina promiſſa piis omnibus verè conſtitura prædicantur, IPSE FACIET. Hæc de vobis ſtudiorumque veſtro-

rum delectu cogitanti mihi, Pſalmi apud Latinos decimi-octaui, quod tibi inſcribi placet, commodè ſuccurrit argumentum; vtpote quod probatum iri ſperem, viro mundi & naturæ veriique eximiè docto, ac pietatis cumprimis cultori, diuinæque legis ac doctrinæ ſtudioſo mecum condiſcipulo. Vale. Hiſpali ex noſtro ſeceſſu, ipſo Chriſti in cælum recepti feſto die, CIↃ. IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

VT hominum nationumq́ omnium Deus vnicus auctor & pater eſt, ita ſummo iure à cunctis mortalibus cognoſcendus & colendus, atque idem felicitatis veræ, humanæ inquam beatitatis, ſolus efficax credendus, idem ſolus adorandus: qui cùm hominum cauſſa viſibilem & conſpicuum mundi huius ornatum tanto ordine inſtitutum condiderit, & conſeruet, cuius fruendi copia corpori corporisq́ ſenſibus, non item animis niſi ad contemplationem tantùm contingat; rationi conſentaneum fuerit, alia his præſtantiora & meliora bona, humanos animos, potiorem ac nobiliorem hominis partem, eiuſdem Dei voluntate, ſapientia ac virtute, parata ac deſtinata manere: hanc verò doctrinam nulli hominum recta ratione de rebus putantium aut negari aut perceptu difficilem eſſe; quippe quam cælum, ſidera, & ſol præcipuè corporum omnium lucidiſſimum, perpetuò doceant, repetant & inculcent. S. S. E.

Spiritus bona.

Dei notitia

Act. 14. Non ſine teſtimonio [*Deus quondam nationibus*] ſemetipſum reliquit benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera implens cibo, & lætitia corda omnium gentium. *Ita vt nulla inſcitiæ aut ignorationis, niſi culpa ſua admiſſæ, gentibus ac nationibus excuſatio & exceptio ſit reliqua, quo minùs impietatis admiſſæ & pertinaciter adauctæ iudicium ſit ſubeundum: idq́ adeò præcipuè ac maximè iis, quos præter commune rerum naturæ documentum, diuinæ legis promulgatæ ac deſcriptæ copia & facultas vltra alias nationes inſtruxit & amplificauit; tum verò Vatum certa & arcana reſponſa promouendos curauere, quæ de vera humani generis felicitate (quam lex quoque ſubindicabat) iam inde à principio extiterunt, atque idemtidem inſtaurata ſunt.*

1. In finem, Pſalmus Dauid.

AVctoris nomen, carminis genus, & modorum commendatio, primo hoc eduntur verſu; quæ tria ſimul inſcriptionis obtinent vicem.

In finem] LEMNATSEAHH præſtanti, *ſiue* excellenti, *id eſt, vt numeris & verbis eximiis conditus, ita etiam præſtantibus canendus fuerit vocibus ac modis.*

2. Cæli

2. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.

Totius hoc Pſalmo traditæ doctrinæ duplex pars eſt; alterâ, id eſt, priori, Dei veritas, maieſtas & efficacitas, vel ex rerum ac partium cæli ac mundi ordine, ſerie atque vſu, nullos mortalium latere adſtruuntur ac defenduntur, modò animum rectè & cordatè aduertere non pigeat: poſteriori verò, præter hoc publicum & commune documentum à natura ipſa prouiſum, alterum quoque maximum & efficaciſsimum Dei beneficium inſtruendorum hominum cauſſa datum extare; nempe legis doctrinam ſinceræ veritatis refertam, & nullis erroribus, nullis obnoxiam humani ingenij opinionibus aut exceptionibus. In priori parte diuinum nomen EL *vſurpatur, cuius ad maieſtatem, virtutem, efficacitatem ſummam, relatè rationes & explicationes lucidæ & conſpicuæ ſunt; vtpote ab ipſis lucis & ſplendoris fontibus perpetuis profectæ, editæ, atque aſsiduè admodum repetitæ. canuntur primò atque aſſeuerantur cæli doctrinæ huius enarratores perpetui, idq́ue duorum notiſsimorum delegatorum perpetuis viciſsimq́ue aſsiduis operis, diei nempe atque noctis; quibus, nemo eſt mortalium qui communi valeat ſenſu, quin doceri atque inſtrui poſsit, modò ad quotidiana iſtorum dictata velit animum aduertere. Superiorem autem mundi partem in duas regiones diuidit noſter Vates, diuinæ videlicet inſtitutionis philoſophiam ſecutus; illæ autem ſunt, ea quæ eminenter* SAMAIM *dicitur, à Latinis* cælum *vocata, atque hæc inferior ac terræ propior* RAKIAGH, interpanſio, *ſiue* interfiſſura, *pro qua Latinus interpres noſter plerumque* firmamentum *reddit. Nam quæ res ex ſuperiore cælorum parte profectæ, per firmamenti ſiue expanſionis interiecta ſpatia terris explicantur & eduntur, perpetuarum prælectionum merentur nomen; quibus* EFFICACIS Numinis KABOD, amplitudo, maieſtas, ſufficientia & gloria, *non confusè communiter atque generatim tantùm, ſed etiam ſigillatim ac diſtinctè numeratur ac narratur. hoc ſignificat verbum* ZZAPHAR, *referre, numerare, narrare atque etiam docere, immo & ſcribere, vnde* ZZOPHER *nomen ſcribæ tributum.* Enarrant] MEZZAPERIM, *in præſenti participio continuam inceſſanter ſignificat operam. Namque vt nullum tempus eſt quin vel cælum terris lumen præbeat, vel viciſsim vmbras & noctem inducat, ac ſigna ſideraq́ue ſpectanda edat, ita nulla dies nulláue nox propria & ſibi commiſſa ceſſat aut vacat prælectione & enarratione. atque hæc omnia, & quæ ex horum quoque miniſterio profecta eduntur ad hominum ſenſum, vſum, atque inſtructionem, per firmamenti interiecti ſpatium vel ſpectanda frequentantur, vel etiam terris excipienda dimittuntur.*

Cælorum diuiſio. Cæli. Firmamentum. Gloria.

Et opera manuum eius.] *Non quodlibet opus confusè ac ruditer editum, ſed certæ formæ, figuræ, atque deſtinati vſus, nomen* MAGHASEH *ſignificat: namque opus in genere* POGHAL *dicitur, vt aurum &* argen-

Opera Dei.

argentum atque æs, lapis & lignum, Dei POGHAL *dicuntur; hæc verò vbi in vas vel in numos vel in ſtatuam ſiue ſignum conflata aut informata fuerint*, MAGHASEI IEDEI ADAM opera manuum hominum *vocantur. Hiſpanicè* MAGHASEH *appoſitè* Fechura *nominatur, Latinum vocabulum opus vtriuſuis eſt vſurpationis, vt opus agricolæ,*

Opus. *& Phidiæ vel Praxitelis opus. indicat primùm res ipſa, deinde verbi proprietas, aſtra omnia aſtrorumq; conſtitutionem hoc loco indicari; quæ cùm certis modis formata certiſq; ordinibus diſtincta conſtent*, MAGHASEH,

Pſal. 8. Opus manuum EL, Efficacis, *iure laudantur. S. S. E.* Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum; lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti. *Iam verò huius communis ac publicæ doctrinæ aſſiduitas, cum certo ſemper in ſingulis prælectionibus adnotamento diſtincta atque exornata indicatur.*

3. Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam.

Nullum diem ſine docendi opera præteriri, nullamq; noctem noua & ſingulari obſeruatione vacare ait. Non quòd qui præceſſerit, ſequentem ſe dies doceat; ſed quòd naturæ iſta diſciplina, non tempori, non cælis, verùm hominibus parata communicatur. Namque diſtributionem, quam Dialectici vocant, ſiue inductionem per ſingularia, idiotiſſimus ille, dies diei, nox

Iſai. 28. *nocti, adſtruit. Sic apud Iſaiam,* Et erit verbum domini TSAV LATSAV KAV LAKAV. Præceptum præcepto, linea lineæ. *Itaque vnuſquiſque dierum & vnaquæque noctium ſuas docendis hominibus partes præſtare dicuntur, cùm nonnulla ſingulari cuiuſque adnotatione; qualem ortus & occaſus, atque conſequentium ex his diſtantiarum atque habitudinum, & efficientiarum diuerſitas, adnotandam exhibent.* Dies diei *ſuccedens* eructat verbum] IABIAH AMAR Suggerit dictum, *id eſt, aliquid adiungit cognitu ac dictu dignum. rurſus verò nox vnaquæque peculiare aliquid vltra præcedentem noctem addocet. Quo autem ſermone, quibus verbis, cælorum ac diei noctiſq; doctrina hominibus communicetur (ſiquidem communi aliqua doctoribus atque auditoribus lingua diſciplinæ tradi ſolent) indicant duo ſubiuncti verſus:*

4. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.

Cælorum & naturæ vniuerſæ doctrinæ ratio. *Nullo pacto ac modo meliùs, commodiùs, & certiùs, immo & breuiùs, doctrina tradi ac monſtrari poteſt, quàm rerum ipſarum, de quibus agitur, aperta & manifeſta ſpecie & experientia.*

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Verùm enimuerò cùm rerum omnium, de quibus doctrina inſtituitur, copia

non

non facilè doctoribus ad demonſtrationem ſuppetat, verborum ac ſermonis commoditate ſuppletur. Atqui ſi res ipſæ rerumq́; vires & efficientiæ proponerentur ſpectandæ, nationum linguarumq́; hominibus omnium æquè cognoſci atque teneri poſſent; & quinam cognitionis fructus eſſet, ſingulæ inter ſe conferrent nationes. Atqui cælorum, firmamenti, lucis, & noctis, in hunc certiſſimum & cunctis nationibus aptiſſimum opportuniſſimumq́; modum tradi, repeti, exerceri & communicari doctrinam, Pſaltes indicat: quamquam, inquit, nullæ orationes, nulla illis pronuntientur verba, immo nulla quæ humanas tangat aures, edatur vox; tamen veritas, vis, efficientia, atque experientia illorum, vltrò ſeſe in omnibus terrarum orbis partibus ac regionibus ſpectandam & cognoſcendam defert. Aliorum enim ſpectaculorum copia non niſi è domo egreſſis & in theatrum conuenientibus datur; harum verò, quas commemorauimus, rerum, in quacumque terrarum parte commoratis, atque adeò domi manentibus, contingit.

5. In omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.

Duabus in hoc verſu vocibus explicatis, planus & lucidus micat ſenſus. KAV, *pro quo* ſonus *interpres reddidit noſter,* Lineam, verſum, pauſam regulamq́; *ſignificat. Namque idem vocabulum à diuerſis artificibus rectè in ſuam cuiuſque vſurpatur artem; vt regulæ nomen, quæ architectorum inſtrumentum notiſſimum, ad artium ſermocinalium atque adeò ad morum diſciplinam transfertur; regulæ autem ipſius vis & ius in extrema ſecundùm longitudinem linea conſiſtit. atque hoc primùm adnotandum. Deinde etiam illud, Artium ac diſciplinarum ſumma & communia præcepta verſibus & carminibus tradere, apud priſcos moris fuiſſe; quòd ille modus & ad memoriam, & ad animi diſcentis alacritatem, numeris præcipuè & arte ſeſe commendet: ita quæ maximè diſci & ſciri oporteret, elegantiſſimis committebantur verſibus. Ex quo genere illud eſt,* Audite cæli quæ loquor: audiat terra verba oris mei. Concreſcat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina. *Vtramque autem adnotationem exigere nobis videtur vox* KAV; *cui Latina nomina* regula & verſus *interpretando aptantur. Iam verò ex ipſa quotidiana obſeruatione conſtat, cælos & cæleſtia corpora, atque dies nocteſq́;, etiam certis modis ac diſtinctis vocibus munia ſua ſubire; idq́; ſtatis temporibus & opportunis præſtare horis, quod ab auctore & magiſtro & principe ſuo ſibi probent atque indicent imperatum. quale illud eſt,* Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos; vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. & factum eſt ita. *Quod hoc loco legimus,* factum eſt ita, *id ipſum communis & generalis norma eſt per ſingulas inſtitutiones à cælis & firmamento præſtita: inſtitutiones*

Regula.

Diſciplinæ olim verſibus traditę.

Deut. 32.

Gen. 1.

tiones verò huiuſmodi fuêre; Diuidant diem ac noctem, ſint in ſigna & tempora, & dies & annos, luceant in firmamento cæli, illuminent terram. *Diſtinctæ iſtæ ſingulareſq́ inſtitutiones, tranſlato vocabulo in hoc verſu* MILEI *pluraliter vocantur. Eſt autem* MILAH *ſingulari numero quæcumque humana vox, etiam minima ac ſimpliſsima, modò ſignificatione aliqua pronuntiando non careat; cuius ordinis apud grammaticos aduerbia, coniunctiones, interiectiones & præpoſitiones habentur. Ait itaque Vates, diuina dictata tum communia tum etiam ſingularia, à cælis, die, ac nocte perpetuò teneri, & vſu præſtari, ac repetitionibus aſsiduis omni terrarum orbi reddi ac probari. Hunc eundem verſum diuino ſuggerente ſpiritu doctor gentium Paulus vſurpauit, affirmando Ieſu Chriſti Euangelij notitiam, per totum terrarum orbem Apoſtolorum miniſterio & opera, teſtimoniis ac fama, fuiſſe propagatam, & quod Vates noſter ſcripſerat* KAV lineam *vel* verſum, *ille maioris explicationis cauſa* ſonum *dixit. Et quidem de doctrinâ notitiæ virtutis & auctoritatis Dei efficacis, per cælos ac firmamentum, per dierum ac noctiũ vices traditâ & monſtratâ, ſatis hactenus aſſertũ videri poterat: verùm creſcit & amplificatur nouo nomine rationis eiuſdẽ ſummæ, adiuncta mẽtione magni ac præclari miniſtri, cui præcipuè ac maximè hoc muneris cõſtat cõmiſſum; videlicet vt ſine vlla vel minima ceſſatione aut intermiſsione, diuinæ virtutis gloriam ſeſe exercendo & imperia peragendo denũtiet, commendet, ac prædicet. Namque dies ac noctes ſingulæ quamquam partes peragant proprias, ſemel tantùm officio funguntur ſuo; cæli verò ſtellæ ac luna ſuas agunt, ita tamen vt vel theatri, hoc eſt, terræ, ſpatium non ad eundem ſemper luſtrent & frequentent modum: luna enim nonnumquam occultatur ac per vnum atque alterum interdum diem ſeſe viſendum negat. cælorum quoque pars quæ noctu ſpectatur, rurſus aliquandiu in diei latet lumine, ſecumq́ vnà complures abſcondit ſtellas; atque ita donec inſtaurentur, deſiderium ſui relinquunt illis, in quibus pridem viſebantur, terris. Verùm enimuero luminare maius, cui, propter miniſtrationis præſtantiam & ſingularem ſolertiam, nomen* SEMES *ἀντονομαστικῶς inhæret, hoc præter alia vltra cæteros cæleſtis militiæ miniſtros habet proprium, quòd partes, quas præſtare iuſſus eſt, palàm, perpetuò, per ſingulos diſtributas dies non expleat modò, verùm etiam ſine vlla intermittendi exceptione lumine & ſplendore ſuo conſpiciendas præbeat, atque orbis videndi facultate carentibus calore ſentiendas & cognoſcendas probet: quam prærogatiuam præter lunam, cælos, atque aſtra cætera, ſingularem habet, ac proinde longiore hiſtoriæ deſcriptione & expolitione, munerumq́ partitione amplificatur.*

Rom. 10.

Sol.

Sol cur SEMES dictus.

6. In ſole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo: exultauit vt gigas ad currendam viam.

Taberna-culi vſus.

Tabernaculum *ſuccedendi ac ſeſe recipiendi & aliquamdiu in vmbra occultandi*

occultandi cauſſa parari ſolet: differt hòc tabernaculi vſus à domo; quòd illud amoueri, mutari, & aliò transferri atque erigi poßit, domus fixa & ſtabilis maneat; atque ita hærendi breuitatem vel ipſum tabernaculi ſiue tentorij nomen indicat. Vnde & Apoſtolus, Certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei. *Ab hac autem tranſlatione Dauid, ſolis corporum omnium cæleſtium & mutarum creaturarum illuſtrißimi contexere inchoauit hiſtoriam: cuius breuiter ſumma eſt; illum in media ferè cælorum altitudine ſuam ex Dei inſtituto obtinere regionem, non tamen certa domo ac ſede fixum agere, ſed mutari in ſingulos dies certis interuallis & ſpatiis, hoc eſt, ſingulis ferè magni circuli & annui itineris gradibus, atque ab huius atque alterius hemiſphærij conſpectu, ſeſe viciſsim in ſuum recipere tabernaculum (elegantißima & poëticæ deſcriptionis forma, & quæ Græcorum Latinorumq; Vatum omnium variè excogitatas excellit deſcriptiones) demum ſummo diei mane apparere alacrem, promptum, atque expeditißimum; qualem huius imitator pernicißimus curſor, gloriæ cupidus ac ſtudens & præmij obtinendi certus, ad propoſitum currendi ſeſe accingit, & exhibet certamen, quod totus & integer feliciter magnoq; ſpectantium plauſu conficit. Pulchritudinem autem, ornatum ac decorem expectati per noctem Solis ac primo mane ab ortu prodeuntis, ſponſi (quem nuptiali veſte nitere oportet) è thalamo ſuo in publicum ſeſe exhibentis deſcripſit ſimilem, alacritatem verò & agilitatem, propoſitiq; muneris certam ac deliberatam curam & faceſſendi ſtrenuitatem,* GIBOR, *valentißimi & exercitatißimi ac dexterrimi curſoris expreßit imagine. Namque in ſacra lingua, quiſquis partes ſuas pugnando aut contendendo præſertim ſtrenuißimè agit,* GIBOR *appellatur; atque vocabulum ipſum ad omnia munia & officia accuratè, pulchrè, bene & rectè obeunda & peragenda transfertur: vt apud Latinos poëtas nomen* fortis *& aduerbium* fortiter, *in quibus nihil quod excipias, admittitur. Duplex autem ex ſole vſus terrarum contingit orbi, lucis alter, alter verò caloris, quo infima corpora fouentur omnia; quæ quamuis nonnullis in terræ aut maris partibus remotiora videantur, tamen ſideris huius continuo ac proprio petuntur ac reuiſuntur motu; ita vt nullum latus mundi tam longè diſtet, aut auerſè ſitum ſit, quod ſolis annuo itinere regiones viſentis omnes calore maneat intactum. Duas namque quotannis ſtationes à conditore Sol iuſſus repetit, alteram à Meridie hyemalem nobis dictam, à Septentrione verò alteram, quæ noſtro æſtiua eſt orbi. Quas dum diuerſis & à medio cæli circulo æquè diſtantibus in dies adit ſpatiis, qui gradus vocantur, & luminis & efficacis caloris opportunâ & commodâ proſequitur vſurâ.*

[Margin: 2. Pet. 1. — Solis hiſtoria. — Fortis. Fortiter. — Solis vſus. — Tropici.]

7. A ſummo cælo egreſſio eius; & occurſus eius vſque ad ſummum eius: neque eſt qui ſe abſcondat à calore eius.

Quatuor in cælo præcipua puncta, annuo Solis itinere totidem obſer-

[Margin: Aequinoctia. Solſtitia.]

uanda temporibus, auctor & conditor inſtituit Deus: duo quibus omni terrarum orbi diei ac noctis peragitur tempus, ac pariter æquinoctij nomine inſignibus; duo altera ab illis æqualiter ad dextram læuamq́ ſita, quarum vtramque ſemel in anno tenet ſol, indeq́ ad æquinoctium tendit, priori in eodem circulo obiectum, & à mundi cardinibus duobus, hoc eſt, ab Aquilone & mari ſiue Auſtro æqualiter diſtans: vt hæc duo pariter æquinoctia, ſic illa altera vocantur ſolſtitia; quibus peragrãdis omnibus annuæ temporum vices, hoc eſt, ver, æſtas, autumnus, & hyems, de quibus iam diximus, conſtituuntur & abſoluuntur. Porrò puncta illa in cælo quatuor mundi certas ac præcipuas ſemperq́ in ſeipſis fixas attingunt plagas; ſingula, inquam, ſingulas; æquinoctia duo ad Ortum & Occaſum, ſolſtitia verò ad Boream & Notum conſtituta. duo ſimilia ab Ortu & Occaſu fixa, ac duo altera à lateribus oppoſita, Cananæo vocabulo KETSOTH, *fixiones, extremitates, termini, metæ & conſtitutiones, dicuntur. Sed præterea ſolſtitiorum loca ſiue puncta duo ſingulari nomine* THEKVPHAH *vocantur, quod* ſtatum, ſignatum, & præfixum *ſignificat, atque ita definitum, vt vlteriùs*

Cæli ſummum. *progredi non detur. Aequinoctij igitur alterum punctum* cæli ſummum *interpres Latinus vocat, à quo curſus proprij ſumitur initium; ſolſtitij*

Solis occurſus. *verò puncta duo* occurſum *appellat, quibus peragratis rurſus ad* KETSOTHAM, *id eſt,* ad ſummum eius *ſiue* eorum ſummum *tenditur. Superiori itaque proximo verſu,* Ad currendam viam, *diurnus curſus, hoc autem,* A ſummo cæli, *&c, annuum ſolis indicatur iter: quæ inter agendum,* AIN NIZZTHAR MEHHAMATHO, non *eſt quic-*

Verbi diuini virtus. *quam* ſecretum à calore eius. *id quod ad diuini virtutem verbi ſignificandam quemadmodum quatenusq́ vſurpari contingat, quicumque arcanè ſapiunt probè norunt. Diuinæ itaque naturæ veritatem, auctoritatem, ac prouidentiam, communibus & manifeſtis omni terrarum orbi cælorum atque ſiderum teſtimoniis ac documentis, iiſdemq́ aſſiduis & perpetuis, prædicari & comprobari hactenus à Vate aſſeueratum & decantatum; ita vt*

Rom. 1. *nationum omnium ac linguarum prudentes habiti homines* ſint inexcuſabiles. Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, &

Legis diuinæ præſtãtia. obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. *Verùm enimuerò quamquam hæc ita ſe habeat cognitionis ac doctrinæ ratio, longè tamen beatiorem illorum eſſe Vates defendit conditionem, quibus diuinorum oraculorum ac documentorum contingit diſciplina; vtpote quæ non cælum & ſidera, ſed ipſum cæli ac ſiderum totiusq́ mundi auctorem, conſeruatorem & gubernatorem ſortiti fuerint, tum veri tum etiam honeſti magiſtrum. Namque communis illa è naturis & ingenio cæli profecta doctrina, veritatem quidem & prouidentiam indicat commendatq́ Dei; hæc autem diuina Dei voluntatem & conſilium erga humani ſalutem & felicitatem generis, eiuſq́ petendæ, curandæ & impetrandæ modum, humaniq́ officij ac diuini cultus certam & efficacem formam tradit, vltra illa quæ cælorum opera cognoſci*

poſſunt.

poſſunt: cùm homines aliàs ex opinione & priuata vniuſcuiuſque magiſtrorum ſententia, tantùm obtinuerint vario & multiplici errorum ſenſu impeditam diſciplinam ſola verò diuina doctrina, purè, ſincerè, & vtiliter ſuos erudiat & inſtruat diſcipulos.

8. Lex Domini immaculata, conuertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.

9. Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

10. Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi: iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa.

Lex Domini immaculata] THORAH *nomen doctrinam & inſtitutionem in genere ſignificat, cuius auctoritatem ex adiuncto cognoſcere licet. Præter, immo ſuper omnes omnium doctrinas mortalium, diuinam doctrinam, quam Latinus interpres legem plerumque nominat, auctoritate, copia, integritate, & abſoluta perfectione, atque etiam efficacitate & vſu, excellere & præſtare teſtatur Vates. Namque in ſingulis atque adeò in cunctis aliis, quàm plurima quæ excipiantur, non pauciora quæ in dubium vocentur, permulta quæ requirantur, notare & animaduertere eſt, quotidieq́; animaduertitur, non à legentibus ſolùm, ſed ab ipſis profeſſoribus & inuentoribus identidem ſua corrigentibus ac recantantibus & recognoſcentibus, atque (vt prætexitur) augentibus dogmata & ſcripta.* Domini *autem* THORAH *doctrinam legemq́;* THEMIMAH, *integram, ſolidam, ſeriam, omniq́; ex parte cunctiſq́; nominibus abſolutam à prima editione conſtare ait: eandemq́; veri atque honeſti ſtudioſis & auidis animis non modò ſatisfacere præceptis atque inſtitutis, quibus tota abundat, ſed ſatis etiam dare, vtpote quæ promiſſa etiam colentibus à Deo contineat ac declaret ſui legitimi cultus præmia, & ſtipendia humanam felicitatem ſpectantia. hoc ſignificatur illo ſchemate,* Conuertens animas, *id eſt, verè ſatians atque explens: vſurpatur enim ſchema hoc cùm ardentiſſima ſitis dulcis aquæ potu reſtinguitur, aut fames opportuno leuatur cibo. Cur verò talem tantámque vim & efficaciam huic vni præter cæteras doctrinas tribuat, partitionis arte vſus deinceps eueſtigio edit. Diuiditur autem doctrina illa ſacra, quam communi verbo legem vocamus, in* GHEDOTH, PEKVDIM, MITSVOTH, IARAH, MISPATIM, *pro quibus Latinus noſter interpres reddit*, teſtimonia, iuſtitiæ, præcepta, timor, iudicia. *de quibus aliàs plura & exactiùs, nunc breuiter ita diſſerimus.* Teſtimonia *vocamus, quæ ad hiſtoriam & promiſſa referuntur, fidémque ab auditore exigunt, vt mundum à Deo creatum primùm, deinde hominum culpa terras fuiſſe diluuio obrutas, reſtitutum genus humanum ex Noahhi ſanguine & familia, diuiſas in Babylonienſi tumultu ac turba nationes, de-*

THORAH ſiue Lex.

Animas conuertere quid?

Legis diuinæ partitio.

Teſtimonia.

lectum ex gentibus Abramum, cui diuina promiſſa iam apertiùs denuntiarentur, atque ipſorum promiſſionum argumenta & momenta, complurá-que horum generum alia. Quæ adeò purè, clarè, & apertè in ſacra doctrina traduntur; vt cætera omnia, quæ à Philoſophis diſputata fuerunt de rerum principiis, de mundi vel æternitate vel creatione & natura vel repentina & vltronea generatione, & quæ ab hiſtoricis de hominum antiquitate & gentium originibus atque tranſmigrationibus aliiſq; euentibus tradita ſunt; partim vana & falſa, partim conficta, permulta ſecum pugnantia, quædam ex coniecturis, non pauca ex priuata re ad communem rationem tranſlata: denique omnia ita turbata, vt cùm longum ad ſui cognitionem tempus, magnum indefeſſumq; laborem, & attentiſſimum cognoſcentis exigant animum, tamen in opinionem plerumque, nonnumquam in veri conſtituendi deſperationem, demum protrudant. Cùm contrà diuina teſtimonia ſingula, tot primùm ſtabilita & confirmata ſignis, portentis, & miraculis, non opinionem auditoribus, verùm ipſam veritatem, atque adeò meram ſapientiam rudioribus etiam præſtent & inſinuent: nam hæc veritatis vis & efficientia eſt, vt ipſa ſeſe vltro commendet, attendentiſq; inſtruat mentem, & perpetuam ſui recordationem inuariata conſeruet imagine.

Philoſophica gentium doctrina.

Teſtimonium Domini fidele] NEEMAN, verum, certum, incorruptum, *ſibiq; perpetuò conſtans.* Sapientiam præſtans paruulis] PETHI, rudi, indocto, *inexercitato antea & minoris etiam ingenij, non opinionem ſed ſapientiam affert. Secundum in hac partitione vocabulum* PEKVDIM, *pro quo interpres noſter nonnumquam* mandata, *hoc loco* iuſtitiæ *reddit, munerum officiorúmque rationes & commendationes atque inſtituta ſignificat, & partes tradit; quas legatum, quas ſacerdotem, quas iudicem, quas prophetam, quas è magiſtratu quemlibet, quas in bellum miſſum ducem, denique miniſtrorum quemlibet ſeruare ac peragere oporteat. eas verò in ſumma cõmunem ac publicam ſpectare & commẽdare vtilitatem, & priuati commodi curã diſſuadere ac damnare manifeſtum eſt: quo quid rectius, iuſtius & pulchrius?* Iuſtitiæ *ſiue commendationes* Domini rectæ] *Rectum & curuum, iuris & iniuriæ, tyrannidis & regiminis, oppoſitam definitionem ex tranſlatione ſignificant. Rectitudo autem pulchritudine ſua cognoſcentium afficit ac delectat animos, id quod in bene conſtitutis reipublicæ partibus figuriſq; experimur; quarum æterna, vt Socrates aiebat, permanet pulchritudo. hoc eſt,* lætificantes cor. *Mirabilem namque delectationem animorum reipublicæ benè conſtitutæ & ſuis ordinibus rectè diſtinctæ atque exercitæ facies contemplantibus affert. S. S. E.* Videns autem Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, veſteſque eorum, & pincernas, & holocauſta quæ offerebat in domo Domini: non habebat vltrà ſpiritum. dixitque ad Regem: Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia

Mandata, ſiue Iuſtitiæ.

Rectum & curuum.

Rectè conſtitutæ reipub. pulchritudo. 3.Reg.10.

tua:

tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probaui quòd media pars mihi nuntiata non fuerit: maior eſt ſapientia & opera tua, quàm rumor quem audiui. Beati viri, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſraël, eò quòd dilexerit Dominus Iſraël in ſempiternum, & conſtituit te Regem, vt faceres iudicium & iuſtitiam. *Tertium nomen ſingulariter* MITSVEH, MITSVOTH *multitudinis numero, priuatum vniuſcuiuſque reſpicit officium, honeſtoſq́ ſingulorum ſiue ſecum agentium, ſiue cum aliis commorantium ſignificat & complectitur mores. Nam cùm de priuatis hominum virtutibus atque vitiis alij aliter definierint, & vnuſquiſque ferè ex libidine aut vtilitate propria de iſtis ſenſuerit, atque adeò naturalis iuris ac legis nomen propriæ ſententiæ ſtuduerit dare: ſola diuina lex turpe ab honeſto diſcernens, illud vetare, hoc præcipere, ſumma cum veritate atque integritate potuit, & certiſſimis expreſſit ac diſtinxit nominibus: quorum æquitas & bonitas ex ſe ipſa lucens, quid deceat, quid non deceat, ſententiarum atque opinionum diuerſarum pulſis tenebris, maniféſtè commonſtrat.* Præceptum. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos] *Quidquid ſua ſponte clarum, purum, terſumq́ apparet,* BARAH *dicitur in ſacra lingua; à qua voce* Purus *Latinis in vſum venit, interpres noſter* lucidum, *id eſt, ex ſeipſo lucens reddidit, ac ſummam ſingulorum Dei præceptorum pulchritudinem intellexit, vtpote à diuina profectorum ſapientia, atque omnis exceptionis expertium; quorum illa etiam vis & efficacia eſt, vt nulla adhibita diſputatione aut diſſertatione veritatem bonitatemq́ ſuam audientibus ita probet, vt iuris & æquitatis prima & communiſſima principia oculis ipſis, id eſt, mentibus aperiat. namque oculorum ſenſus ad cognitionem & ſcientiam præſtantiſſimus habetur, à quibus translatio ad animi ſumitur inſtructionem. Sunt igitur puriſſima ac lucidiſſima decem diuina præcepta, totidem recti atque honeſti, iuſti & æqui, limpidiſſimi fontes; qui vel in mediis tenebris variæq́ doctrinæ erroribus lucent, & haurientum animos illuminant. Inter cætera verò diuinæ legis purè cognitæ & curatæ effecta, religionis quidam ſenſus intimus ſtudentium mentibus innaſcitur, in omnem vitæ & actionum partem vtiliſſimus, atque ad humana omnia tum commoda excipienda, tum verò incommoda perferenda & ſuperanda apprimè opportunus; qui ſenſus* IERATH IEHVEH, *apud nos* timor Domini *dicitur: quo quiſquis imbutus legitimè fuerit, omnia omnino vitæ negotia purè ac liberè, hoc eſt, citra diuinam vel humanam offenſionem ſubit; atque ideò aptiſſimum huic virtuti epitheton eſt* TEHORAH, *mundum, purum ac terſum, teres omni ex parte: itaque purus, teres, terſus, ſuiq́ ſimilis ac ſibi prorſus conſtans timor hic, quamlibet tentatus, inuenitur. Quòd verò hoc inter cætera legis proprium in amatorum & contemplantiũ animis munus & effectum ſit, vel ex illo docemur;* Poſtquam ſederit *rex* in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi

Margin notes: Præceptũ. — Purus. — Decalogi præceptorum lux & puritas. — Legis effecta. — Timor Domini. — Deut. 17.

ſibi Deuteronomium legis huius, & habebit ſecum, legetque illud cunctis diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum. *Atqui initium ſapientiæ, & diſciplina ſapientiæ, & corona ſapientiæ, eſt timor* Eccleſ. 15. *Domini.* Qui timet Deum, faciet bona: & qui continens eſt iuſtitiæ, apprehendet illam. *Pro* TEHORAH *in vulgata verſione* ſan-Sanctitas abſoluta. ctus *legimus, quippe timor hic cultorum animis ſanctitatem inſinuat, non tam abſolutam & efficacem quàm* perfecta charitas *quæ* foras mittit ti- 1. Iohan. 4. morem, *ſed qualem quantamq; tempus illud quod ſub lege peragitur, poteſt admittere, qualemq; antiquorum patrum complures Deo probauere. Verùm enimuerò Dei charitas, quæ in fidelium cordibus per ſpiritum ſanctum ipſis datum diffunditur, id cumprimis præſtat quod primo legis exigitur præcepto:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis; *& ex conſequenti illud quoque,* Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. 1. Cor 13. *Hæc enim vel Iohanne teſte* perfecta charitas *dicitur.* Cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. *Itaque ad* Timor Domini ad caritatem via. *amorem ſiue charitatem Dei perfectam, Spiritus ſancti beneficio ac munere obtinendam, timor Domini viam præparat ac munit, eò vſque tenendam quoad illuc deuentum fuerit. id quod ſignificantiſsimis vocibus arcanè tamen auctor hic indicat.* Permanens in ſæculum ſæculi] *genuina atque exemplaris lectio eſt* GHOMEDETH LAGHAD, ſtans adusque. *ſtare dixit propter firmitudinem & perſeuerantiam, cuius perſeuerantiæ & patientiæ finem cùm non indicauerit, cogitandum & expectandum reliquit* aduſque: ſæculorum finem *intelligimus. Lex igitur timorem ac religionem, Christi gratia amorem charitatemq; efficit. Hinc verò ad aliud nomen aliamq; diuinæ legis partem celebrandam carmen* Iudicia. *pergit, hoc eſt,* iudiciorum, *quæ* MISPATIM *dicta, eam vitæ atque humanarum actionum partem inſtruunt, quibus communis inter ſe hominum ſocietas colitur, & coniunctio iuuatur & conſeruatur; cuius generis ſunt ciuilia omnia iura, vel à ſingulis mutuò præſtanda, vel niſi præſtita fuerint, à magiſtratibus ac iudicibus vindicanda & corrigenda. atque huius generis præcepta, decreta, edicta, iuſta omnia, quæcumque ex argumento ſint, æquitatis ac iuſtitiæ lumen ſecum ferre dicuntur adeò clarum, vt qui non videat, non agnoſcat, & palàm fateatur, in meridie cæcutire manifeſtè deprehendatur. Atque hæc ſumma partis huius laus & ſignificantiſsima prædicatio eſt, nempe æquitatem & iuſtitiam cum magno & iucundiſsimo vitæ vſu continentis, atque perpetuam & inoffenſam inter mortales conſerentis & promouentis atque tueri valentis pacem.* Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa] *ſiue illa per ſingulas examinentur formas,* iuſtificata in ſemetipſa, *nulliſq; indigentia rationum vel argumentationum comprobationibus: quorum exemplum,* dentem pro dente, oculum pro oculo, liuorem pro liuore. filius non punietur pro patre, nec pro filio pater. *ſiue in genere exiſtimentur, vt illa,* Quod tibi non

bi non vis, alteri ne facito, pondus iuſtum & menſura iuſta tibi ſemper fuerint. *Quod elegantiam & pulchritudinem commendat, hactenus dictum; quod verò vtilitatem prædicat, ſequenti explicatur verſu:*

11. Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum: & dulciora ſuper mel & fauum.

Aurum & gemmæ, vltra pulchritudinem, quam præferunt innatam & genuinam, illud etiam ſuper argentum & æra commodi ſibi prærogant, vt minore mole quàm cætera plus multo contineant æſtimationis ac pretij, & commodiùs ad peregrinationem vſurpentur, atque æſtimationẽ tueantur ſui vbicumque cognoſcuntur: quamobrem vehementiùs appetuntur & optantur. Quòd ſi tantum valent in parua mole, quantùmnam cupidum & diteſcere properantem maiori in maſſa, atque pondere afficient? Pro quo Latinè legimus & lapidem pretioſum multum, *in exemplari lingua eſt* VMIPAZ RAB. *Auri triplex nomen inditum, nobilitatis adnotat & indicat diſcrimen. communi ac vulgatiori metalli huius materiæ, & in numorum ac monetæ cudendæ vſum comparatæ,* ZAHAB *nomen eſt; eidem verò vel ex venæ puritate & elegantia, vel ex fuſoris arte & opera, nitentiori & probatiori redditæ,* PAZ *vocabulum tribuitur; quale apud Romanos aurum purum putũ vocatur. Atque hoc nomẽ neutri generis, articulo τὸ addito, ſermo græcus* ΤΟΠΑΖ *pronuntiauit; vnde Latinis* Topazium *ſeu* Topazius *dictus; nonnullis lapidis aut gemmæ nomen exiſtimantibus, illiq́; Cryſtallo accommodantibus, quod fuluo ac rutilo colore aurum æmulatur vel optimum. Tertium porrò nomen eſt* CHETHAM, *quod vulgo granum auri ſiue granum aureum vocatur, idq́; ſignificat aurum; quod tametſi nec igne nec vlla arte adiutum, ſua ſponte nitorem fuluoremq́; præbet ſupremum, & ſeorſum, id eſt, nulli alij metallo, nulli ſaxo, nulli terræ aut arenæ commixtum fæci reperitur. id quod rarò admodum in grandiori mole contingit, neque aliunde quàm ex* OPHIR *afferri, naturæ rationem & hiſtoriam in ſacra lectione contemplatus obſeruatur. quippe cuius mentioni, patriæ etiam nomen perpetuò adſcribatur* CHETHEM OPHIR. *Atque, vti putamus, quidquid generis huius cuiquam contingeret pretioſiſſimi theſauri atque ſummæ elegantiæ prærogatiua, ita vt natura conſtabat, pro monili vel ſummo ornamento, nec fuſum nec in aliam elaboratum vel exſculptum figuram, aut vllo mutatum pacto, ſeruari & cuſtodiri, aut appenſum geſtari moris fuit. Ex his igitur tribus nominibus, prima duo quibus diuina lex comparata præferretur à Pſalte, in hoc ſunt commemorata carmine:* Deſiderabilia præ auro & præ PAZ multo. *Cur autem tertium illud ſublime & immutabile genus ad comparationem non fuerit allegatum, ſacram & arcanam fuiſſe ſubolemus rationem; quòd illa natura ad potiorem & abſtruſiorem auguſtioremq́; perfectæ ſapientiæ præſtantiam comparatione ſui commendandam excipiatur ac reſeruetur.*

Gemmarũ & auri præſtantia.

Auri nobilitas & nomina.

Aurum purũ putum. τοπάζ. Topazium

Aurum Ophir.

Lex diuina cui auro comparata.

Euangelij præſtantia.

id quod & à nobiliſſimo inter gentes auctore inſinuatum intelligere licet.
Iob 28. *Namque vbi in veteri editione apud Iobum legimus:* Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi ſardonycho pretioſiſſimo, vel ſapphiro. *Ex exemplari ad verbum eſt,* non conferetur illi GHETHEM OPHIR nec SOHHAM pretioſus, aut SAPPHIR. *Huic autem ſapientiæ quæ ſolum Deum laudat & agnoſcit auctorem ac donatorem vnicum luminum Patrem, ſcriptæ legis dignitas non comparatur; vtpote cui hominum ad perfectum adducendorum vis & facultas non fuerit conceſſa, illa tamen propria quædam adſcribitur ac probatur; cumprimis bonorum & malorum diſtincta cognitio, planè atque exactè tractata ac tradita, quæ vel ipſa dictionis ope attendentium animos allicit, iuuat, ac delectat:* Dulciora ſuper mel & fauum.
Lex ſeruos Dei generat. *Illud præterea diuina illa ſcripta lex præſtat, vt obſeruatorem cultoremq́ue ſui, quem fides primùm inſtruxerit, famulum Dei eundemq́ue gratum ſeruum nominatum præſtet, atque bona ſpe magni demum & feliciſſimi augeat euentus: etenim ſerui Dei titulo lex ipſa Moſen ornat, atque eos omnes, qui ſuper hæc pauca ſeſe præbuerint fideles, cognomento decorat ſimili; atque conſcientiæ ſecuritate viuere quietos, nullius externæ vltionis metuentes, facit.*
Rom. 10. *S. S. E.* Iuſtitiam, quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, viuet in ea. *Vltra hoc etiam, magnum ad vitæ iucunditatem pondus ac momentum adferunt fides & expectatio ſalutis æternæ per Chriſtum,*
Lex pædagogus ad Chriſtum. *ad quem lex pædagogi munere functa, ſui cultores legitimos manuductos inſtruit ac dirigit. Nam hunc legis vnicum, verum atque certum finem diuina diſciplina tradit & affirmat.*
Iohan. 5. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam habere: & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me. *Hac breui commentatione, quid Pſaltes ſubiuncto dicat verſu, facilè indicatur.*

12. Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea; in cuſtodiendis illis retributio multa.

In ſacræ linguæ exemplari carmine, præterquam quòd tota oratio ſine media coniunctione connectitur, duo etiam ſunt verba, quæ definitionem ſiue explicationem latinis non inuidendam poſtulant: BAHHAR, *quod deligere, diligere, atque optare & expetere ſignificat, id eſt, delectu rerum iudicioſè habito vnum quippiam exoptare, id quod in vnoquoque propoſito cumprimis opportunum ducitur.*
Legis finis & ſucceſſus *In legis igitur cognitione, ſtudio, & obſeruatione, illud quod legis finis propriè eſt, Dei ſeruus intelligens optat potiſſimum, nempe vitam felicitatemq́ue æternam, quam ſeſe purè colentibus à Deo per Chriſtum impetrandam proponit ac docet. fideliter itaque ac purè cultæ legis non effectus ſed ſucceſſus vita æterna appellatur.*

In cuſtodiendis illis retributio multa] *Dum, inquit, ſeruus tuus legi operam dat obſeruandæ, illud quoque intelligens optat, ſibiq́ue proponit, optimum demum fore illius legitimæ obſeruationis euentum. Nam quod*

Latinis dicitur ſucceſſus, idem vocabulo GHEKEB *in ſacra ſignificatur lingua, vocabulo inquam à poſtrema humani pedis parte tranſlato, calcaneo videlicet, quod ita alibi interpres noſter vſurpauit:* Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei [*ſucceſſus mei*] circumdabit me. *Pſalm. 48.* *Hactenus itaque valere, prodeſſe, & efficere ſcripta lex dicitur, vt animum veris imbuat ac inſtruat præceptis, & inſtitutis vitæ ac pietatis eadem delectet ac iuuet, & ab externorum peccatorum noxa & crimine ac iudicio tueatur; præterea etiam ſalutis æternæ boniq; euentus non dono ac munere augeat, ſed ſpe & expectatione conſoletur & recreet; quæ quidem omnia nulli alij ſub cælo excogitatæ, inuentæ, traditæue doctrinæ iure adſcribi tribuiue poſſunt. demum illa fidelem & ſeſe fideliter ac ſtudioſè colentem ſeruum Dei cognominandum decernit. Verumtamen virum perfectum, vndiquaque integrum, intus ac foris purum, in quo nihil, quod excipiatur diuina reperiat cenſura, talem, inquam, neminem præſtare potuit. Namque,*

Legis vis.

Legis impotentia.

13. Delicta qui intelligit? ab occultis meis munda me:
14. & ab alienis parce ſeruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: & emundabor à delicto maximo.

Legis præcepta omnia & pura & ſancta, ſcitu cognituq; digniſſima, eademq; iucundiſſima & piis omnibus ſuſcipienda atque præſtanda confeſſus prædicauerat, præterea eadem cuſtodientibus cultoribusq; ſuis magnum operæ pretium afferre aſſeuerauerat, vtpote quæ dum ſtudioſè obſeruantur, iuuent & afficiant; ipſisq; obſeruatoribus iocunditatem, aliis etiam vtilitatem, demumq; optimi ſucceſſus fidem & expectationem pariant. Denique id præſtare dicuntur vt cultorem ſui, fidelis, innocentis, & probi ſerui nomine & laude ornent, perfecti tamen viri ac filij heredisq; Dei titulo & iure amplificare non valent, quandiu ſerui etiam boni appellationem retinent. Seruus *enim* non manet in domo in æternum. Sed quid dicit Scriptura? Eiice ancillam, & filium eius: non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ. *Iohan. 8.* *Gal. 4.* *Namque homo quandiu ſub lege viuit, ſeruitutis agitur ſpiritu, ſemperq; in metu eſt offenſionis, atque conſequentis maledicti ac damnationis.* Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in Libro legis, vt faciat ea. *Gal. 3.* *Et quidem peccata & ſcelera, quæ vel admiſſione vel omiſſione ſuſcipiuntur, ipſa ſeſe ſuamq; turpitudinem produnt, atque conſcientiæ iudicio, & legis accuſatione notantur;* Non furaberis, Non mœchaberis, Non occides; *atque alia omnia, quæcumque vocantur vetita: præter vnum illud,* Non concupiſces; *cui quamquam materia adnotata fuit, circa quam concupiſcentia verſatur,* vxorem, domum, agrum, ancillam, bouem, aſinum proximi tui: *tamen adeò latè patet concupiſcentiæ campus, vt humanæ prudentiæ acie*

Concupiſcentiæ vetitum.

pertingi oculisq́ luſtrari non poſsit, quin multis adeò angulis, & interdum altioribus, nonnumquam depreſsioribus & ſalebroſis locis, & variis fallat partibus; id quod ad materiam ipſam appetitionis attinet. Quod verò ad appetitionem ſiue appetitum ipſum facit, bone Deus, quàm varia & multiplici, quàm perplexa exiſtimatione humanus verſatur animus; quem variis quoque formis & multiplici habitu appetitus adoriri ſoleat cupidinis, inuidentiæ, iræ, ambitionis, ementitæ honeſtatis, ſuperſtitionis, adumbratæ ſanctitudinis, ſimultatis, ſimulationis ac diſsimulationis, amoris, amicitiæ, contentionis, inimicitiæ, ſtudij, gratiæ, falſæ miſericordiæ; & innumeris aliis nominibus; quibus in angelum lucis transfiguratus iſte Satan appetitus improbitatem ac deformitatem velare atque inſinuare nouit. Iam verò vt ad tria præcepta ſermonem vertamus; quotuſquiſque ſub legis iugo illud planè, plenè abundeq́ præſtare & creditori Deo reddere poterit; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex omnibus viribus tuis? *Quis illud purè, ſincerè & planè, piè integreq́, in ſpiritu & veritate ſeruare;* Memento vt diem Sabbathi ſanctifices? *Quis illud porrò dignè prorſus exacteq́ perſoluit;* Honora patrem tuum & matrem tuam? *Nemo profectò adeò prudens, adeò circumſpectus, adeò fortis, diligens, ac ſui ipſius contemptor, & negligens homo fuit, qui totus & integer, quam legi quondam cognoſcendæ mentem, quamq́ obſeruandæ dare deberet operam, ſine vlla integritatis animi exceptione Dei ſeuero probaret iudicio; quin potiùs ſeſe multis in partibus vel animi impetu erraſſe, vel concupiſcentiæ vi impulſum offendiſſe fateretur. Iſta igitur, quæ minuta aut leuia, aut ſcrupuloſa nimium, aut aliàs ex conſuetudinis prauæ vſu minùs animaduerſa, tamen quòd à diuini iudicij puritate & ſeueritate improbentur ac damnentur, quodq́ impedimento ſint quò minùs filij Dei homines dici verè poſsint, horrens atque metuens Dauid, nec ſibi planè adamuſsim æſtimata aut prouiſa conſtare cuncta, nec, ſi maximè conſtarent, poſſe tamen vel præcaueri ne admitterentur, vel admiſſa prorſus expiari ac tolli; cùm id efficere, ſolius Dei per Chriſtum in lege & prophetis promiſſum virtutis & efficientiæ ſit. S.S.E.* Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: ſeruus autem non manet in domo in æternum. Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis. *Talem igitur libertatē, vt multis aliis in locis & carminibus, interdū arcano, interdū etiā ſimplici & aperto ſermone, hoc ipſo in carmine velut totius inſtituti operis cauſſam ſibi exoptatam & expetitam poſcit Vates; id verò quemadmodum fieri contingereq́ poſſe intelligat, in ipſa indicat petitione. Trium autem verborum propriam atque huic argumento aptam ſignificationem aperire expedierit; namque illis totius rei ac ſententiæ ratio ac ſumma continetur;* Delicta, occulta, aliena, *vt noſtra vulgata editio habet. Corpus quod appellatur peccati, triceps quidem bellua eſt, cum qua humanus animus dum legis iugo addictus eſt, identidem confligatur. vnum autem caput concupiſcentia carnis, vnum etiam oculorum concupiſcentia,*

Appetitus pugna & artes.

Nemo facit legem ex illis qui ſub lege.

Iohan. 8.

Delicta.

Corpus peccati triceps.

1. *Iohan.* 2.

tertium

tertium ſuperbia vitæ dicitur. Duo illa, primum & ſecundum, compluribus horrent crinibus, iiſdemque ſpinoſis ac peſtiferis, quales à poëtis furiarum colubri non ſine magna veri ſignificatione conficti ſunt. Tertium verò caput ſuas etiam criſtas habet, ſed ſpendidiores quàm duo illa, vtpote quæ nobilitatis, nitoris atque decoris laudabilia nomina ſumunt & vſurpant. quamquam reuera nihil melius quàm tyrannis, vis, inſolentia, temeritas, audacia, impietas, crudelitas, arrogantia, & huiuſmodi aliæ humanæ vitæ & conſuetudinis venenatæ peſtes, vocari & indigetari debeāt. In cōcupiſcentiarum autem capitibus & criſtis non pauca inſunt vitia; quæ, vel quià non perinde vt alia eminent, vel quia non æquè noxia deprehenduntur, vel ſubitò ac repentè exoriuntur & pullulant, minùs vel exteriùs animaduerti poſſunt, vel animo ipſi, cui officiunt, ſentiuntur minùs: ea verò vel ex incuria vel ex repentino motu & affectu oriuntur: atque omnia hæc legitimo vocabulo SEGIOTH *dictitantur; quorum expiandorum arcana ratio compluribus in legis doctrina traditur ac ſignificatur ſacris ceremonijs ac ritibus, ijſdémque aſſiduè & crebriùs repetendis, numquam tamen prorſus expiatum ac perfectum ſacrificantis animum præſtare ac ſiſtere & ſeruare valentibus, propter Adamidicæ carnis infirmitatem & maledictionem, ſpinas atque tribulos identidem germinantis. Hæc verò & propter multitudinem & propter inæqualem denſitatem non ſolùm non prorſus euelli atque auferri, ſed nec planè prorſus prænoſci ac prouideri poſſe Dauid ait:* SEGIOTH, Delicta, *ſiue errores malos,* quis intelligit? IABIN, *cognitionem prudentia & prouidentia inſtructam ſignificat, ex verbi etymologia. Sapienti corde vocabulum erit* NABON, *id eſt, prudens, cordatus & circumſpectus, ait Salomon. Quis igitur errores ac delicta ſic intelligit, quin quàm plurimis occultis & cæcis cogitationum vitijs fallatur & à recto deuiet? id cùm lex efficere non valeat, vnum reliquum eſt ad miſericordiam, virtutem, & efficacitatem Dei perfugium, vnica prouocatio.* Ab occultis meis munda me] *Non poſcit ſingillatim expiari, non repetita culparum venia foueri ac leuari vel recreari, ſed omnino purgari ac liberari, ſimili voti ſenſu ac ſignificatione cum illo;* Aſperges me hyſſopo, & mundabor; lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. *Namque humanum cor ita reformari & habere, ſolius Dei miſericordiæ atque Chriſti Dei efficientiæ eſt. atque ita duobus peccati capitibus penitus reſciſſis, ac ſublatis liberari ſe poſcit. Tertio verò (quod non ita occultè nocet, ſed honeſta aut laudabili aliàs fallit ſpecie, nec tam interius imprudentibus extat, quàm vel exterius eminet, vel obrepit ac ſeſe primum inſinuat, mox dominatur, vel vltro adſciſcitur) non ſolùm liberari, ſed prorſus auerti, occultari, ac protegi ſeſe poſtulat, ne videlicet ſemel admiſſum dominetur & imperet animo. Atqui caput hoc vnà cum omnibus ambitionis vitijs* ZADIM *Vates vocat, interpres noſter ex affinis valde vocis* ZARIM *ſono ac literatura* Alienis *reddit. Namque concupiſcentiæ vitia & errores in ipſo enaſcuntur corrupto animo, am-*

Furiarum apud poëtas ſignificatio.

Ambitio.

Ignorantiæ.

Prou 16.

Pſal. 50.

Superbia &ambitio.

 bitionis

bitionis verò & ſuperbiæ malum ex allata aliunde opinione admittitur. id
Hominis lapſus. *quod ex primo humanæ ruinæ atque labis exemplo dignoſci in promptu eſt; in quo opinio,* Eritis ſicut Dij, *ex monentis ac tentantis doctrina ac per-*
Gen. 3. *ſuaſione irrepſit, concupiſcentiæ verò deprauatio intra proprium ebulliuit ſenſum, atque ita mentem imbuit humanam.* Vidit mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit; deditque viro ſuo, qui comedit: & aperti ſunt oculi amborum. *Igitur carnis & oculorum concupiſcentiam, quæ intra proprium vniuſcuiuſque ſenſum latitantes repente erumpere atque in varios affectus diffundi, vitæq́ actiones inquinare ſo-*
Occulta. *lent,* occulta *Vates appellat, eamq́ funditus exhauriri, ſiccari, abſtergiq́ poſcit. Superbiæ verò vitæ, id eſt, arrogantiæ, ambitionis, atque dominationis & honorum libidini ſubduci ſeſe cupit atque optat; vt is qui in obſcuro latet, eorum diligentiam & inſidias fallit, à quibus palàm in media quæritur via. vtitur autem elegante rerum ac verborum antitheſi:* occultis *enim opponit* NEKANI munda, expurga & abſterge me. *Ita vt nihil in me interiùs poſſit perleue morari; nihil etiam obſcurum, ſordidum, aut aſperum vel ambiguum retineam: ab externis verò, id eſt, ab inſolentia, ſuperbia, arrogantia, ambitione, cæteriſq́ terrenæ & falſæ gloriæ comitibus & ſatellitibus me obſcurum & imperuium pone, vt numquam prorſus offendar. huiuſmodi ſubtractionem & exceptionem Latini Vates*
Fallere. *verbo* fallere *ſignificant, vt*

Nec vixit malè, qui natus morienſque fefellit.

Illuſtris. *Vt autem Latini, quos genere aut muneribus nobiles indicare volunt, illuſtres vel claros dictitant; ſic rurſus ignobilibus ortos maioribus, nec domi*
Obſcurus. *vel militiæ magiſtratibus functos homines, obſcuros vocare conſueuere. Talem ſe ſuperbis & arrogantibus opinionibus præberi ac præſtari vouet Vates: atque ita à peccati corpore liberatum coram Deo ſiſti optat, legis iam deinceps maledicto & exactione immunem futurum; atque ita diuinæ virtutis ope integrum & perfectum, vt non ſolùm factis, verùm dictis etiam & cogitatis, ſe Deo gratum probatumq́ euaſurum geſtiat, atque in tanti beneficij ſpem totius huius carminis rationem & cauſſam à ſe inſtitutam declaret;* Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus
Patrum veterum votum. ero: & emundabor à delicto maximo. *Piis illis omnibus, quos diuinis elogiis probatos ante Ieſu Chriſti aduentum vixiſſe nouimus, hæc vna ac præcipua votorum ſumma fuit; ſeſe diuina virtute à veteris Adami impuritate & circumſtante ſe peccato liberatos, in nouam creaturam experiri mutatos. id verò quemadmodum fieri poſſet, non exactè intelligebatur, faciendum tamen aliquando fore credebatur & expectabatur, vtpote promiſſum; quare & præſtandum. Huius autem argumenti, fidei atque*
Pſal. 118. *ſpei & illud eſt,* Viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miſerere mei. Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.
Pſal. 50. *Et complura huius generis per enthuſiaſmon præcantata;* Auditui meo dabis

bis gaudium & lætitiam, (*per euangelium videlicet*) & exultabunt oſſa humiliata. Tunc immaculatus ero] AZ AITHAM, perficiar, & conſummabor. *Namque huiuſmodi abſolutam ſibi ex Dei beneficio præſtolatur puritatem*, à delicto maximo] PESAGH *diuerſum nomen à* SEGIAOTH, *pro quo ſimiliter interpres noſter* delicta *reddiderat. Eſt autem* PESAG maximum, *prauitas illa, quam mortis corpus Paulus nominat*, Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? Corpus peccati. *Rom.* 7.

15. Et erunt vt complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Domine adiutor meus, & redemptor meus.

Totius Pſalmi clauſula ac peroratio hoc expeditur verſu; quo Vates dicta cogitataq́ ſua Deo probari exoptat & vouet, cùm vtraque ex animi integritate & incenſo ſtudio profecta ſignificat; neque quicquam toto in carmine dictum, quod à mentis diſcrepet motu ac ſenſu, qui præcipuè à Deo examinatur. Dicta autem omnia tribus nominibus ex fide pronuntiatis in vnam coguntur ſummam: quorum primum, breuis fuit commemoratio auctoritatis & magnificentiæ Dei communis omnibus populis & nationibus ad cognoſcendum, videlicet erga creationem primùm, deinde erga gubernationem perpetuam cæli ac mundi; Secundum verò, beneficij amplioris & auguſtioris orbi dati in diuinæ legis promulgatione; tertium autem & planè diuinum, liberationis ac ſalutis animorum publicè per Chriſtum præſtandæ, cum optionis atque expetitionis propriæ ſenſu: quem etiam gratum, probatum, ac ratum, felicem fauſtumq́ demum ſibi poſcit, duobus interpoſitis & appellatis cognomentis; altero, quo ſui ipſius, altero, quo Dei virtutis & efficacitatis ſignificantur partes. Dei in homines beneficia. & erunt vt complaceant] *optatiua & votiua oratio eſt, quæ in ſacra lingua futuro verbo exprimitur* IIHIV LIRIZON, erunt ad voluntatem. *vt illud*, Iucundum ſit ei eloquium meum. *Pſal.* 103. Eloquia oris mei] IMREI PI; *certa atque grauis argumenti ſeria dicta & pronuntiata ſic vocantur: ea verò cum præcepto animi cogitato & ſtudio conuenire ait.* HIGAION; *certa ratione & conuenienti modo ac ſenſu concepta cogitatio ſic dicitur. atque hoc quidem nomen diſſerendi ars, quæ Græcis* διαλεκτικὴν, *vſurpauit. Solenne verò eſt poſcentibus ea vel nomina vel cognomina appellare, quæ eius rei, de qua agitur, & honeſtatem petenti, & facultatem auctoritatemq́ ei tribuant à quo petitur. Sic illud*, Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua libera me. *Pſal.* 53. *quo in verſu nomen idem quod efficacitatem ſignificat, deinde poſcentis adiunguntur partes*: Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me, & fortes quæſierunt animam meam. *Ita hoc loco nomen* adiutor meus *à poſcente eſt*, TSVRI, *petra ſiue aſylum ſiue perfugium meum: alterum verò* redemptor meus, *ab*

exorati

exorati virtute & auctoritate citatur. ſic & apud Latinum poëtam:

Ad te confugio, & ſupplex tua numina poſco.

Atque ita duplici iure, voti ſe compotem fieri poſcit, altero quòd ipſe ſolum Dei optauerit præſidium, altero quòd ſuis periculis ac temporibus cunctis vnicum liberatorem fuerit expertus Deum, magno & in omnem vitæ partem vtiliſsimo piis exemplo.

IN PSALMVM XIX.

PHILIPPO II. HISPANIÆ REGI, ET PHILIPPO III. SECVNDI FILIO SALVTEM.

Bellorum gerendorum ratio.

BEllorum à Chriſtianis gerendorum conſilia ſola cauſſæ honeſtas, cauſſam ipſam publica pax probat; gerendi modum diſciplina ex Dei legibus & inſtitutis exercita indicat; facultatem non tam humanæ opes, quàm diuina virtus & prouidentia ſufficit; victoriam demum victoriæque exitum & laudem, nulli præterquam Domino Deo exercituum tribui oportet. quidquid præter hanc rationem conſultum, cœptum, actumque fuerit, vltra ſumptus immenſos, incerta euenta, nullam vel exiguam, breuem & citò mutandam victoriam, vel etiam extremam cladem, & eorum, à quibus tentatum fuerat, æternam ignominiam creaſſe ſpectatum, compertum, exploratumque ſemper fuit. Huius autem rei totius vtile vobis, vt maximis terræ orbis Principibus, exemplum in Dauide bonorum Regum primo atque in pacis bellique conſiliis feliciſſimo propoſitum conſtat, cunctiſque conſtare poteſt Chriſtianis Principibus: cuius vel vnius acta geſtaq; omnia ſi adamuſſim cognita obſeruataq; tenueritis, breuiſſimo lectionis compendio, Barbarorum, Gręcorũ, & Romanorũ hiſtorias, quæ ad pompam magis quàm ad vtilitatem citari, iactari & proponi ſolent, & peritia veſtræ fidei conueniente, & gerendorũ felicitate ſuperaueritis.

Rerũ Dauidis hiſtoriæ vtilitas.

ARGV-

ARGVMENTVM.

DAuidi Regi, in belli laboribus, curis, ac periculis exercitatiſſimo, ad expeditionem profecturo qualia populi fauentis vota & quemadmodum ſuſcepta, pronuntiata, atque cantando celebrata fuerint, hoc in Pſalmo exponuntur. in quo bonorum & piorum principum propoſita, conſilia, & conatus (namque vltra hæc nihil mortalibus integrum eſt præſtare) diuinæ virtutis vnica atque ſola ope indigere declarantur: qua implorata & obtenta, certiſſimos feliciſſimoſq́; exitus expectari conſequens fuerit, victoriæ videlicet de hoſtibus reportandæ paciſq́; publicæ apud ſuos firmandæ, & cæterorum quæ ex bene compoſita pace oriuntur & fouentur, facultatem & copiam. atque hæc omnia vt auctori Deo accepta referenda, ita dicatis laudibus perpetuò fuerint celebranda.

Humana facultas.

1. In finem, Pſalmus Dauid.

PRimus verſus auctorem & cauſſam Pſalmi, atque etiam modorum, & concentus rationem, Inſcriptionis nomine continet; docetq́; à Dauide conditum opus, idq́; Dauidis eiuſdem bella & prælia meditantis atque adeuntis cauſſa dictatum ac decantatum, non vulgari ſed ſublimiori carminis ac modorum forma, LEMNAZZEAH, ad præſtantem. *de quo iam ſæpe aliàs.*

2. Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.

Futurum verbum in votorum nuncupatione vſurpatur propter fidei certitudinem, quod Latinus interpres plerumque imperatiuo mutat. exaudiat, IAGHANECHA, exaudiet te. *Nam* GHANAH *efficaciter audiendo reſpondere ſignificat, id quod Latinis exaudire eſt, audire idē ſentiendo & annuēdo. Iam verò auditio duas indicat perſonas, alteram vocātis, alterā verò eius qui inuocatur: priorem in hoc verſu pronomen* Te *commonſtrat, hoc eſt, regem quidem, hominē tamen mortalem, atque ad ſubeunda pericula diuini egentem auxilij tutela; poſteriorem ſanctiſſimum nomen* IEHVEH, *id eſt,* miſericordis & efficacis Dei, *indicat; vtraque verò pars ex antiquæ diſciplinæ arte & vſu petitur. Ex quo enim Abrahami ſoboles creſcere & in gentem eſſe cæpit, res rationeſq́; ſuas vni Deo dicare, committere, & commendare conſueuit; illuſtri præcipuè Iacobi exemplo, qui patriam quondam deſerens fratremq́; fugiens, in hunc modum vouiſſe narratur:* Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcēdum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei; erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte quem erexi in titulum, vo-

Exaudire. Iſraëlíticæ fidei exemplum. *Gen.* 28.

cabitur domus Dei; cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. *Atque votum illud quàm vario ac multiplici periculo per omnia Iacobi tempora certum ratumq́; conſtiterit, tota patet viri hiſtoria. Apparet autem & lucet manifeſtè diuina erga pios prouidentia ac tutela, cùm temporibus duris ac difficillimis appellata ſuccurrit; id quod ab hoc ipſo Vate aliàs affirmatur:* A diutor, *inquit,* in opportunitatibus, in tribulatione. In die tribulationis] TSARAH, anguſtiæ. *Diei nomen non ſolùm tempus hoc loco, ſed rei etiam ſignificat manifeſtationem, quam nemo homo poſſit inficias ire propter periculi magnitudinem diuina ope ſuperatam; idq́; in ipſo ſupremæ difficultatis articulo, quando repente ſolutus nodus Deum vindicem planè prædicat atque probat.* Protegat te] Protegere, *idem quod munire, tutari, atque propugnare eſt, à verbo* SAGAB. Nomen Dei Iacob] *virtus & efficacitas, quam Iacob anguſtis in rebus tentationibusq́; cunctis expertum ſeſe palàm teſtatus eſt:* Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea (*cùm Iacob tantummodo vocarer*) vſque in præſentem diem (*quo Iſraël appellor*) Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.

Dei auxilium in aduerſis. *Pſal. 9.* Dies. *Gen. 46.*

3. Mittat tibi auxilium de ſancto: & de Sion tueatur te.

Inſuperabilem atque efficaciſſimam nec vulgaris aut communis exempli opitulationem, ex loci ac ſitus delectu vouentium petitio amplificat. Namque ſingularis prouidentiæ declarandæ cauſſa, duo præcipuè in toto terrarum orbe finitima & conuicina loca ſibi delecta Deus reſponderat, dum figurarum & imaginum ſtatus ille durabat, promiſſamq́; portendebat publicam & communem toti orbi olim præſtandam ſalutem. Quoniam elegit Dominus Sion; elegit eam in habitationem ſibi. *In Moria autem monte ſanctum fanum cum magna etiam cæleſtium ſignificatione ad tempus dicatum ſibi probauit: ex quibus & pro quibus duobus locis & nominibus magna & frequentia edidit miracula; quæ vt in Dauidis etiam liberationem & ſalutem ederentur, hoc in Pſalmo cantores poſcebant. Hoc etiam hodieq́; ſancta poſcit Eccleſia, dum alterum ſanctuarium alterumq́; Siona non huius creationis animo cogitat & intendit. de quibus nunc nobis non ſermo ſed indicatio incidit.* Dominus *igitur* de templo ſancto ſuo, Dominus in Sion magnus, *auxilium regi efficaciſſimum rogatur ſufficere. Templum illud ideo ſanctum dicitur, quòd non ſolùm à profanis vſibus, verùm etiam à communibus operum & ſacrorum exemplis longiſſimè ſepoſitum crederetur, immò & quàm plurimis declararetur ſignis & miraculis. Sion verò regia arx & ſitus natura & operibus firmiſſima inexpugnabiliſq́; ducebatur. vtroque itaque nomine & raræ ac ſanctæ & firmiſſimæ tutelæ auxilium & fulcimen breui hoc poſcitur verſu. Commodè autem hoc in loco ad rei atque ſenſus explicatiorem imaginem placet adnotare præpoſitionem* DE, *voculæ* MIN *reſpondentem, auctoritati pariter & cauſſæ ſignifi-*

Sion & templum, loca Deo delecta. *Pſal. 131.* Eccleſiæ vota. Templi ſanctitas. DE præpoſitio.

gnificandæ inſeruire, & rectè ſimul verti poſſe in Latinas voces EX & ergo. *vt apud Amoſum,* Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam. *ex Sion atque ex Ieruſalem vtriuſque cauſſa rugiet. ſic etiam Dominus promiſſorum auctor & efficax* mittat tibi auxilium ex ſancto, *atque conſeruandæ ſanctitudinis ſuæ cauſſa, item etiam* ex Sion, *regiæ domus firmandæ & conſtabiliendæ conſilio,* tueatur te] IIZZAGHADCHA, firmet & fulciat te. *Hæc totius in vniuerſum precationis ac voti ſumma, longiore nominum ac rerum deſcribenda ſerie expolitur & explicatur.* *Amos* 1.

4. Memor ſit omnis ſacrificij tui: & holocauſtum tuum pingue fiat.

Acta omnia publica, atque in his bellorum initia, ſacris muneribus & hoſtiis cædẽdis auſpicari moris quondam fuit: quibus qui intererat populus, animis & linguis fauere iubetur & ſolet. Sacrorum quædam leuiora, quædam operoſiora dicuntur: leuiora minoriſq́ ſumptus MINHHOTH, *id eſt,* munera *dictitantur: quæ maiore ſumptu parabantur* Hoſtiæ, *in quibus præcipuam prærogatiuam* GHOLOTH *vendicant, græco nomine* holocauſta *vocata. Hæc autem cùm aliàs multis de cauſis, tum in votorum nuncupatione vſurpabantur; quæ cùm ſanctis altaris focis prorſus abſumebantur, litare, fauſta feliciaq́ eſſe, & optatis euentis probatum iri credebantur. Igitur gerendarum rerum initia & cœpta primùm, deinde verò progreſſus cunctos, ac demum exitus ex animi ſentẽtia necti, coniungi, ac ſuccedere ſuo regi chorus poſcit ac vouet.* Memor ſit] *idem quod aduertat & attendat.* pingue fiat] *ita reddit Latina editio noſtra pro* IIDASENAH, *ex verbo, cineretur, in cineres redigatur, id quod in pinguiſsimis carnibus igni ſacratis efficitur. rectè itaque antecedens pro conſequenti Latinus interpres poſuit; iuxta illud:* Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain verò, & ad munera illius non reſpexit. *Quippe alterius muneribus vt puris & pingui igni prorſus abſumptis, alterius vt impura & vitioſa minimè abſumebantur. Vulgatum huius rei exemplum in libris legimus Regum, Elia etiam extra legitimum locum, quòd ſic res exigeret, faciente. Hunc autem verſum vox* ZZELAH *claudit, quæ fauentium propriè atque gratulantium animi affectum prodit & ſignificat & in bonis numeratur verbis. Votorum verò ſuorum argumenta & materiam ad conſilia, cogitata, & propoſitum regis ipſius, populus refert: nec enim gerendarum rerum rationes, modos, & promotiones, publicè in votis euulgari aut proclamari conuenit: cùm præſertim diſciplinæ & artis bellicæ maxima & potiſsima pars in arcanis principum conſiliis ponatur: quæ ſi quoquo modo ſuboleat hoſtis, immane quantum ad propugnandum nanciſcatur præſidij atque opum. Cogitationem itaque & conſultationem in gerendis rebus oportet eſſe arcanam, quam populo*

Sacrificiũ ante belli initium.
Munera.
Hoſtiæ.
Holocauſta.
Litatio in ſacrificiis.
Gen. 4.
Regum arcana.

tantummodo votis & precationibus fauenti ſanctam & inacceſſam expedit manere.

5. Tribuat tibi ſecundùm cor tuum: & omne conſilium tuum confirmet.

Cor princeps in corpore pars Propoſitū. Conſiliū.

Cor *in humano corpore principatum ac regnum obtinet, idémque omnibus animi motibus & actionibus excitandis cogitationum ſuggerit materiam. Actionum prima pars propoſitum dicitur, quod cauſſam cum primis reſpicit, id eſt, finem quamobrem quicquam ſuſcipiendum fuerit. deinde verò conſilia varijq́ generis curæ ineuntur ac deliberando penſantur, quemadmodum, per quos quatenusq́, & quandiu res inchoanda & vrgenda ac promouenda, quæ omnia niſi diuina iuuentur & fulciantur atque expediantur ope, vana, irrita, & inutilia euadunt.* Niſi *enim* Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. *Agendorum itaque propoſitum* cor, *decretam autem & certam agendi rationem* conſilia *hoc in verſu vocantur. quorum felicem ex Deo progreſſum & ſucceſſum illo verbo* IIMALE *fauentes poſcunt. ſignificat autem* IIMALE *idem quod apud Latinos* compleat, *complendo autem* confirmari *conſequens eſt, vt noſter ſcribit interpres, Latini Vates* in bonos exitus ducere *circumloquuntur. Atqui honeſti legitimiq́ ſuſcepti & rectè nuncupati voti conſtantiam, boni euentus firmare ſolet ſpes; à qua* ἐνθουσιασμὸς *plerumque oritur, qui vaticinij vicem præſtans, euentorum atque poſteuentorum repræſentat imagines, id eſt, lætitiam publicam, gratulationes atque ad ſacram Dei aram ſupplicationes decernendas. Hanc autem partem ſubiuncti nobis præſtant verſus.*

6. Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Dei noſtri magnificabimur. Impleat Dominus omnes petitiones tuas.

Regum in bellis mens.

Omnes iſtæ periodi vnico verſu in primæuis exemplaribus clauduntur. continent autem certam lætitiæ publicæ atque gratulationis communis celebritatem, poſt diuina in regem beneficia ſacrandam & peragendam; cui ſeſe iam fautores obligatos declarare iuuat. Elocutioni poëticæ ὕστερον πρότερον *figura eleganter ſæpe, vt hic etiam, ſeruit. Decet autem Regem nihil ſibi arrogare egregiæ virtutis, nihil ex propria promittere ope, nihil denique magnum vel auguſtum aut fauſtum præſumere; ſed incepta & agenda cuncta in Dei auctoritatem, numen & bonitatem, reijcere, atque huiuſmodi pietati & ſinceritati annuere, aſſentiri, ac fauere. ita Deus conſueuit, vt ſingularem prouidentiam ex voti atque petitionum ſucceſſu probet, nulla prorſus ex parte irrito, nulla exceptione imminuta.* Impleat Dominus] *futurum verbum in exemplari, futuri quoque ſignificationem ac vim in latina verſione tuetur modo coniunctiuo ſiue optatiuo tributum.*

tributum. Cùm impleat Dominus omnes petitiones tuas, lætabimur, NERANEN. *Lætitiæ publicæ ſtrepitum ſignificat immò & repræſentat hoc verbum.* In ſalutari tuo] *in ſalute, incolumitate, feliciq́; ſoſpitate tua. Cùm ex animi ſententia per omnia promotus voti compos euaſeris,* & in nomine Dei noſtri NEDAGEL; *pro quo Latinè redditum* magnificabimur *affinitatem non obſcuram vendicat cum verbo* NEGADEL, *id eſt,* magnificabimur: *quòd ſi per ſermonem liceret, illud* NEDAGEL *in* vexillabimur *verteretur. Solent autem, qui ouationum vel victoriarum ac triumphorum pompas celebrant, vexilla & ſigna certis in ſpatiis diſtributa circumgeſtare, interdumq́; extollere ac vibrare; atque hoc pacto vocibus, nutibus, & ſignis hilaritatem fouere & augere. In vexillis autem victoris viſuntur vel imagines vel alia inſignia, vel certè nomina aut cognomina, aut etiam emblemata cum hieroglyphicis familiaria. quale illud Haſmouæorum* MACHABI *habuiſſe dicitur. Atqui in gratulationum ſupplicationumq́; ſuarum pompis & choris atque choreis, vnicum nomen* IEHVEH *vſurpatum iri fautores profitentur noſtri. Gratulationis autem, carminis, ac ſupplicationis argumentum breue commodè ſubiungitur; quo confeſſio, id eſt, laudes Dei ſoſpitalis in ſumma continentur, cum comparatione & agnito exceſſu virtutis, efficacitatis, ac ſingularis tutelæ & curæ, vltra omnes humanas opes, facultates, & artes. Erit itaque vna atque eadem laudantium ſententia, vnaq́; cunctorum vox illa:*

In triumphis mos.

Vexillorũ inſignia.

Machabæorum vexillum.

7. Nunc cognoui quoniam ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum. Exaudiet illum de cælo ſancto ſuo: in poteſtatibus ſalus dexteræ eius.

Salutis & ſoſpitalitatis magnitudo, quæ ex periculorum ac difficultatum immanitate declaratur, ad vouentium ſententiam & expectationem ſuccedens, efficientiæ auctoritatem, gloriam atque decus nulli alij quàm diuinæ virtuti arrogare debet aut poteſt; cui ſoli propterea ſummæ tribuendæ atque dedicandæ iure decernuntur laudes, ſoli gratulationes, ſoli etiam piæ ac votiuæ in poſterum publicæ rei ac regni & regis commendationes denuò inſtituuntur. Nunc ſpectaculo tanto & experimento apertè agnouimus, vncti regis propugnationem, tutelam, & ſalutem, diuinæ ſolius curæ & admirabilis virtutis & efficacitatis fuiſſe opus: neque enim humanis opibus (quæ hoſtilibus comparatæ breues, exiguæ) nec terreſtris loci ſitu (qualem optare & occupare callidi ſolent bellatores) verùm diuinæ & ſalutiferæ dexteræ atque ex alto cælo propugnantis virtute, huiuſmodi rara & admiranda victoria noſtro duci eidemq́; diuina vnctione ſacrato contigit, quem exaudiet, IAGHANEHV; *futurum pro præterito vt ſæpe aliàs;* exaudire ſolet *&* exaudiuit *efficaciter* de cælo ſancto ſuo, MISEMEI KODSO, de cælis ſanctitatis ſuæ, *de ſummis & altiſſimis* De cælo.

cælis, quò nulla humana mens cogitando nedum virtus valet oppugnando pertingere. eorum quæ in terris fiunt efficacitatem, cæli virtutibus natura tribuit; cælorum autem virtutes ex ſuprema Dei arce ac regia deriuantur: quæ verò ex ipſo ſanctiſsimo demittuntur cælo, ſingulariter, cùm communia ſuperent exempla, ad miraculi definitionem reuocantur; & ſingularem prouidentiam & curam teſtantur & comprobant. Atque hæc argumentationis prima propoſitio eſt, quæ aſſumpto ex remotione petito adſtruitur, in hunc modum: Vbi magno rerum & opum apparatu, multo hominum conſilio, & ingente conatu nil efficitur aut promouetur; contrà verò exiguis humanarum virium copiis, votis autem & precibus atque diuinæ opis & fidei implorationibus res conficitur; victoriæ efficientia vni diuinæ virtuti manifeſto tribuitur iure. Atqui hoc nobis pacto res omnis contigit, quando quidem ex innumerabili copia hoſtium, in curruum & equorum ſuorum multitudine ſperantium, nos inuocato Dei noſtri nomine victoriam reportauimus.

8. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.

Hi in curribus, & hi in equis] *Victoriam ſibi promittentes præſumebant & moliebantur. Solent qui res geſtas deſcribendas ſuſcipiunt, ac præcipuè poëtæ qui carminibus celebratas ad poſteritatem tranſmittere ſtudent, regum atque imperatorum potentiam ex apparatus magnitudine ac ſumptu exaggerare, atque ex eare, cum conſiliorum etiam & ſtratagematum commemoratione, victoriæ euentum augurari. apparatus autem præcipua vis in curribus & equitibus poni ſolet: vt ille aiebat,*

Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitæ, currus & equos facieſque Deorum
Adſpicere. *hæc enim potiſsima habetur in bellicis pars. Iactent autem quantum nouerint magnificè ſuorum exercituum robora, gentium atque imperatorum adulatores poëtæ; exaggerent & amplificent hiſtoriarum ſcriptores; ſupplicatores noſtri aiunt: Nos vnum Dei nomen cantantes præferemus, vnicum citabimus, vnum repetemus, idem nobis carminum principium, idem medium, idem poſtremum vſurpabitur & ſonabit; id autem agentes ex antiquo vſu noſtroq́ue faciemus more:* Inuocabimus, *canentes & laudantes,* NAZCHIR, commemorabimus; *ídque vtriuſque celebritatis exitu referendo diſſerendoq́ue proſequemur, nempe illo:*

9. Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.

Magnæ terrenæ molis ingentem oportet eſſe ruinam. equi caro ſunt &
Iſai. 31. *non ſpiritus, duces & milites homines & non Deus, ipſe autem & ſpiritus & fortis efficaciſsimusq́ue eſt. Perſimilis argumenti hæc atque illud carmen*

eſt:

eſt: Ingreſſus eſt enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare, & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris. Filij autem Iſ- *Exod. 15.*
raël ambulauerunt per ſiccum in medio eius. *Atque hactenus totius Pſalmi partes ex ordine atque artis veræ legibus abſolutæ, propoſito ad principium voto tanquam epilogo clauduntur, cùm regis ad præſentem expeditionem profecturi commendatione, & perennis erga populum curæ & prouidentiæ votiua prece.*

10. Domine ſaluum fac regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.

In exemplari lingua votum cum ſpe atque fiducia ſuſceptum indicat ac docet futuri temporis poſterius verbum. quæ ſi carmine latino à nobis reddantur, in huiuſmodi tendent ſententiam:

Soſpitem præſta incolumemque regem
Semper ô Ias, bona ſpes benigne:
Nos Deum poſt hac fouet auditurum
Vota cientes.

IN PSALMVM XX.

PHILIPPO II. HISPANIÆ REGI, ET PHILIPPO III. SECVNDI FILIO SALVTEM.

Regibus & Principibus vti nulla legitima auctoritas niſi à Deo conſtat, ita etiam nulla fiducia, nulla mens, nulla ſpes, atque adeò nulla cogitatio niſi ex Deo eſſe debet. S. S. E. *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.* Qua ſimilitudine illud ſapientiſſimus vir ſignificare ac docere voluit, regis partes eſſe, purum, liquidum, facilem & promptum ſeſe Dei voluntati atque nutibus mandatiſque præbere, cum bona & certa felicitatis euentuſque optimi ſpe; vt pote nec ſuo priuato conſilio impulſum, nec proprio fidentem ingenio, aut animi impetu agentem, ſed fide inſtructum & obedien-

Regum animum qualem eſſe deceat.

Prou 21.

obedientiæ propoſito firmatum, agenda, gerenda, & capeſcenda, vel omittenda omnia ex diuinæ diſciplinæ regulis & normis conſtituentem: ex eo autem futurum vt nihil temerè vel fruſtra ineatur, cuius euentus fuerit pœnitendum; vtpote quod nec humanam vim, nec efficacitatem, ſed planè diuinam virtutem numquam fallentem, numquam ſuperuacaneam, immò perpetuò commodam, certam & fauſtam tum numinis naturâ ipsâ tum verò mundi huius, & præcipuè cordatorum hominum experientiâ, probet ac prædicet. Hoc principes pij ac boni ſentite. hoc perpetuùm apud vos curate, ac ſemper teſtaminor.

ARGVMENTVM.

SVperioris voti certam ſpem Pſalmus hic prædicat, notis argumentis iiſdemq́ manifeſtis fultam, hoc eſt, regis alacritate & ad magnas res gerendas prompto & conſtãte animo, atque anteactarum rerũ felicitate corroborato & munito, cui etiam publica populi fauet exhortatio cum læto atque hilari plauſu; cui pro ſperata ac ſemper conſtitura victoria, ſupplicationis & gratulationis publicæ ſubiungitur denuò votum. Id verò, quod per veram imaginem de Dauidis rebus ac ſucceſſibus canitur, de Chriſto verè & ſolidè atque efficaciter omnia abſoluturo per vaticinium prædicitur.

1. In finem, Pſalmus Dauid, *ſiue* ad præſtantem, Pſalmus Dauid. *ſiue*, Victori Pſalmus Dauid.

D*E Inſcriptionis formula & modo iam anteà ſatis dictum.*

2. Domine in virtute tua lætabitur rex: & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer.

Rerum gerendarum ratio.

Gerendarum rerum prima & præcipua vis in animi propoſito atque fortitudine ponitur, deinde verò virium & facultatis æſtimatur modus, cui dexteritas & peritia adiuncta nihil non proſperè aggreditur ac feliciter conficit, confectum verò atque peractum opus laus & gloria eueſtigio conſequitur. Horum autem omnium ſumma auctoritas atque integra ratio piis hominibus apud vnum Deum conſtat; cuius numini cuncta tribuere, nihilq́ humanis ingenio aut conſilio vel robori aut conatibus arrogare præter fidem & obſequentem voluntatem, veræ atque legitimæ profeſſionis fuerit: id quod toto hoc Pſalmo agitur, quo Dauid inducta ſibi fauentium oratione, ſe ſuaq́ omnia ex diuinæ gratiæ virtute & efficacitate pendere declarat,

declarat, ideoq́ libentiſſimè ac promptiſſimè res quantumuis arduas difficilesq́ à ſe ſuſcipi & ſtrenuè agi, ſine periculi vllius metu; qui apud eos qui Deo miſericordi fidunt nihil impedimenti moliri valet. In virtute tua lætabitur rex] *Lætari ſolet perpetuò,* BEGVZECHA, firmitudine tua *(inuicta virtus ac robuſta conſtantia* GHOZ *vocatur) non in ſua humana, ſed in tua diuina & veriſſima. Ducitur autem argumentum ex comparatione ſiue contentione; quippe eum qui magnis rebus gerendis promptum, alacrem, & hilarem ſeſe propter Dei virtutem præbet, geſtis demum atque ex animi ſententia ſine clade confectis, vehementi gaudio exultare & geſtire oportuerit. Poſterior hæc verſus pars interrogatione pariter & acclamatione pronunciatur,* MAH IAGHIL MEOD; vt exultabit valde! *Gaudij autem tanti materiam & opportunitatem certa & votis conſona Dei gratia atque felicitas datura declaratur.*

3. Deſiderium cordis eius tribuiſti ei: & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum.

In votis primas partes animi electio atque expetitio vendicat, ſecundas verò conceptæ ſententiæ interprete lingua pronuntiatio: quibus ad amuſſim concordans euentus certam numinis voluntatem efficientiamq́ probat. hæc rerum ſeries poëtica elocutione exornata indicatur. primas enim illud ſignificat, Deſiderium cordis eius] *id quod in ſumma optauerat, & animo expetendum præceperat.* voluntate labiorum eius] *id ipſum quod optatum & expetitum verbis expreſſerat, non ſolùm reapſe, ſed verborum rationi ſingillatim concinens, & conueniens cum temporis, loci, ordinis, aliiſq́ circunſtantiis, ita conceſſiſti, vt nihil omnino requiri poſſit ex iis quæ ex te ille popoſcerit.* Voluntate, ARAS, *idem quod apud Latinos pronuntiatum. Non ſolùm ex animi ſententia, ſed ex verborum etiam exacta obſeruatione, fauere atque adnuere huic voluiſti; quod ſingularis prouidentiæ, atque efficientiæ ſignum eſt manifeſtiſſimum, certiſſimum etiam argumentum egregij cuiuſdam exempli in hoc viro vnicè beando ac præſtantiſſimè ornando per te propoſiti atque editi.* Vota.

4. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.

Nemo verè ſapiens quantumuis pietate & amore in Deum calens, amoris prærogatiuam ſibi iure poteſt adſcribere, ſed fateri ingenuè debet ſeſe Deo prius fuiſſe dilectum, ab eodemq́ benignè & gratis habere quidquid ſibi bonorum contigerit: ditiſſimus enim Deus eſt, & bonitatis atque beatitatis ſuæ diuitias vltrò gaudet impertiri, ac reapſe impertitur & communicat ijs, quorum conſilia, voluntatem, atque vota probat. ſunt enim hæc in homine intellectus, voluntas, & conatus, quæ humanam comitantur electionem. atque tria hæc vno bonæ voluntatis *vocabulo interdum in-* Nil boni non acceptum habemus. Humani animi partes. Bona voluntas.

 cludun-

Luc. 2. *cluduntur, vt in illo Angelorum carmine :* In terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Docet autem verſus hic & aſſeuerat, veram fauſtamq́; felicitatem non temerè aut caſu, ſed certo Dei delectu & conſilio magnis viris contingere, hoc pacto ac modo gloriæ ſuæ atque aliorum hominum vtilitati proſpicientis.*

Felicitas non niſi à Deo.

Præueniſti eum] *quamquam poſcentem tamen tu præueneras. quadrat cum illo Ieſu documento,* Scit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum. *Cùm te ille exoraturus peteret, iam diu apud te in promptu erat magna rerum bonarum copia, qua ornandus amplificandusq́; eſſet, atque ſummus etiam conſtabat regni honor.* Quis prior dedit illi, & reddetur ei? *ait Paulus.*

Matth. 6

Rom. 11.

Benedictionibus dulcedinis] BERACHOTH TOB, benedictionibus boni, *Latinè dicitur, verorum bonorum affluente copia. Duo autem ſunt quæ præcipuè vulgo expetuntur, nempe diuitiæ, & honos : illæ ad vſum, hic ad ſplendorem vitæ facere putatur. vtrumque verum eſt, dummodo quænam veræ diuitiæ, quis verus honor ſit, certa definitione ſtatuatur: nihil verò iſtis nominibus dignum niſi quod ex Dei benignitate proficiſcitur. Sunt ergo vera bona, animi dotes & facultates ac virtutes diuino munere conſtantes, & bona ac ſana mente collocatæ; quas rectè & legitimè exercitas ac probatas diuinus quoque conſequitur honor.* Non enim coronabitur niſi qui legitimè certauerit. Poſuiſti *tu, non ille ſibi vſurpauit aut præſumpſit;* Super caput eius; *in quo decoris primaria ſedes eſt;* coronam *incorruptibilem, & ſplendidam atque præcipui ſummiq́; honoris inſigne :*

Diuitiæ. Honos.

Vera bona.

2. Tim. 2.

de lapide pretioſo] PAZ, *aurum purum putum ſplendidumq́; ſignificat nomen hoc, atque vnum ex tribus auri generibus nullo alio metallo, nullis inmixtum ſordibus, cuius colorem atque ſplendorem aurea refert gemma quam græci adiuncto articulo τοπάζιον vocant, qualem gemmam ſignificare viſus eſt interpres noſter. Atqui pij & ſancti viri primum ac præcipuum atque adeò vnicum votum æterna vita eſt, eadémque mortalis huius vitæ cauſſa ducitur : æternæ verò vitæ veritas Deus ipſe eſt, in quo* vita erat, & vita erat lux hominum. *Quiſquis autem vitam poſcit æternam, idem Deum poſcit ipſum, quod hic quidem Vates alibi declarat.* Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? *rectiſſimè itaque poſcit qui vitam æternã rogat; quam qui ex Dei benignitate & munere obtinuerit, idem omnium bonorum cumulo atque ſummi honoris, hoc eſt regis titulo & cognomento auctus amplificatusq́; euadit.*

τοπάζιον.

Piorum votum vita æterna.

Iohan. 1.

Pſal. 72.

5. Vitam petiit à te, & tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum & in ſæculum ſæculi.

Vita hominis duplex.

Nullis verbis, nullis hominum linguis vtriuſque vitæ veritas explicatiùs & apertiùs exprimi poteſt, quàm verſu hoc ad exemplarem reuocato dictionem : nam vitæ nomen HHAIM *dualis formæ, duplicem hominibus paratam vitam ſignificat, mortalem videlicet, eamq́; breuem, quæ tamen*

men

men in alteram deſinat nullo finiendam tempore : hanc vnam expeti dignam, hanc omnibus votis poſcendam & contento quærendam ſtudio, non vlli hominum ſua virtute & efficacitate ſibi ipſi comparabilem, ſed ex Dei benignitate ac munere optabilem atque expetibilem. petiit à te] *Qui verò rectè, purè ac legitimè poſcit, is certè impetrat;* & tribuiſti ei] *cuius impetratæ deſcriptio illa eſt,* longitudinem dierum. Dies *hoc loco intelligimus perpetuas luces noctis & obſcuritatis expertes, quales nempe cælis cæleſtibuſq́ contingunt ſolis. Namque in terris orbe ſoleq́ lumen ſuum voluente, dierum noctiumq́ vices exercentur. S. S. E.* Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem. *hoc autem in verſu longitudinem dierum idem ſignificat, quod perpetuùm longos dies, eoſdemq́ veros dies; cùm iis quæ ſub cælo degunt, nulli longi, ſed breues ijdemq́ varij luceant dies, alij videlicet alijs breuiores, atque omnes illi noctium ac tenebrarum viciſsitudinibus obnoxij. Quòd ſi cæleſtibus ciuibus dies numerari concedamus, nimirum quandiu primum quod appellant mobile voluitur, tamen terræ vmbra, cuius occaſione & obiectu nox creatur, nihil de cælorum perpetua luce ſubducit, quamobrem nec de diei integritate quicquam adimit. Atque hæc prima cæleſtium dierum conditio eademq́ perpetuò illuſtris eſt, quod ad naturam illius lucis attinet; quod verò durationem ſiue protractionem ſpectat, altera etiam præſtat conditio, nempe æternitas ipſa, nullo vnquam vel interpellanda vel finienda termino;* in ſæculum & in ſæculum ſæculi. *In exemplari expreſsiùs ac diſtinctiùs efficaciusq́ legimus,* GHOLAM VAGHAD, *Sæculum & vſque.* GHOLAM *cuiuſque rei plenam durationem, hîc verò mundi ſignificat;* VAGHAD *nullum admittit finem, nullòue ſiſtitur termino : quidquid enim ſtatuas ac deſinias, duæ illæ tranſuolant & prætereunt voces,* & vſque *numerato puta mille annorum perpetuos dies, manet illa tamen integra aſſertio & vſque. Igitur piis vitam tantummodo optantibus, æternam illam cumprimis, mortalem verò iſtam quantum ad pietatis munus præſtandum ſit ſatis. Vtramque præbet pro voto Deus, non ſolùm ſimpliciter, ſed magnis auctam ornamentis decoris & honoris æternarumq́ laudum, qualem Dauidi obtigiſſe legimus; longè autem illuſtriorem & comparatione omni præſtantiorem Chriſto Ieſu, quem huius atque omnium ferè Pſalmorum accepimus eſſe ſcopum.*

Veri dies. *Gen. 1.* Sæculum. Chriſtus omnium fere Pſalmorum ſcopus.

6. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo: gloriam & magnum decorem impones ſuper eum.

Quidquid magnum, pulchrum, commendationeq́ verè dignum ducitur, id totum Dei prouidentiæ, tutelæ, atque efficientiæ acceptum pij referunt. In ſalutari tuo] *In ſalute à te ipſi parta & conſeruata, periculis ac difficultatibus quamuis maximis erepto ac ſuperiori euadenti: ita vt nihil diſcriminis vnquam tam ardui obiectum, vnde cum ſumma laude*

non emerſerit incolumis, tanta adeò tamq́ ſublimis conditio eſt eius, quem Deus in regem adoptauit & vnxit. KABOD *Latinè* amplitudo *dici poteſt.*

Gloria. gloriam] HOD vim, virtutem, auctoritatem & laudem

Confeſſio. *ſignificat, atque aliàs à Latinis interpretibus dicitur* confeſſio, *id eſt, publica ac legitima probatio. Itaque* HOD *teſtimonium appellatur legitimum ab Angelis & hominibus, vel volentibus candidè & ingenuè datum, vel in vitis etiam, tamen ex veri vi, extortum. cuius rationis illud*

Philip. 2. *eſt*: Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomẽ quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine IESV omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Et magnum decorem]

Decor. HADAR *Latinè* reuerentia *non incongruè dicitur, vt ex illo iuſſu colligimus* VEDAL LOTHEHADER BERIBO,

Exod. 23. Et pauperem non reuereberis in lite. Poſuiſti ſuper eum] *Verbum* SAVITHA *duobus Latinis redditur,* poſuiſti, & æquaſti. *Ita ſignificatur vtrumque decus æquè regi noſtro Dei munere & auctoritate ſuffectum conſtare, id quod non modò felix fauſtumq́ eſſe, verùm perpetuum atque adeò æternum permanere prædicatur.*

7. Quoniam dabis eum in benedictionem in ſæculum ſæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Certam, plenam, ſtatam & nunquam deſituram felicitatem, nomen BERACHOTH *plurale iunctum verbo* HASITHEHV *atque adiuncto* LAGHAD *exprimit. quæ ſic vtcumque Latinè vertere licet,* Nam certè ſtatuiſti eum benedictiones ad vſque. *alludit carmen hoc ad ora-*

Gen. 22. *culum illud,* Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ. *Id quod vt ex Dei numine, munere, & voluntate, atque gratia profectum, ſumma cum lætitia perpetuò obtinendum aſſeritur.* THEHHADEHV BEZIMHHAH ETH PANEICHA, exhilarabis eum in lætitia apud

Cum vultu tuo. facies tuas. *idem fere valet* apud facies tuas *ſiue* cum vultu tuo, *atque Latina illa,* volens, libens, annuens *atque* præſtans. *Atque hanc felicitatem legitimè & rectè concinneq́ à Deo effici & præſtari, expoſita e veſtigio conditio declarat; ſiquidem huiuſmodi maxima dona, ac perfectiſſima bo-*

Dei dona quibus cõtingant. *na & munera, non cuilibet promiſcuè vel temerè citra delectum, ſed ei tantùm contingunt, quiſquis fide inſtructus efficaci, atque ſpe fultus firmiſſima, Deum conſtanti pietatis colit obſequio.*

8. Quoniam rex ſperat in Domino: & in miſericordia Altiſſimi non commouebitur.

Namque fide, ſpe, ac pietate concepti ex diuina miſericordia fructus, ad bonam demum frugem commodè ac maturè perueniunt: Non enim qui inceperit

ceperit (tantùm) ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. *Matth.10.*
A Domino ſalutari *omne Regibus principium eſto; in eundem omnis referatur exitus, vtpote ſuis omnibus numquam defuturum, illis inquam maximis & efficaciſsimis nulliq́ alij naturæ communibus nominibus* IEHVEH & GHALION, *id eſt*, efficaciſſimo & ſupremo *ſiue* altiſſimo; *quo primùm apud Melchizedekum appellari accepimus*: Erat enim Sacerdos Dei altiſſimi & benedixit ei (*Abramo*) & dixit: Benedictus Abram Deo excelſo, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt: *Ipſe etiam Abrahamus felicitatis omnis ſibi bello atque pace contingentis non alium præter hunc auctorem ſingulariter ac propriè agnoſcit*: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cæli & terræ, quod à filo ſubtegminis vſque ad corigiam caligę non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, ne dicas: Ego ditaui Abram. *Omnia illa cognomina Latina*, altiſſimus, excelſus, *quater in illo repetita loco, vni* GHALION *vocabulo reſpondent, cui quidquid piis & fidelibus euenit boni vt auctori vnico acceptum referendum volenti atque præſtanti. Nam præſtantiam & efficientiam primum nomen* IEHVEH, *voluntatem verò ac liberalitatem* HHEZZED *id eſt, miſericordia, ſiue benignitas prædicat: qua quiſquis fultus res quamlibet arduas aggreſſus fuerit*, non commouebitur, *non nutabit, quominus*

A Deo & in Deum omnia.

Deus Altiſſimus.

Gen.14.

9. Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.

Nullam, vel multitudine & copia maximam, vel robore & belli ſtudiis aſperrimam, hoſtium vim fore ait, cuius victæ ac ſuperatæ atque adeò peſſundatæ & profligatæ gloria rex non demum perfuncturus fuerit, ſi illorum, quæ citata & appellata ſunt, nominum maieſtas, auctoritas, & virtus pollicetur; quippe quorum ille præſidio firmus conſiſtit. manus *poteſtatem & dominium & facultatem ſignificat, quam neminem hoſtium effugiturum aut euaſurum verbum* THIMATSE, inueniatur, *declarat.* dexteram *verò, virtutem, actionem, gerendæ rei peritiam & facultatem cum dexteritate interpretamur. prius autem verbum à poſteriore expeditur. tu, inquit, ita ſtrenuè rem ages aduerſus omnes, vt nemo ex hoſtibus euadat, quin tuam ſubeat ac ſentiat poteſtatem; nec verò ſolum aduerſus inimicos, qui apertè tibi negotium faceſſere ſtuduerint, ſed aduerſus* omnes qui te oderunt, *animo, quamquam nihil adhuc fuerint moliti. ita vndique victoria parta pacem & ſecuritatem tibi promittit, efficiétque Deus, non modò opprimendis hoſtibus, ſed inuidis etiam & oſoribus. namque hoc inter* AIAB & SANA *verba, adnotatur diſcrimen. Exercent quidem improbi & maleuoli pios: ita enim à conſtitutione mundi ſpectatum conſtat, duobus nempe partium ducibus, Deo excelſo, & antiquo*

Manus.

Dextera.

Proborum & improborum vitæ exitus.

tiquo ſerpente Dei & bonorum aduerſario contumaciſsimo : ſed diuerſo admodumq́; differente vtrorumque exitu ; illorum , inquam , gloriæ & felicitatis, iſtorum verò exterminij & perditionis perpetuæ : quippe quorum inimicitia , inſolentia, & improbitas in ipſa regis cauſſa diuinam etiam prouidentiam & maieſtatem tentare atque impugnare auſa fuerit , vt iam aliàs notatum damnatumq́; conſtitit. Pſal.2. Aſtiterunt reges terræ & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. *Qualis autem iſtorum expectandus ſit exitus eueſtigio declaratur.*

10. Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.

Ex verborum vi tranſlatio facilè tenetur , qua inimici regis non ſecus proſternendi & obruendi ac miſcendi ſignificantur , atque ligna , ſtipulas, & ramos poſt exciſionem in magnam fornacem conijci & cogi videmus ; quibus igni admoto vehementis impetus venti citiſsimum concitat incendium , nulla prorſus exigui aut magni ratione habita , quando eiuſmodi natura & vis ignis eſt , vt nulli omnino parcat obiecto lignorum generi.

In tempore vultus tui] BEGHET PANEÍCHA, *cùm tu in iſtorum punitionem faciem intenderis tuam, id eſt, iſtis iam exitio damnatis ac traditis, tum verò* IEHVEH *efficaciſsimum numen* in ira ſua, BEAPO, in naſo ſuo, *indignationis vehementiam tropus hic indicat, vt illud:* Pſalm. 2. Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. *Ingentem verò animorum atque rerum confuſionem & Babylonicam quandam trepidationem verbum* IEBALAGH *hoc in loco ſignificat, qualem flamma in ſtipulis efficit. Vnde & vorax à poëtis cognominatur.* Ignis vis. *ignis autem facultas & vis omnis edendo & conſumendo viget, interim ea purgans quæ puriorem ac fortiorem ſortita ſunt naturam , qualia in metallis aurum argentumq́; habentur. atque omnis oratio hæc , vt pleræque aliæ in Pſalmis , ex tranſlatione ſiue allegoria inſtruitur ; ita verò arbores , herbas , plantasq́; alias vehemens perurit & abſumit ignis , vt nec reſtitui aut obóleſcere ſinat ; fructibus videlicet prorſus correptis & ſeminis intercepta ſpe : id quod in noualibus viſitur , quæ ferro & flammis terræ purgandæ & ad meliorem frugem comparandæ cauſſa mitigantur: cuius rei imaginem in improborum ſtatuendam rebus Vates ominatur.*

11. Fructum eorum de terra perdes , & ſemen eorum à filiis hominum.

Hoſtium vtriuſque Dauidis abolitio. *Hæc ſi ex hiſtoria interpretemur , immane quantum hoſtium à Dauide confectum in ſacris annalibus legimus ; Chriſti verò & inimicorum illorum qui primi ſeſe euangelio oppoſuere , quænam inter homines extat familia? quæ domus ? immo & quodnam caput quin primo etiam ſeculo fuerit è filiis hominum ſublatum? Atque de hiſtoria hactenus apertè ac ſimpliciter ; illud au-*

lud autem nobis dolendum, quòd hoc æui agimus, vt nec germanum horum carminum ſenſum agnoſcere, ſed ne cognoſcere & capere mortales aut valeant, aut ſtudeant. Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti; Vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. *Atqui quam vltionem regis inimici laturi prædicuntur, eam ſuo malo merito, ſuaq́ ſibi paraſſe fraude accuſantur; neque enim Deus iniquus eſt qui iram inferat, ſed iuſtiſſimus iudex, qui ſuæ atque Chriſti ſui veritatis, auctoritatis, & efficientiæ aduerſarios, graui, ſeuero, & legitimo damnat iudicio. legitimum namque eſt, vt quod quiſque in alterum parauerit ac molitus fuerit, idem expectet ac ſentiat mali.* 2.Cor 4. 2.Theſſ.2.

12. Quoniam declinauerunt in te mala: cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire.

Vim cum fraude coniunctam contra Dei vnctum ab iſtis magna calliditate, ingenti aſtu, quamquam fruſtra, adhibitam & munitam duo verba ſignificant. declinauerunt] NATV, tetenderunt. *tranſlatum verbum à piſcatorum & aucupum retibus atque pedicis, quæ capiundis animantibus obtenduntur aut inclinantur. idq́ occulta calliditate & præmeditato aſtu.* MEZIMAH *verò cogitationem conſiliumq́ interpretamur, non ſine induſtria & præmeditatione initum alterius lædendi aut perdendi cauſſa. quale in falſis teſtibus atque in calumniatoribus damnatur. Eoſdem verò ſic peruerſè & callidè agentes non dolo aut fraude, ſed viuida virtute atque efficaci dexteritate à rege confectum iri prædicit Vates, vehementiũ & ineuitabilium telorum & ſagittarũ certiſſimis ictibus.*

13. Quoniam pones eos dorſum in reliquiis tuis: præparabis vultum eorum.

Tranſlatio à ſagittariis ducta eſt, qui ſiniſtra manu arcum, dextera neruum & ſagittas tenentes, læuum humerum ei rei quam ferire intendunt, opponunt. Parthi verò à tergo iaculari narrantur. Pones itaque eos dorſum *ſiue* humerum, SECHEM BEMEITHREICHA, in neruis tuis; *Nam ſic etiam Latinis arcus chorda vocatur, atque ita interpretamur verſionem* In reliquiis tuis. Præparabis vultum eorum] *Sagittas in hoſtium faciem ipſam certiſſimo iactu dirigendas ait. Arbitramur autem Homerum deſcriptionis huius exemplar intuentem dexteritatem & felicitatem Vlyſſi ſuo in conficiendis ac tollendis procis arrogaſſe.* THECHONEM GHAL PENEICHEM, Diriges contra facies eorum. *Huius autem victoriæ & ſalutis ac felicitatis gratulationem, Deo auctori carminibus dicatis celebrandam cantores vouent; à quo omnia & per quem omnia, ipſi gloria in æternum.* Sagittariorum mos.

14. Exal-

14. Exaltare Domine in virtute tua : cantabimus & pſallemus virtutes tuas.

Diuinæ prouidentiæ atque efficacitatis gloria, aduerſus impietatem improbitatemq́; omnem effectorum expectatis probatur atque aſſeritur exemplis: qualia vt edantur, poſcit ac vouet Pſaltes, adeoq́; certa concipit ſpe vt verſibus & carminibus à ſe ſuisq́; ſociis cantandis celebrare iam geſtiat. Id igitur, quod auctoritate ac maieſtate diuina dignum eſt, poſcitur ac vouetur; quodq́; caput & fons omnis precis legitimæ habetur ac ducitur, idem dicendorum principium, idemq́; colophon & extremum ſtatuitur. In virtute tua] BEGHVZECHA, in validitate fortiſſima, cantabimus *carminibus componendis & iiſdem voce modulandis & pronunciandis.* Pſallemus virtutes tuas] GIBOROTHCHA, *res à te præſtantiſſimè confectas. nam prius nomen* GHOZ *natiuam & germanam vim & efficacitatem & magnanimitatem, poſterius* GIBOROTH *edita virtutis illius argumenta & exempla ſignificat. Ex verbo,* virilitates, robuſtitates, *vtcumque vertendum; nam paria nobis Latina non liquent verba; Hiſpanicè* tus barraganias.

IN PSALMVM XXI.

LVCIANO NEGRONI CANONICO ET ARCHIDIACONO HISPALENSI.

SAnctorum ſcriptorum ſtudiis accuratè ab ipſa prima iuuenta dicatum atque deditum te ſemper ipſe in noſtris moribus miratus, vt dilexerim, coluerim, & amarim, ſcis; vtpote quem non auaritia nec ambitio, duo mundi huius peruersè credita & adorata numina, ad literarum diſciplinam pellexerint aut impulerint, ſed ſola humanæ ſalutis & felicitatis veræ cura: qua poſthabita, nihil quod iure expetatur hominum generi veri boni reliquum eſt. eius autem ſalutis caput rationemq́ue ſummam in vna tantùm Chriſti Ieſu cruce ſitam, nec aliunde petendam diuino munere didiciſti. Crucis verò myſteriũ quamquam nondum aſſecuti ſimus, tamen conſecuti ac venerati diuinæ-

tinæque miſericordiæ ac ſapientiæ immenſitatem admirati conſequi eodem promouente pergimus, quoad à patre luminum deducti ac prouecti, demumque immutati obtineamus: obtinebimus autem, ſi initium notitiæ illius vſque in finem retinuerimus. Atque huic fouendæ notitiæ cogitationum atque meditationum materiam ſacrorum Dauidis Pſalmorum attenta lectio largè ſufficit. omnis illa quidem quacumque ex parte ineatur, ſed ſingulari ac propria, certa, clariſſimaque deſcriptione Pſalmus is, cuius inſcriptio in exemplari lingua ſic ſonat, LEMNATSEAH GHAL AIALATH HASAHHAR MIZMOR LEDAVID, Latinè ex verbo, *Præſtanti iuxta ceruam auroræ Pſalmus Dauidis.* Pſalmi inſcriptio.

Arbitramur autem carminis vulgatum atque celebre genus ita inchoatum, AIALATH HASAHHAR: cuius exemplar Vati non ſolùm ad modos & numeros, verùm ad voces & ſyllabas fuiſſe propoſitum. Namque iiſdem ipſis literis, quamquam non eodem ordine pronuntiatis, vtrumque incipitur, אלי & אילה: itaque vocum paronomaſia & modorum ſimilitudine admirabilis illa querimonia inſtructa eſt; qua ſeruator orbis Dei vnctus ſubitam ſibi ſponte, atque ex Patris ac ſancti Spiritus miſericordi quoque & communi trium perſonarum conſilio, conditionem deſcribit; vt mortalium omnium infimam & abiectiſſimam ipſo vſu, ita reſpectu maturati ac demum præſtiti fructus, cunctarum quæ laudari merentur, præſtantiſſimam & beatiſſimam. quam te nobiſcum & cum ſpiritibus cæleſtibus contemplatum, humano generi, cuius res in hoc Pſalmo agitur, gratulaturum certò ſcio. Vale ex rupe noſtra apud Aracenam, Kalend. Aug. CIↃ. IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

L*Vcis ac tenebrarum diſcordia numquam componenda atque ingens inimicitia ſemper fuerat, non ſecus atque boni & mali, quæ miſceri poſſe rerum natura negat.* Vidit *enim* Deus lucem quòd eſſet bona: & diuiſit lucem à tenebris, appellauitque lucem Diem, & tenebras Noctem. *Res autem ſic habuit ab initio creaturæ, quam creauit Deus, ad ſæculorum vſque finem; cùm verbum caro factum, propoſitum ſibi cum tenebris certamen libens volenſque ſubiens qua* Gen. 1. Crucis victoria.

parte infirmus erat, nempe homo, in ſimilitudin m carnis peccati generis humani communem ac publicam perſonam ſuſtinuit: atque inimicorum, id eſt, peccati, mortis, & inferni, validiſsimum impetum atque immanem pugnam ſolus tulit; laboreq́ maximo cùm corporis tum animi exantlato, moriens denique ſuperauit: demumq́ tenebris deuictis, diſiectis, atque è medio prorſus ſublatis, qui lux venerat in mundum, è mortuis ſuſcitatus victoriæ præmium ſublime tulit nomen, & cæleſtis regni non modo legitimam poſſeſsionem, verùm etiam benigniſsimam cum ſuis communicationem, iis videlicet, à quibus receptus eſt, fratribus vocatis & in paternam familiam conſcriptis ac perpetuæ Dei conſecratis gloriæ. Hæc ſacroſanctæ Chriſti cum tenebris pugnæ ſumma hiſtoria Dauidi Chriſto diuinitus dictata pulcherrimis ac dulciſsimis Pſalmi huius carminibus per vaticinium excepta ac decantata conſtat; cuius primus & optimus interpres, idem patris verbum Ieſus Chriſtus Dei filius, in ipſo certaminis extremo conflictu nobis conſtitit declaratus.

2. Deus Deus meus reſpice in me: quare me dereliquiſti? longè à ſalute mea verba delictorum meorum.

C*Vm legeret Pſalmum hunc ſine vocalibus Latinus interpres noſter prudenter ac ſcitè primas duas primi verſus partes bifariam ſimul reddidit: namque* אלי אלי *ſic legi ac pronunciari licet,* ELI ELI ELAI; *quæ Latinè ſic ſonant,* fortis mi fortis mi, ad me *ſubaudi* reſpice. *Appellatur autem Deus cognomine* fortis, *quod cum præſenti pugnæ & certaminis cauſſa apprimè conuenit. Omnis namque Ieſu Chriſti virtus, vno diuini numinis præſidio, tanquam proprio centro & fundamento, nititur ac fulcitur: quippe numquam diuinitas ab illius humanita-*
Iohan. 10. *te ſeparata fuit.* Ego & Pater vnum ſumus (*aiebat ille*) *& in cruce*
2. Cor. 5. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. *Euangeliſtæ autem hoc hemiſtichium eodē modo omnes exceptum interpretantur,* Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? *à Chriſto homine ex infirmitate crucifixo pronunciatum referentes. Conſtat autem totus Pſalmus partibus tribus; querimonia primùm, qua Chriſtus humanam conditionem à ſe vltrò ſuſceptam peccati extinguendi & abolendi cauſſa omnium hominum duriſsimam & laborioſiſsimam expertus narrat & exponit; humilitatem*
Chriſti agonia. *atque infirmitudinem ſuæ deſcribit carnis, cùm peccatorum, non ſuorum, ſed noſtrorum (quæ moriendo expiabat) immenſo pondere preſſus, & acerrimo affectus veneno, longè magis propter diſſuetudinem vexabatur, quàm cæterorum quiſpiam mortalium ſeſe vexari talia patiendo ſentiret. Namque innatum ſerpentibus ipſis virus, vel nihilum, vel certè longè minus ſentitur, quàm idem puræ & ſanæ cuiuſuis animantis, nedum humanæ, carni conceptum & conbibitum. tum verò, ſi quiſpiam in ignem coniectus nudo exuratur corpore, flammarum atque ignis vim ſentiet quidem ille*

vehe-

vehementem; verùm longè is acerrimam, qui paulò antequam conijceretur in rogum, viuens ac valens totus intus atque in cute viuo ſulphure penetratus, oblitus, ac perunctus fuerat. Atqui IESVS *Chriſtus ſpiritum quidem & corpus eiuſdem cum primo Adamo naturæ obtinuerat, verùm vtrumque puriſsimum & integerrimum, ab omni criminis & culpæ labe ac noxa prorſus alieniſsimum; & homo erat, non qualem ſeſe vetus Adamus paulò poſtquam formatus fuiſſet reddidit, ſed qualem diuina primùm condiderat atque præſtiterat manus. Hoc enim ſanctus Lucas apertè aſtruit, cùm Chriſti generis ſeriem à Ioſepho ac Dauide ad primos vſque hominum parentes contexuit;* Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei. *Idem itaque Chriſtus peccatorum purgationem effecturus, humano generi non natiuum, ſed inſitum & infuſum communiter penituſq; inhærens ac prorſus exuberans venenum, numquam aliàs vllis expiatum remediis, ſolus in arcana illa ſacroſanctaq; cæna vltrò exuctum atque ſuſceptum virtutis propriæ præſtantia in cruce ſuperauit & extinxit. qua in pugna quanquam antea angeli voce ac monitu confortatus, tamen à Patre ſuo extrema quæque laborum ac dolorum ad mortem vſque eandemq; acerbiſsimam perferre ac pati permiſſus eſt. atque hoc pacto abſolutiſsimæ obedientiæ & probatiſsimæ virtutis demum laudibus legitimo iure decoratus & amplificatus, etiam quà homo dicitur, euaſit. Nec enim tam ſublime nomen* quod eſt ſuper omne nomen *adeptus eſſet, niſi ad infimam humanæ humilitatis & ſeruitutis conditionem (peccato proprio immunis) demitti, tentari, atque examinari ſeſe fuiſſet paſſus. quam conditionem hoc Pſalmi initio conqueritur Chriſtus ipſe, non qui reſpuat, aut pro tempore mutari poſcat, vtpote hominum ſaluti efficaciſsimam atque vnicè opportunam; ſed qui verè duriſsimam, difficillimam, &, vt ita loqui ſit fas, miſerrimam, laborioſiſsimamq; teſtetur, perſentiens videlicet ac lamentatus, idem qui laborum omnium atque tentationum patientiſsimus, quàm plurimis iam antea fuerat probatus exemplis. Queritur verò ſe à Deo fortiſsimo derelictum eo tempore, quo languores noſtros omnium portabat, & infirmitates noſtras ipſe ſuper lignum, ſuo nos omnes ſanaturus liuore, ferebat. Nec verò intelligimus illum à Deo (vti dicebamus) prorſus derelictum ac repulſum; ſed infirmitudine, quam ſuſceperat, publica omnium, vehementiſsimè ad extremum vſque laborare ſitum, interim pacis noſtræ impoſitam ſuſtinuiſſe diſciplinam: nam aliàs idem homo idémque Deus mortuus haud fuiſſet, niſi inuictiſsima virtus* EL *in ipſo, quæ nunquam quidem defuit, pauliſper tamen ceſſauiſſet. eſt itaque obſequentiſsimi filij ad ſeuerum iudicem eundemq; fortiſsimum patrem, ſuæ pro aliorum noxa caſtigationis auctorem & ſpectatorem, ex acerbiſsimo dolorum & cruciatuum ſenſu vehemens & efficax exclamatio & querimonia.* Fortis mi, mi fortis, quare *ſiue* ad quid me dereliquiſti? *ita vt quamquam vehementi labore preſſum atque impenſiſsimè dolentem, tamen ad finem vſque premi, vexari, & infirmari*

Chriſti carnis puritas.

Luc. 3.

Redemptionis humanæ myſterium.

Chriſti humiliatio & exaltatio.

Chriſtus vt derelictus dicatur.

decreueris; tantum abeſt, vt me, niſi conſummato per mortem infirmitatis & obedientiæ certamine, laboribus vtriſq; exceptum & ereptum velis.

Longè à ſalute mea verba delictorum meorum] *Scio, inquit, te ita ſtatuiſſe, vt me, quamquam præ nimio peccatorum alienorum pondere clamantem, præ duriſſima caſtigationis diſciplina rugientem, tamen ad extremum vſque infirmitatis meæ voluntatem iuſtitiæ atque voluntati tuæ committere ac prorſus dedere deſideres: vt verò ſentiam, vtq;, quod ſentio, intimo clamem & referam ſenſu, permittis; & vltra omnium antiquorum parentum atque adeò vltra omnium piorum tentationes me ſinis tentari. Exemplaris quidem lectio planior eſt,* RAHHOK MISVGHATHI DIBREI SAAGATHI, longe à ſalute mea verba gemitus, rugitus, & clamoris mei. *Quamquam ego vehementer clamem & rugiam atque gemam, tamen non ideo me hoc acerrimo certamine ereptum iri ſcio, ſed nec ereptum volo,* Non mea voluntas ſed tua fiat. *Interpres noſter affinem vocem* SAGAH *ad expoſitionem* SAAGA *arripuiſſe cenſetur. ſignificat autem* SAGHATHI errorem meum. *& idem, cùm vocalibus careret ſcriptura, plurale pro ſingulari vſurpauit, nimirum quod in vtroque numero* THAV *litera incidere poſſit,* SAGHATHI, erroris *ſiue* delicti mei, SIGOTHI, errorum *ſiue* delictorum meorum. *Atqui perpetuum & continuum laborem ſuum toto illo tenebrarum poteſtatis tempore intelligens, interno clamore ſeſe Deo iudici & gubernatori ſuo repræſentat, videnti quidem & audienti, verùm quoad iuſtitiæ diuinæ ſatis fiat, interea velut conniuenti.*

3. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & noĉte, & non ad inſipientiam mihi.

Chriſtus in corde terræ. *Totis tribus diebus ac totidem noctibus, quibus Chriſtus in corde terræ fuit, hoc eſt, à Cœnæ ſacroſanctæ hora, vſque ad eam qua ex mortuis extitit, (qui legit, intelligat) perpetuo clamore ac ſermone gubernatorem iudicemq; ſuum compellabat; eo modo, quo compellantes & clamantes animos Deus, quamquam ore tacentes, tamen audit ac tenet. Eſt autem hic infirmiorum, & grauiſſimè ægrotantium naturalis affectus, qui quamquam lingua nihil pronuntient, tamen quandiu dolent, id ſemper animo ac mente voluunt, id agunt, & ſecum atque cum Deo conqueſti curant & repetunt. Futurum* clamabo *perpetuitatem, vt ſæpe aliàs, adſignificat,* inceſſanter clamo. *Erat autem clamor ille ad Deum ſuum, gubernatorem atque iudicem omnium hominum, quorum damnatorum ſuppliciiq; deſtinatorum partes ipſe præſtabat ac ſuſtinebat, ſuorumq; commendabat & vouebat ſalutem ac liberationem. Nec verò ſe homines vocare aut appellare ait, in quibus nulla ſalus eſt; ſed Deum ſuum.* & non exaudies] *exaudire hoc loco idem quod reſpondere eſt,* THAGHANEH, non reſpondebis. *Clamante me, tu interim taces, non qui non audias, ſed qui taciti ac ſeue-*

ac ſeueri iudicis more, animum, laborem, doloremq́ meum contempleris, dies atque noctes perpetua acerbitate ducentis, & numquam gemere, & intra animum clamare ceſſantis. hoc ſignificare vult verſio, & non ad inſipientiam mihi; *id eſt, nec interdiu nec noctu vel dolore careo, vel ſenſu & cognitione eorum quæ perpetior, & quamobrem perpetiar, vaco. Ex exemplari lingua clariſſimè res percipitur.* VELO DVMIAH LI & non ſilentium mihi, *id eſt,* numquam enim ſileo. *Atqui maximum ac ſingulare taciturnitatis & conniuentiæ (vt ita loquamur) diuinæ exemplum, maximæ quoque ac ſingularis cauſſæ atque rei eiuſdemq́ nouæ argumentum, præbet: nam quodcumque eodem ſe ſemper habens modo tamen inſueta notatur exceptione, rarum aliquod & maximi ponderis arguit negotium, in naturali præſertim efficacitate & virtute; cuius argumentationis non pauca apud poëtas occurrunt exempla. Contexitur autem argumentatio ſic,*

4. Tu autem in ſancto habitas, Laus Iſraël.

Cumprimis illud ſtatuitur, Deum eâdem ſemper virtutis, efficacitatis, ac numinis, atque prouidentiæ maieſtate ac ſingularitate vigere, atque immutabiliter valere, qua in Iſraëlis dilecta ſibi domo, familia, & gēte, probatus ac ſæpiſſimè laudatus prædicatusq́ enituit, & conſtitit; non ipſis modò, quos apertis, manifeſtis, nec vulgaribus & communibus beneficiis proſecutus fouerat, verùm hoſtibus etiam, atque adeò gentibus omnibus, quibus Iſraële ornando & amplificando ſeſe præbuerat ac declarauerat admirabilem. Hæc eſt aſſertionis plana explicatio illius: Tu autem in ſancto habitas, Laus Iſraël; *ex exemplari verbo,* VEATHAH KADOS IOSEB THEHILOTH ISRAEL, & tu ſanctus ſedes, Laudes Iſraël. Dei erga Iſraëlem prouidentia.

Sanctus dicitur Deus non propter naturam ſolùm, qua vnicè ſibi conſtat, nulli alij comparandus aut ſociandus naturæ; ſed etiam propter prouidentiæ atque efficientiæ, tum communis in omnes mundi partes, tum verò ſingularis in ſibi dilectos, manifeſtam ac declaratam facultatem, rebuſq́ comprobatam ipſis. quam ſanctitatis rationem ex illo didicimus carmine, In exitu Iſraël de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro: Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſraël poteſtas eius. Habitare *verò, ſiue* ſedere, *conſtantiæ & quietis perpetuitatis durationisq́ ſignificationem obtinet. idem, inquit, nunc tu es qui ſemper fuiſti; eodem beneficentiæ, miſericordiæ, atque prouidentiæ in omnes, in Iſraëlem verò ſingulariter declarato numine, manes & perſtas; à nemine impeditus, per neminem, nec per te ipſum, varius ac mobilis; idem demum es, quem compluribus temporibus, quàm plurimorum beneficiorum in ſe poſitorum laudibus Iſraël, & pater & patris poſteritas eodem dicta nomine, ſæpius celebrauit. Atque hanc aſſertionem expoliendo confirmat auctor idem:* Deus ſanctus. *Pſal. 113.*

5. In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt, & liberaſti eos.

Spei virtus. *Spei virtus animo inſidet, vt fides, Deumq́; ſolum inſpectorem, teſtem, & approbatorem ſortitur: quantum enim quiſpiam ſperet, quantum fidat, non ex oratione, ſed ex euentu perſpicitur: nam qui voti compos euaſerit,*
Rom. 5. *idem ritè ac legitimè ſperaſſe probatur; S. S. E.* Spes non confundit. *id quod de legitima & firmiſſima beneq́; inita ſpe dicitur. cùm verò ex animi ſententia res eueniunt, rectæ ſpei pariter afferunt ſignificationem. Verbum* BATAHH fidere, confidere & ſperare *Latinè interpretamur; atque nomen* BETAHH *ex eodem verbo ductum* fidentem ſpem *vertere licet. Innumera verò variis temporibus difficultatum commemorantur exempla; quibus omnibus Abrahamus, Iſaacus, Iacobus, atque horum etiam poſteri, apud Cananæos & Chaldæos, apud Aegyptios, & apud alios etiam homines, tentati & exerciti, tamen bonis bonæ ſpei euentibus incolumes euaſere. Prius verbum,* in te ſperauerunt, *rem ipſam & virtutem aſſerit; poſterius verò* ſperauerunt, *non ad repetitionem, ſed ad compoſitionem referimus, hoc ſenſu: nouimus patres noſtros in te ſperaſſe, eoſdémque ſpei ſuæ compotes factos incolumes præſtitos.* In te *illi* ſperauerunt; *atque ijdem qui ſperarunt, ita vt ſperauerant, iiſdemq́; temporibus & periculis liberati auctore te emicuere:* VETHEPALETENV, *illos eoſdem tu* liberaſti: *nam rerum ipſarum ac periculorum magnitudo ſuperata, nullam aliam niſi tuam ſolius probare virtutem potuit; vtpote maximam & in extremis ac duriſſimis rebus præcipuè ſpectabilem. Id quod vt illi in ſeipſis verè ſenſerunt, ita etiam vtroque nomine, tam ſpei & fiduciæ ſuæ, quàm opis opportunè à te latæ, cæteris manifeſtè probauerunt mortalibus: fiduciæ enim ſuæ argumentum clamores & precationes in rebus temporibuſq́; difficillimis, tuæ verò ſingularis prouidentiæ atque opitulationis manifeſtum euentus ipſi præbuere ſignum.*

6. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.

Poſterior pars, hoc eſt, conſequens exitus, prioris indicium certiſſimum fuit; videlicet fiduciæ atque ſpei non fruſtra conceptæ, in difficillimis præſertim periculis, quibus diuina manifeſtè apparet virtus, eos diſſoluens ac vindicans nodos, quos nulla minor aut ſapientia expedire, aut vis diſſoluere ac vindicare valeret. Et non ſunt confuſi] *pudefacti aut ſpe fruſtrati ſua. Atque hactenus totius argumentationis primum caput inſtructum, hoc eſt, maior quæ vocatur dialecticis, rhetoribus verò propoſitio, cum explicationibus partibuſq́; ſuis. Eſt enim argumentationis totius illa breuiter ſumma. Mi fortis, præſidiumq́; meum, ſpectantibus me, à te derelictus videor, iiſdemq́; indignus putor, qui à te ſalutem impetrem; vtpote*

pote tibi inuiſus & infenſus ex illorum opinione. cui adſtruendæ illa comparantur argumenta; neminem tibi carum, quamquam laborare permiſſum, tamen in labore periiſſe; ſed ſperantes atque fidentes tibi omnes è magnis fuiſſe palàm ereptos periculis: id quod manifeſtis patrum noſtrorum exemplis exploratum conſtat; atque hoc tunc præcipuè fuiſſe ſpectatum, cùm tempora maximè opportuna inciderent, hoc eſt, in extremis laboribus piorum tuamq́ opem poſcentium virorum. cuius rei exemplo in me requiſito, me nec pium, nec tibi dilectum, aduerſarij argutari, & exprobrare ſtudent mei. Namque primùm omnibus in confeſſo eſt mecum, nempe te in opportunitatibus, in tribulatione, piis & in te ſperantibus hominibus præſentem ſalutaremq́ probari; me autem in maxima preſſura te vnicū Deum gubernatorem iudicemq́ meum appellare, nec experiri tamen adiutorem, quin potiùs aduerſum viſum; atque ideò improbæ cauſſæ putari conuictum. Duo enim ſi ſimul in homine concurrant, vera pietas, & maxima difficultas atque afflictio, certam auxilium petentis promittunt ſpem. quæ duo in me ſimul eſſe iſti negant, cùm alterum, hoc eſt, ſummus labor ac duriſſimus atque infima temporum conditio apertè cunctis conſtet: qualem & ipſe ſentiens & clamans ac gemens indico. Siquidem alij, quamquam oppreſſi aliquando, ad ferendos labores, viribus, robore, atque valetudine firmiore ſpectabantur, & ſpectaculo ſui multorum clementiam & miſericordiam humanitatemq́ ſolicitabant. ego verò omnium hominum viliſſimus & abiectiſſimus ducor, vtpote ſeruilibus modis interfici ac perire damnatus.

7. Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.

In quem humilitatis & abiectionis locum Dei filius Chriſtus fuerit pro nobis deſcendere permiſſus, vel hoc vnico indicatur verſu, ſimulq́ arguitur peruerſæ humanitatis improbitas; à qua ſumma probitas, & genuina, libera, ac ſimpliciſſima humanitas indigniſſimis fuerit excepta modis: iuxta illud, In propria venit, & ſui eum non receperunt. *Nulla enim rerum natura æquè Chriſto propria fuit atque humanitas, id eſt, homines ipſi: apud nullum autem rerum genus non cognitus acceptuſq́ fuit, niſi apud homines tantùm: quippe cui in ſolitudine feræ obſequebantur, angeli miniſtrabant, venti & mare obediebant in aquis, ipſa rerum copia cibos aliis diuidendos non ſemel ſuggeſſit. quas tamen naturas nec ille ſubierat, nec ſeruandas redemptor ſuſceperat: humanæ autem naturæ adiunctus & Adami filiorum vicem præſtiturus, duriſſimè & iniquiſſimè fuit exceptus. Namque vt arcana & myſtica taceamus, quæ nunc reuelare opportunum minus ducimus; nulla mortalibus vlterior laborum conditio quàm mors eſt; nulla mors durior quàm ſeruile ſupplicium; in quo genere crux omnium abiectiſſima ac deſpectiſſima habetur, maximè quæ opprobriis, deriſionibus, & variis ludibriis ac nouis cruciatibus & exprobrationibus cumulatur. quæ*

Chriſti humiliatio.

Iohan. 1.

Chriſtus ab omnibus rebus præter homines exceptus.

omnia

omnia in vnum Chriſtum edita, ſummam præferebant miſeriam; atque apud humanam ſapientiam, Dei quoque inviſum caput notare & arguere contendebant. Ego autem ſum vermis] *non vir ſanctus eſſe credor (quales ij qui aliquando è duris rebus liberati fuerant, habebantur) ſed terreſtris quiſpiam vermis, inutileq́; telluris pondus; & tale monſtrum, vt humani generis opprobrium videar, cuiuſmodi ea quæ monſtra vel monſtro ſimilia habentur.* Non homo] LO IS, non vir. *nam*
V.c. *nomen* IS *præſtantiam magis quàm naturam ſignificat. Tantum abeſt vt inter viros numerer, vt vermibus abiectiſſimis par exiſtimer; pudeatq́; homines ipſos filios Adami, ſi hominem me ſimilem ſui, ſed potiùs generis humani vocent opprobrium. Quid mirum verò, quando omnium hominum, quamlibet deteſtabilium, ſcelera & peccata atque immania etiam flagitia huic vni ſuſcepta, Deus impoſuerat luenda & expianda? qui quo loco id*
Iſai. 53. *temporis fuerit, ab aliis etiam indicatur Vatibus.* Non eſt ſpecies ei neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum: deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus, vnde nec reputauimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit; & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & in liuore eius ſanati ſumus. *Ex quo vaticinio luce clariùs apparet, quid Chriſtus de conditione ſua in cruce pendens Deo commemoret Patri.* Opprobrium hominum] HHERPATH ADAM, *idem quod Latinè: generis humani dedecus & hominis prodigium, vulgi irriſionibus & inſultationibus expoſitum. hoc ſignificat amplificatio illa,* abiectio plebis, BEZVIGHAM, deſpectus vulgo, *qui plerumque temerè damnatos omnes promiſcuè odit, & miſerorum inſultat calamitatibus; tantum abeſt vt miſereatur aut condoleat.*

8. Omnes videntes me, deriſerunt me: locuti ſunt labiis, & mouerunt caput.

Vulgi mos. *Magiſtratuum & nobiliorum iudicia, qualiacumque ſint, populus ferè ſemper ſequitur. ita factum eſt, vt qui nuper ingreſſum Ieſum Ieroſolymam, plauſibus & acclamationibus ac publica lætitia exceperat; paulo pòſt captum in iudiciumq́; ductum, à principibus perſuaſus ad ſupplicium poſtulauerit, damnatum verò indignis modis tractari gauderet, ac demum cruci affixum, dicteriis, probris, & irriſionibus ad extremum vſque fuerit proſecutus. Tantum humana prauitas veræ virtuti atque ſimplicitati ſeſe præbet inimicam, vt etiam ſummis affecta beneficiis, ingratiſſimam ſe &*
Caput mouere. *iniurioſiſſimam reddat.* Omnes videntes, *quicumque carnis & ſanguinis, hoc eſt, veteris Adami, ſenſu aguntur,* mouerunt caput] *Vehemen-*

hementer irridentium & inſultantium habitus eſt ; vt illud, Sibilauerunt & mouerunt caput ſuum ſuper filiam Ieruſalem. Locuti ſunt labiis] *Hac formula geſticulatæ pinguntur inſultationes ; quæ non communi tantùm habitu & geſtu, ſed productis prominentibusq́; labiis vulgo pronuntiantur. Irriſionis autem ſummum argumentum eiuſmodi futurum, Spiritus ſanctus Vati dictabat.* Thren. 2.

9. Sperauit in Domino, eripiat eum : ſaluum faciat eum, quoniam vult eum.

Sarcaſmum vocant huius tropum artifices : cùm iis qui grauiſſimo laborant incommodo, aut etiam qui victori ſuccubuere, aut aliàs anguſta conditione afflictis, ea obijciuntur & exprobrantur ſtudia, propter quæ in præſentem deuenerint conditionem: vt illud, Sarcaſmos

En agros, & quam bello Troiane petiſti
Heſperiam metire iacens.

Vergil. Æneid. xij.

Quæ ſi fuerint vitioſa ſtudia aut ambitioſa cœpta, quamquam afflictis & laborantibus obiicere inhumanum ducatur, tamen minùs intolerabile, quàm ſi pia, religioſa, ſimplicia, & nemini mortalium grauia, damnoſa, aut importuna, immò boni potiùs extiterint exempli. Summæ enim peruerſitatis malitia illa eſt, quæ rem ab exitu notans, etſi natura ſua bonam, tamẽ damnat, irridet, atque ex ludibrio interpretatur. id quod Iob ab amicis identidem expertus, grauiter dolere ſolet. Quid enim honeſtius, vel dictu vel cogitatu pulchrius, quàm ſiquis totum ſe Deo diuinæq́; prouidentiæ niti profiteatur? tamen & hoc humana feritas, &, quod indignius eſt, ementita virtutis perſona, atque ingenioſa mortalium induſtria, ad irriſionem & inſultationem aduerſus probos ac verè pios & ſanctos arripit ; dum ſua vel vitia vel fucatam ſanctimoniam potiorem videri, nec vlla reprehenſionis parte tangi ſatagit. Grauis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ eius. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immunditiis, & præfert nouiſſima iuſtorum, & gloriatur patrem ſe habere Deum. Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus quæ ventura ſunt illi, & ſciemus quæ erunt nouiſſima illius. Si enim eſt verus filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum, vt ſciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpiſſima condemnemus eum : erit enim ei reſpectus ex ſermonibus illius. *Quid apertius? quid expreſſius? immò quid æquè vnum ſarcaſmo illi?* Prætereuntes autem blaſphemabant eum mouentes capita ſua, & dicentes : Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas : ſalua temetipſum : ſi filius Dei es, deſcende de cruce. Similiter & principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & ſenioribus dicebant : Alios ſal-

Iudicium ex euentu peruerſiſſimum.

Sapient. 2.

Matth. 27.

uos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere: ſi rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo, liberet nunc, ſi vult eum: dixit enim: Quia filius Dei ſum. *Grauiſsimum autem veræ pietati, atque ſimpliciſsimæ veritati, ſiniſtræ & pugnantis interpretationis telum à mendace & falſo iudicio coniectum; ita vt quidquid in ſe pius vir dictum & actum atque tentatum ſenſerit, æquo ac patienti ferat animo, blaſphemiam autem in Spiritum ſanctum dictam duriſsimam ſibi atque intolerabilem ſentiat; præſertim ab iis, quorum bono ſtuduerit & conſuluerit. Quidquid autem* IESVS *in diebus carnis ſuæ egerat & fecerat, hominum ſalutis cauſſa fecerat; fecerat autem beneficia innumera, quæ non humanam, ſed apertè diuinam indicabant virtutem & efficientiam. Hæc verò non Deo auctori referre, indignum auſum, ſummumq́ue iudicauit nefas; quod vt auertat, atque humanis diſſuadeat mentibus, non cum hominibus, verùm cum Deo ipſo, tanquam vero auctore atque iuſtiſsimo iudice, & ſui honoris atque propriæ auctoritatis vindice, agit; remq́ue ipſam altiùs repetitam deducit & confirmat; nempe ſeſe Deo carum, dilectum, & ſuſceptum, atque ſacratum, ſanctumq́ue prorſus ab initio ſuæ geneſeos ad vltimum vſque ſpiritum, & vlteriùs etiam conſtare.*

Grauiſſimum veræ pietati telum.

Blaſphemia in Spiritum ſanctum.

Chriſtus Deo ſacratus.

10. Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre: ſpes mea ab vberibus matris meæ.

Singularem Dei patris erga ſe dilectionem & prouidentiam, ab vſque prima quâ conceptus fuerat hora, IESVS *agnoſcit; vtpote ſingulari modo atque exemplo non ſolùm ortus, ſed genitus atque etiam educatus. genitus quidem atque intra materni alui clauſtra fotus non vllo communi cum cæteris hominibus labore, non matris dolore aut faſtidio vllo, qualia cæteris accidunt fæminis; ex illo:* Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios. *At verò vnicus hic Altiſsimi vocatus filius, qui ſanctorum primogenitus idem fuit, ſancti Spiritus diuina virtute genitus, nihil ipſe originalis contraxit laboris, immò nec potuit contrahere propter puriſsimam diuini ſpiritus in materno ſanguine efficientiam; nihil etiam doloris aut ærumnæ ſuæ matri inter mulieres omnes benedictæ attulit, pari integritate in conceptu atque in partu ſanctificatæ. Hæc verò omnia arcana atque ſingularia momenta admirandaq́ue exempla, vnico vocabulo* NAHH *ſignificanda diuinus Spiritus Vati ſuggeſsit. ſignificat autem vox,* NAHHI, quies mea; *cuius vis omnem prorſus motum laboremq́ue excludit. hoc idem ſignificare voluit Latinus interpres verbo* extraxiſti *vſurpato. Nam quod ſolus Deus extraxit, omnis penitus laboris immune liberumq́ue euadit. Quæ verò mater diuina efficientia concepit ac peperit, eadem quoque efficientia natum pauit atque educauit; cuius vbera, non ex naturæ ſed ex Dei virtute, commodi lactis copia ſancta etiam ſuffecerunt. His accedit quoque, quòd ſtatim recèns orto infanti commotæ*

Chriſti conceptionis ſingularitas.

Gen. 3.

Virginis partus.

Virginis lac & Chriſti infantia.

inuidiæ periculum, Deo curante ac proſpiciente, declinatum ac vitatum fuerit per Ioſephum alumnum ab Angelo monitum. Spes mea, BETHAHHI, fiducia mea, ab vberibus matris meæ] AB, *Latina præpoſitio hoc loco idem valet quod* GHAL, apud, iuxta, & ſupra. *Nec verò conceptum, educatum, & cuſtoditum ſolummodo, ſed etiam omnibus adiumentis, præſidiis, atque adeò ope & officiis, quæcumque ab homine erga fœtum & infantem exigi conſtareq́ue ſolent, ſola Dei virtute ſeſe affectum fatetur ac prædicat: vtpote qui ob eam rem, nec excipiente obſtetrice aut alia indiguerit ope, ſed potiùs omni ex parte, omnibus nominibus, ad creſcendum, ad rectè valendum, viuidus, vigens, ac fortis & integer perſeuerarit ſecundùm carnem & humanam quam ſumpſerat naturam.*

11. In te proiectus ſum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu.

ELI *vnum ex diuinis nominibus, quod ad vigorem, fortitudinem & efficacitatem refertur.* Ex vtero] *Nomen* REHHEM *materna viſcera primùm, deinde etiam vehementem amorem, qualis matrum erga filios conſtat, ſignificat. ad vtramque verò ſignificationem verbi Dei caro facti natiuitas & præſentia refertur.* BETEN *verò commune nomen vteri ac ventris, atque etiam interiorum omnium corporis partium, in quibus vitalis collocatur ac verſatur ſpiritus. Hæc igitur ſingularis prouidentiæ, curæ ac virtutis in tenero infante ab ipſis vſque materni alui primordiis certa ac perpetua exempla magnam etiam cauſſam, quamobrem edita fuerint, portenderunt, hoc eſt, magnum laborem; cui præſtando perpetuum certumq́ue experiretur diuinum præſidium, qualemq́ue nunc iam ſibi ſubitum firmiſſima victoriæ ac ſalutis adipiſcendæ ſpe ac voto fortiter ſuſtinet ac perfert.*

12. Ne diſceſſeris à me; quoniam tribulatio proxima eſt, quoniam non eſt qui adiuuet.

Virtutis atque admirandæ fortitudinis à Deo ſibi prouiſæ cauſſam iam nunc declaratam refert, ac patri Deo fouendam promouendamq́ue commendat; videlicet magnam illam arcanamq́ue Exodum, quem Ieroſolymis, hoc eſt, in altæ pacis viſione & perfectione, expleturus & abſoluturus fuerat; quodq́ue in Aegyptiacæ cladis & ſalutis atque euaſionis è mari rubro hiſtoria, vt in imagine, conſtabat relatum. Fuit autem certamen illud maximum, quo ſacroſancta Ieſu Chriſti humanitas cum peruerſa hominum & corrupta natura conflictata tribus diebus ac noctibus in corde terræ ſeſe validiſſimè exercuit, ac demum peracto exantlatoq́ue labore, victoriæ atque æterni ſupremiq́ue nominis compos euaſit. Quoniam Deus erat in Chriſto mundum *peruerſum deſtruens, & purum atque ornatum* reconcilians ſibi. *In hac itaque ſuſcepti maximiq́ue laboris & extremæ pugnæ hora, di-*

Luc. 9. Exodus expleta in Ieruſalem.

Chriſtus in corde terræ.

2. Cor. 5.

uinam opem ſemper aliàs certam expertus, certiſsimam experiri ſe optat, poſcit, ac vouet; vtpote dignam, quæ in maximis probetur periculis, in iiſdemq́; probari conſuetam. Quàm verò opportunè & expectet & poſcat, laborum expoſitione ſuorum declarat, maximorum quidem, atque nullius humanæ virtutis opitulatione ſibi vni ſubitorum. id quod & apud alium Vatem idem ipſe Chriſtus narrare auditur; Torcular calcaui ſolus, & de Gentibus non eſt vir mecum. *Apud hunc verò hoc in Pſalmo ac voto ſic:* Quoniam tribulatio proxima eſt: quoniam non eſt qui adiuuet. *Tribulatio ſumma & arctiſsima in laboribus anguſtia Chriſto fuit, illo temporis momento, quo ipſe & mortali excedens vita corporis, mortalem vnà ſecum victor corripuit, deiecit, atque prorſus extinxit mortem, hoſtibus cunctis in ſui ſanguinis baptiſmate demerſis, & conſumptis prorſus atque de medio ſublatis. Pugnæ porrò atque laboris imaginem ſui, tranſlatis ex hoſtili obſidione verbis depingit aptiſsimè; quibus inimicorum temeritatem, vires, impetum, furorem, ac pertinaciam, & mutuum ad pugnam conſenſum exprimit.*

Iſai. 63.

13. Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me.

Hiſtoriæ veritas aperta ac notiſsima, arcanæ obſidionis & inuaſionis præfert imaginem. Scimus IESVM *à Pontificum & ſeniorum ſeruis ac miniſtris & ſatellitibus magno impetu atque tumultu captum & comprehenſum, ligatum atque indignis habitum modis, demumq́; ad Pontificum domos deductum, ibidemq́; iniquis animis atque inſolentibus vexatum contumeliis: tandem prætori Romano, homini infideli, traditum, & ab omnibus communiter ad necem & crucem poſtulatum. Iſtorum autem omnium temeritatem, inuidiam, & ſæuitiam impotentibus vitulorum inſultibus, & indomitorum taurorum furori comparat & aſsimilat: quorum in pugna mos ingeniumq́; eſſe ſolet, eam animam quam perdere curent, cumprimis vallare atque ambire, euadendiq́; locum omnem præcludere; deinde impetu à robuſtioribus facto opprimere, peſſundare, & interficere. hæc ad hiſtoriam Chriſti à Iudæis & Gentibus, militibus inquam Romanorum, ad mortem vſque vexati. Verùm enimuerò, longè maiori labori & importuniori vaxationi adſcribendus eſt ille conflictus inſolentiæ ac impotentiæ peccatorum prauæ hominum corruptæq́; naturæ, cum ſimpliciſsima & innocentiſſima verbi Dei humanitate & modeſtiſsima humilitate atque patientia, dum altera alteri vitam eripere & mortem contendit inferre. Nam peccatorum innumerabilis & impotens copia, qua filius Dei vexabatur ſuſceptâ, vitulorum multorum nomine ſignificatur; vis verò & proteruitas ac vehementia, ſuiq́; conſeruandi ac dominationem in carne propagandi auiditas,* taurorum pinguium *ſiue* BASAN *Vocabulo ad viuum ferè exprimuntur.* Vituli multi] PARIM RABBIM, *à procreatione & pro-*

Chriſti agonia.

& propagatione vocantur, PARIM, *quos Latinus ſermo* iuuencos *nominat: talis autem fuit immenſa illa ſcelerum & flagitiorum propagatio ex vno primæuæ originis delicto diffuſa. Corpus autem ipſum peccati cum præcipuis membris auaritia & ambitione atque libidine,* ABIRI BASAN, validi tauri] BASAN *dictitantur. Pro* BASAN *(qui notiſſimus & celebratiſſimus vltra Iordanem ſaltus atque armentorum fertiliſſimus eſt) Latinus interpres ad hiſtoriæ ſenſum* Pingues *reddidit, ſingulari nomine pro communi ſeruiente per antonomaſiam ſiue Synecdochen. Verùm ad arcanam rationem commodiſſimè & aptiſſimè vſurpatum* BASAN, *adnominationem affinitatemq́ præfert cum* BASAR; *quod carnem, & abſolutè poſitum humanam ſignificat naturam; vt,* Non glorietur omnis caro. *&,* Omnis caro fœnum. *& quod hæc omnia in arcano ſeceſſu comprehendit,* Verbum caro factum eſt.

Baſan. *1. Cor. 1.* *1. Pet. 1.* *Iohan. 1.*

14. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.

Hiſtoria manifeſta apud Euangelij ſcriptores; myſterium Chriſti teſtibus & paßionum conſortibus declaratum. Princeps mundi huius quamquam in Chriſto nihil haberet, admiſſus tamen ad poſtremas tentationes, ingenium, vim, rabiemq́ ad ſummum exercuit, ſi quo modo vel aliqua parte nocere, vel ipſe iudicium valeret euadere. huc illud reſpicit, Et conſummata omni tentatione diabolus receſſit ab illo vſque ad tempus. *ad hoc vſque tempus extremorum Ieſu Chriſti laborum. Duplici autem æſtu vrgebatur Chriſtus eo tempore, quo generis humani operabatur ſalutem; altero interni ac proprij amoris & miſericordiæ erga homines; altero incendij peccatorum, quod craſſiſſima & acerrima in fæce flagrabat. Vtrumque forti & inuicto animo, tamen tenerrima carne & puriſſimo ſuſtinebat ſpiritu, donec proprio alienum illud exteriùs aſcitum vinceretur. Vtriuſque æſtus & feruoris locus in corde, quod princeps in corpore pars habetur, atque ſpirituum officina cunctorum dicitur. cuius partis cum vtroque æſtu conflictatio, ex imagine ad ſenſum & ad tactum accommodata indicatur.*

Chriſti tentationes poſtremæ. *Luc. 4.* Chriſti in paſſione certamen.

15. Sicut aqua effuſus ſum: & diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.

16. Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis; & in puluerem mortis deduxiſti me.

Summam ac diuinam Chriſti virtutem, ſuſceptæ carnis infirmitate perfici Deus voluit; atque ita ſummum humilitatis exemplum, in æternam victoriæ ac publicæ ſalutis gloriam perpetuaſq́ euadere in laudes; ex decreto illo: Qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. *Luc. 14.*

Ignis natura. tur. *Omnis autem oratio ac ſignificatio hæc ab ignis vi & efficacitate transfertur: quam attentè animaduertere opus eſt. conſtat enim duos ignes commiſſos inter ſe pugnare, ac de victoria & internecione contendere: demum verò minorem à maiori ſuperatum, extingui, & conſumi prorſus. Chriſti diuinus amor eam ſibi vim, efficacitatem, & virtutem arrogat, de qua ſcriptum legimus,* Deus noſter ignis conſumens eſt. *Namque hanc eandem rem ſignificabat ille cùm diceret;* Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? *Peccatorum verò ac vitiorum humani generis natura, teterrima, fæculenta, craſſa ac ſulphurea prorſus cenſetur; hoc eſt, ad huiuſmodi imaginem ſordium refertur. atqui hæc cùm à Chriſto in arcanæ Cœnæ ſacramento ſuſcepta fuit, admoti ignis incenſa calore flagrabat; ſimul & ipſum qui ſuſceperat ſuis quoque vexabat æſtibus, donec tandem iſtiuſmodi incendium, diuini ignis patientia & virtute correptum & conſumptum omnino euanuit, atque in informes tenebras, vnde principium & elementa atque fomenta traxerat, ſublatum in nihilumq́; redactum de medio commigrauit. (qui legit myſterium intelligito.) Igitur dum illa durabat pugna, Chriſti ſpiritus vehementer exercebatur, duplici videlicet accenſus igni; altero amoris, patientiæ, atque obſeruationis erga patrem perpetuæ, quam aliàs obedientiam dicunt: atque iuxta vtriuſque æſtus, impetus & motus diuerſos diuerſis idem orationibus lingua interprete efferebat; efferueſcente nimirum alieno illo incendio, factus in agone, orabat, dicens:* Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. *rurſus verò meliore ſuperante æſtu,* Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. *eodem effatu ad tertium vſque repetito, certiſsima illa victrix abſoluit vox,* Non mea voluntas, ſed tua fiat. *quam viſi diuini angeli demum excepit exhortatio. atque ita deinde amoris conſtantem ſententiam proditori quoque ſui ipſe vltro occurrens probabat,* Amice, ad quid veniſti: Iuda oſculo Filium hominis tradis? *Igitur Chriſti cor geminato conflictatum igni in ſpiritu & veritate, non ſecùs atque naturale aurum vehementi multiplicis flammæ vi liquatum viſitur, ſolutum, atque liquefactum, per tranſlationem dicitur.* Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens] *Vox* tanquam *non rem ipſam, ſed imaginem ſimilitudinemq́; affectus & patientiæ ſignificat.* Cor meum in medio ventris mei factum eſt, *in naturæ ſuæ ratione,* tanquam cera liqueſcens *in ſua natura. Quid verò in cæteris corporis partibus patiar ac ſentiam, ex eadem ignis in fictilibus animaduerſa ſimilitudine declaratur; quæ reſolutis & efflatis per ignis vim humoris ſpiritibus, arent, ſiccantur, & excoquuntur; non iam argilla aut creta, ſed vel teſta, vel, ſi vlteriùs etiam exurantur, pulueres & cineres vocanda.* & in puluerem mortis deduxiſti me] *Cùm ad extremum vſque fictilia decoquuntur, colorem inducunt qui magis arenam aut puluerem quàm cretam vel argillam referat; atque ſimilem in conditionem, carnem, oſſa, pellem, omneſq́; corporis ſui partes deductas ait. id quod iuxta vniuſcuiuſque generis naturam fuerit*

Theophr. de igne.

Chriſti amor.

Deut 4. Heb. 12. Luc. 12.

Peccata à Chriſto ſuſcepta.

Chriſti obedientia.

Diuini amoris victoria.

Matth. 26.

Matth. 26 Luc. 22.

rit accipiendum: ita vt idem Chriſti humanitas in ſpiritu ac veritate ſenſerit, quod aurum & argilla vehementiſſimo igni correpta, ſi ſenſu vterentur, ſentirent atque indicarent. In medio ventris mei] *In animalis corpore caua illa pars quam vitalia occupant membra, Græcis* θώραξ *ſiue* ὄλμος *vocata, in ſacra lingua* MEGHAH, *dicitur, pro qua Latinus interpres plerumque reddit* venter: *atque hoc tropo, id quod de ſuis paßionibus hactenus Chriſtus narrauit, ad internos affectus præcipuè referendum indicat. Nam quæ incommoda in imis viſceribus quiſpiam ſentit, nemini alij mortalium perinde nota ſunt atque ipſi qui ſuſtinet.* Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt? *Illud verò,* ſicut aqua effuſus ſum, *in ſacra lingua magis ad naturæ vim exprimitur, in qua nomen* MAIM *dualis perpetuò numeri auditur. id quod non rarò etiam Latinus obſeruat interpres; vt in illo loco,* Omnes ſitientes venite ad aquas. *Quid verò* MAIM *nomine ſignificetur, in Naturæ hiſtoria prolixiùs declarabamus; nempe duos liquores eſſe, quorum mixtione varia, omnium compoſitorum ſub cælo corporum natura conſtat; alterum pinguem, ſalſum alterum: hunc igni inimicum & exitialem, illum verò amicum & proprium pabulum; quem, quandiu cum ſalſo eſt, cùm commodè corripere atque vſurpare non valeat ignis, caloris vi ac ſpiritu primùm ſe iungere laborat: ſeiunctionis opportunitas liquatione paratur; quam ſtatim ab initio molitur ignis. Huiuſmodi igitur vtriuſque incendij ſiue ignis in ſe vim atque efficientiam ſentire Chriſtus ait; primùm liquationem atque effuſionem virium, non ſecus atque duorum liquorum, hoc eſt,* MAIM *ſiue* aquarum; *quam effuſionem, oßium omnium ſiue luxationem ſiue ſeparationem conſequi neceſſe eſt: quorum compago, certo glutinoſi ac ſalſi liquoris temperamento neruis ac iuncturis adhibito, conſiſtit ac retinetur; eodem contrà ſublato, ſoluitur. id quod in corpore, præcipuè verò in ſpiritu ſuo, pati ac ſentire ſe Chriſtus ait præ ſummæ charitatis vi, atque præ nimia etiam peccatorum incendij vltra omne exemplum vehementis acrimonia.* diſperſa ſunt omnia oſſa mea] VEHITHPAREDV, *verbum reciprocum, quod mutuam inter ſe laxationem & ſolutionem ſignificat: qualis in luxatis deprehenditur; ſiue luxatio ex nimio calore, ſiue ex frigore nimio, vt aliquando, ſiue vt plerumque ex redundante acciderit humore. Itaque tota hæc tranſlatio ad ignis naturam vim atque efficacitatem, examinanda eſt, vnà cum conſequentibus exteriorum corporis partium ſymptomatis, habitu, ac ſignis: qualia ſunt;* Aruit tamquam teſta virtus mea. *Internos animi atque cordis vitaliumq́; membrorum æſtus, cutis rigens habitus & linguæ ſiccitas produnt: qualia in iis deprehenduntur, quos vehementior exurit febris, maximè verò quos ad extremum vexat; ſudoris loco non guttas aut humorem, ſed tenue quoddam excrementum, cineris aut minutiſſimæ arenulæ inſtar ex cute remittentibus; quo tempore ab imperitis etiam & vulgo ſupremæ ſorti indicantur vicini.* & in puluerem mortis deduxiſti me.]

Venter. θώραξ. ὄλμος.

1. Cor. 2.

Aquarum genera ſumma. *Iſai. 55.*

Ignis.

Oſſium compago.

Corpus & Spiritus Chriſti in paſſione.

Luxationis cauſæ.

Morti proximis qualis ſudor.

me.] THESAPHETHENI, paraſti me. *Tranſlatio ab ollis vel teſtaceis vaſis igni adpoſitis & ardore incenſis; quæ nigrum colorem, tum ex ſe ipſis remiſſo ſpiritu, tum ex flamma atque fumo, inducunt: atque ita idem verbum bis cum nomine* ZZIR ollam *vel* cacabum *ſignificante inuenitur. Itaque grauiſsimo incendio correpti, atque vehementiſsimo æſtu vexati, cùm corporis tum animi imaginem atque habitum tota hæc deſcriptio repræſentat. Huius verò duriſsimæ excruciationis & affectionis quoſnam & quales quantôſque ſortitus perferat miniſtros, e veſtigio indicat.*

4.Reg.4. Ezech.24.

17. Quoniam circumdederunt me carnes multi, concilium malignantium obſedit me. Foderunt manus meas & pedes meos.

Miniſtri Chriſti paſſionis qui ac quales. Inimicorum Chriſti duo genera.

Inimicorum, quibus miniſtris tantùm vexatur & exercetur, ingenia, vires, animiq́ impulſum & impetum, inſolentiam denique narrat ad laboris & patientiæ ſuæ amplificationem. Duo autem genera inimicorum, ſibi infeſta diſtinguit, alterum canum, *alterum* malignantium *vocabulo indigetat. quæ ſi ex hiſtoria denotentur, gentium fuere cohors, militum inquam Romanorum, qui ex mixta colluuie tum Italorum tum cæterarum gentium colligebantur; & Iudæorum, qui primi captionis ac vinculorum, damnationis, accuſationis, denique poſtulationis Chriſti ad ſupplicium auctores, atque aliis ad nocendum & inſoleſcendum impulſores fuere. hos enim* MERAGHIM, *id eſt,* malos auctores, *illos* KELABIM, canes, *vocat. Ab vtriſque autem ſeſe iniuriis, contumeliis, & ludibriis, plagis, vulneribus, atque opprobriis, denique ſupplicio affectum clamat. id quod factum apud Euangelij ſcriptores conſtat: qui veram publicè ac palàm peractæ & ſpectatæ rei hiſtoriam narrantes, arcanæ etiam vexationis & afflictionis Chriſti imaginem contemplandam proponunt. quam ſpiritus diuini conſortes & myſteriorum compotes agnoſcunt; cernentes, videlicet, duo ſumma peccatorum & ſcelerum capita, quibus Chriſti ſpiritus ad expiandum ſuſceptis, vallatus, ambitus, ac vexatus fuit: vnum quidem eorum, qui nudè ac ſimpliciter, impudenter ac palàm corruptis agunt moribus, canumq́ inſtar vitam degunt: alterum eorum, qui virtutis, pietatis, atque honeſtatis ementita ſpecie, tum ipſi improbè viuunt, tum verò alios qui ſuas non agunt partes, acriter inſectantur, infeſtant, & vexant, callidiſq́ conſiliis & occultis proſequuntur dolis ac malis. His itaque peccatorum vtriuſque generis capitibus & frequentibus copiis ad expiationem ſibi ſuſceptis, & in arcanam pugnam concitis, diuexatum, preſſum, multipliciq́ incommodo atque immenſo labore tentatum, denique ad crucem vſque deductum ac morte affectum, narrat Chriſtus.* Foderunt manus meas & pedes meos] *Antiquiſsimæ lectionis teſtes & indices, quorum opera* MAZZORETH *liber circumfertur, duas in hoc loco lectiones*

Peccatorum genera duo.

MAZZORETH liber.

ctiones adnotant, eaſdemq́; ſimul componendas aſſeuerant, CHARV, *id eſt,* Foderunt, CHARI *hoc eſt,* vt leo. *Leones autem viribus & impetu vltra cæteras feras vehementißimos accepimus, vnguibus verò tum durißimis tum acutißimis, & ad vulnerandam, figendam, retinendamq́; prædam firmißimis valere. Clauorum igitur, quibus cruci Chriſtus confixus fuit, cùm rigidam ac tenacem vim, tum verò acutißimam penetrationem, vulneribus à leone illatis declarat perſimilem; atque animi eorum qui facerent, ſæuitiam, crudelitatem, & feritatem notat pariter.* Foderunt ſicut leo manus meas & pedes meos: CHARV, perforauerunt, confixerunt. Crucis claui.

18. Dinumerauerunt omnia oſſa mea. Ipſi verò conſiderauerunt & inſpexerunt me: 19. diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

Dinumerauerunt omnia oſſa mea] *Non quòd illi curioſè dinumerarint, ſed quod ita diſtenderint, vt ab eodem qui pateretur ſenſu ipſo dignoſci ac dinumerari poſſent. Præ partium ac iuncturarum diſtentione ac dolore, omnibus, inquit, corporis membris & articulis ita doleo, vt numerare & indicare ſingillatim velim, certè poßim. Hanc interpretationem verbum ipſum primæ perſonæ poſtulat* AZZAPER, numerabo, numerare poſſum. *Hiſpanicè cùm quis toto dolet corpore affectum ſenſumq́; ſuum perſimili eloquitur tropo,* No tengo hueſſo que bien me quiera. *Extremæ verò crudelitatis argumentum eſt, alterius incommoda ac tormenta non modò attento & quieto ſpectare ſenſu ac vultu, ſed etiam cum voluptate ac hilaritate ad proprium commodum abuti. id quod aduerſus inimicißimos & infeſtißimos hoſtes factum minùs habetur humanum, nedum aduerſus eum, quem beneficum ac de compluribus bene meritum fuiſſe conſtiterit.* Ipſi verò conſiderauerunt & inſpexerunt me, diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem] *Quos vel innocentis tot modis indignè afflicti, tot plagis tamq́; immanibus affecti cruciatibus, commiſeratione tangi, ac præ miſericordia turbari oporteret; tamen integro ſenſu atque attentis oculis ita laborantem & cunctis è partibus dolentem afflictumq́; intueri nõ piguit: immo, quod extremã ſæuitiã arguit, viuente atq; vidente me, de meis cogitare, agere, ac decernere ſpoliis, atq́; otioſo animo decernere de veſtimẽtis diuidundis, ac tunica, quæ diuidi commodè nõ poterat, ſortis arbitrio cui contingeret committenda. Quæ omnia quamquam in Dauidẽ per figurã ab inimicis vexatum conuenire poßint, præter cruciatus & clauorũ vulnera, tamen reapſe & verè ac ſimpliciter in Chriſti paßione & morte edita & manifeſtè fuere ſpectata.* Poſtquam autem crucifixerunt eum, diuiſerunt veſtimenta eius, ſortem mittentes: vt impleretur quod dictum eſt per Prophe- Matth. 27.

Oſſa dinumerare.

Crudelitas extrema.

Chriſti veſtium ſortitio.

tam dicentem : Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtẽ meam miſerunt ſortem. Et ſedentes ſeruabant eum. *Hoc poſtremum cum illo conuenit*, ipſi verò conſiderauerunt & inſpexerunt me. *Quemadmodum verò narratio hæc communis ad occultos Ieſu Chriſti inimicos, id eſt, ad canes & malignantium concilium arcanè referatur, facile fuerit iis qui viam Domini edocti ſunt, intelligere; cæteris verò omnibus quamlibet ingenio ac literatura præditis, non parùm difficile: myſticam enim Ieſu Chriſti veſtem, quam vnicam ac ſimplicem eſſe Deus voluit, potiùs vnicuipiam ſorte obuenire ſinet, quàm iis qui diſcindere contendunt permittet: quamquam cæteras quæ corpus non ita proximè contingunt, partiri & certis quibuſdam vſurpari patiatur; quales ſunt Lex & Prophetæ. Igitur cùm nullum prorſus in hominibus humaniſq; rebus Chriſto auxilium, nullum præſidium, nihil denique opis conſtare poßit, ab illiſq; potiùs tentamenta, certamina atque incommoda proficiſcantur omnia, reliqua demum fuerit diuinæ virtutis & voluntatis tutela: quæ cùm numquam piorum generi in magnis duriſq; rebus & in difficillimis temporibus defuerit, huic innocentißimo & piorum omnium virorum vltra omnem comparationem piißimo ac diuinæ voluntati obſequentißimo adfutura creditur, ſperatur, & prædicatur, prædicata etiam certo & conſtanti animo ac voto poſcitur.*

Chriſti veſtium myſterium.

20. Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defenſionem meam conſpice.

Chriſti paſſionum ſpectatores.

Ieſu Chriſti tentationes, certamina, & exercitamenta aliis alia mente ſpectantur; tenebrarum principi, vt aduerſario, & canum atque malignantium ſectatori; peccatis ipſis cum quibus pugnatur, vt hoſtibus infeſtißimis & ſeſe tueri ac defendere contendentibus acerbißimeq; dimicantibus; iniquorum hominum turbæ, vt aduerſarij militibus plaudentibus atque inſultantibus; piorum gregi, quamquam mærenti ac dolenti, ſibi tamen magis metuenti quàm laborantem iuuare aut leuare valenti. ſolus atque vnicus miſericors atque efficax Deus eo modo ſpectat, quo aduocati auſpices & promotores ac patroni commißis ac fidei ſuæ creditis viris in magno ac durißimo certamine adeſſe & opportunè opitulari, ſuæq; partis honori ac decori conſulere conſueuerunt. Tu autem Domine] *Vox*, autem, *exceptionis officio in hoc verſu fungitur. Cùm nullum mihi aliunde ſuppetat auxilium, tuum vnicum, ô* IEHVEH, *miſericors & efficax numen, mihi adeſſe ac præſto eſſe ſpero & poſco. concordat cum illo*, Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. *id ipſum Chriſtus hoc loco ſentiens opportunißimè poſcit, cùm ad extremum cum peccatoribus peccatiſq; omnium, victor demum euaſurus, conflictatur.* Ad defenſionem meam conſpice] *in exemplari lingua petitio hæc nomine* ELIOTHAI *inuocandi caſu adnectitur; ſignificat autem idem ferè quod apud nos* vigor, robur, præſidium

Pſal. 15.

dium meum, in auxilium meum conſpice, HHVSSAH, Senti & propera, feſtina; *idem verbum aliàs interpres noſter vertit*, ne moreris. *Pſal.70.*

21. Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam.

Hic manifeſtè myſterium agitur, quod quamquam reuelare minùs valeamus, non indicare tamen non poſſumus. Chriſtus hoc loco percutientis Angeli reſpicit hiſtoriam, qui media nocte per Aegyptum tranſiens, inimicorum primogenitos aboleuit cunctos; idquod Iſraelitis ſolemni monumento celebrandum & recolendum mandabatur. Victima, tranſitus Domini eſt, quando tranſiuit ſuper domos Iſraël in Ægypto, percutiens Ægyptios & domos noſtras liberans. *Idem namque Paſcha, idem Phaſe, ab vno Chriſto in ſpiritu & veritate peractum atque adeò abſolutum fuit, ſuam ipſius animam inter verè arcanos Aegyptios atque veros Iſraëlis filios redemptionem pro multis ponente, & percutientis angeli miniſterium, operam, atque tranſitum ſuſtinente, nec non & gladij plagas in Aegyptiis, quos etiam repræſentabat; ſentiente quidem, & propter delicta noſtra vulnerato, ac propter peccata noſtra attrito, non tamen in morte cum Aegypti primogenitis relicto, ſed ab arcano illo percutientis gladio ſingulariter liberato, atque vitæ caput Iſraëlitarum primogenitis conſtituto.* Traditus *enim* eſt propter delicta noſtra, διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, & reſurrexit διὰ τ̀ δικαίωσιν ἡμῶν, propter iuſtificationem noſtram. *Id igitur, quod verè euenturum Chriſtus vt homo ſperat, patrem Deum, vitæ caput, fontem & auctorem, inſtanter & patienter poſcit.* à framea] *à gladio*; MEHHEREB, à gladio percutientis, & de manu canis. *communem Dei & generis humani inimicum, ſuumq́; inſectatorem ſæuiſſimum Satanam ſiue Diabolum, canem vocat; vtpote inuidiæ parentem; quo præcipuo vitio canum notatur ingenium.* Inuidia *enim* Diaboli mors introiuit in orbem terrarum. *cuius etiam impulſu atque opera Iudæorum populus & Pontifices tanta exarſerunt inuidia, vt innocentem ac publicè bene merentem,* Gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum, IESVM *tradiderint*. Sciebat enim [Præſes] quòd per inuidiam tradidiſſent eum. *Itaque canis inuidia, Chriſtus à Iudæis, à mundi proceribus & ſapientibus oblatratus, vexatus & multifariam inſectatus, deinde damnatus & in mortem traditus, poſt hæc verò cognito ſalutis publicæ myſterio, ſerò iam fruſtraq́; Præſidis intercedente vxore, vt morti ſubduceretur petitus; quod vbi minimè ſucceſſiſſet, tum demum inſana rabie variè indignis modis acceptus, percuſſus, irriſus, & illuſus, atque ad patientiæ tædia irritatus,* Deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. *Ibid.* *Denique crudeliſſimè ſauciatus, & felle, vino, aceto, myrrha, amariſſimis potionibus, ad mortis augenda tormenta exacerbatus; vt vnica anima, animarum omnium ſanctiſſima, ab vnico illo inuidorum inuidentiſſimo cane*

Angeli in Aegypto percutientis myſterium. *Exod.12.* *Rom.4.* Diabolus canis dictus. Inuidia diaboli. *Sapient.2.* Iudæorum inuidia. *Matth.20.* *Matth.27.*

vnicè & ſingulariter vltra omne crudelitatis vexaretur exemplum.

Chriſti anima Vnica cur dicta.

Vnicam meam] *Singulorum hominum ſingulæ animæ ſinguliq́; ſunt ſpiritus; verùm nullius anima propriè* IEHHIDAH, *id eſt,* vnica *dicitur, præterquam eius, quem* præ filiis hominum ſpecioſum forma *Spiritus ſanctus prædicat & celebrat. illa enim naturæ ſanctitate & puritate animabus cæteris tantum præſtat omnibus, quantum id quod perfectè & abſolutè plenum eſt, iis quæ prorſus inania ſunt, antecellit. quibus etiam & id præſtat, ut ex inanitate ac tenebris ad plenitudinem perficiendis virtutem abundè ſufficiat.* De cuius plenitudine omnes accepimus, & gratiam pro gratia. *Vt autem Ieſus, cùm iam omnia quæ de ſe ſcripta erant abſoluiſſet, ſuum in patris Dei manus commendauit ſpiritum; ita etiam propriam atque vnicam animam, diuinæ aduerſum rabientis canis poteſtatem reddit & commendat tutelæ.* Manus *poteſtatis & copiæ ſignificationem præbet, vt in ſacro indicatur Apparatu: de qua re Chriſtus idem:* Hæc, *inquit,* eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. *Quæ niſi diuina virtute effringi non poteſt, virtute, inquam, diuina, lucem à tenebris dirimente.*

Iohan. 1. Manus. Lib. Ioſeph *Luc. 22.*

22. Salua me ex ore leonis; & à cornibus vnicornium humilitatem meam.

Leo. Rhinoceros. Leo violentię ſymbolum. Hypocriſis rhinoceroti comparata.

Duarum præcipuè ferarum notiſſima celebratur & habetur feritas; leonis, cui in cætera animalia ferè omnia, præcipuè verò in manſuetiores quadrupedes, regnum vel potius tyrannidem naturæ peritiores tribuunt; & rhinocerotis, qui tantum capitis vi & impetu valet, vt vel magna taurorum corpora propellere & in altum pilæ inſtar iactare dicatur. Leonis autem ad nocendum facultas vnguibus ac dentibus adſcribitur, eaq́; ad violentiam propriè refertur; rhinocerotis verò induſtria omnis in capite, fronte, & ori proximo cornu ponitur: eademq́; alteri parti humanæ malitiæ comparatur, hoc eſt, calliditati & aſtutiæ atque ſimulationi: quæ quamquam ex corde proficiſcantur, non tamen perinde manu, atque vultu, ore, eloquio, & nutibus ad nocendum efferuntur. ideoq́; cornu non omnis, ſed rhinocerotis ſecundùm os prominentis, referunt imaginem. Igitur leo eorum qui apertè ac ſimpliciter nocent, quales Tyranni, principes, & impotenter ac nequiter peccantes; rhinoceros verò induſtriorum, ac doloſorum ſimulatorumq́; præbet imaginem: cum vtraque autem malorum parte à ſe ſuſcepta & ſubita, duriſſimum negotium & vehemens colluctatio Chriſto fuit; dum vnumquodque genus tueri ſeſe ac propugnare, defendere, atque adeò à morte propria vendicare contendit; atque ambo pariter laborem, fatigationem, & preſſuram augere ad extremum vſque certant, vt vel propoſiti mutationem infirmo ſecundùm carnem moliatur, patientiamq́; imminuat; vel perſeueranti mortem perquam acerbiſſimam reddat. Leo *ſingulariter exceptus Tyrannidis vim ſignificat, quæ ſæpius ab vnico in multos exercetur homines:* Vnicornes *verò multitudinis numero pronuntiati calliditatis notant partes, quæ plerumque, immò ſemper,*

per, non vnius tantùm ſed plurium coactis & coniunctis conſiliis, atque collatis commentis & ſociatis operis, ad rerum ſuarum conſtituendam ſummam abutuntur. Atqui arcana rei ſignificatio ipſo ſubindicatur nomine REMIM, Rhinocerotum, *ſiue* vnicornium, *vt interpres noſter vertit, quòd id animal vnicum ſupra naſum cornu ſit à natura præditum. eſt autem nomen* REAEM *affine valde atque adeò iiſdem conſtans elementis cum verbo & nomine* RAMA, *quod fallere, decipere, diſſimulare atque imponere ſignificat, pluraliter* REMIM *pronuntiatum. Latinus interpres verbum* GHANITHENI, exaudi, *ſiue* excipe me, *vt nomen legit & reddidit* humilitatem meam: *quòd ex eodem verbi themate* GHANAH *deducantur* GHANITHAH, exaudi, & GHANVATHAH, humilitas. *Ab iis itaque, quorum cauſſa, apud quos, & à quibus tantum ſubierit, acceperit, ac pertulerit laboris Chriſtus, liberari, & propoſiti certaminis compos ac victor euadere, Deum patrem præſidiumq́ue ſuum poſcit: cuius opitulationis beneficium perpetuæ laudis & gratulationis munere exoluendum vouet, cum aſſidua commemoratione ad piorum inſtruendos & fide atque ſpe amplificandos animos. omnium enim honeſtarum petitionum argumenta & exempla, ſimilibus grati animi pollicitis iure abſoluuntur & perorantur. eſt autem huiuſmodi prima voti obligatio.*

23. Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio Eccleſiæ laudabo te.

Salutem, vitam, victoriam, & victoriæ debitam gloriam, diuinæ virtuti, efficacitati, voluntati, & benignitati acceptam referendam ſuſcipit & pollicetur; atque ſeſe fratribus ſuis, quos videlicet ſanguine ſuo Deo & Patri filios acquiſierit adoptandosq́ue, tradiderit, narraturum: id enim Chriſtus antiquum ac proprium ſemper obtinet, vt nihil eorum quæ in diebus carnis ſuæ viuens geſſerit, vel eorum quæ moriens confecerit & conſummauerit, quæq́ue poſtea è mortuis redditus atque extans perfecerit, conſtituerit, & firmauerit, priuatè ac ſingulariter ſibi arroget; ſed omnia in vniuerſum ad Patris Dei auctoritatem, & benignitatem, miſericordiámque referat; vſque adeo in hoc propoſito conſtans, vt vel bonitatis elogium, quod ſibi vt homini quamquam digniſſimè deſcribatur, tamen vni diuinitatis naturæ & veritati ſummæ adiudicarit. Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi ſolus Deus. Nomen *virtutem, auctoritatem, & efficacitatem interpretamur.* Fratribus meis] *quos multos in gloriam ille adducturus erat, illis illorumq́ue vnicuique ſingulariter, vtpote paternæ miſericordiæ atque efficientiæ erga ſe compotibus & veraciſſimis teſtibus, nomen Dei ſe narraturum vouet; laudes verò non ſolùm ſanctis, quos potiore iure* fratres *appellari conuenit, vtpote nominis diuini cognitione auctis; verùm etiam omnium fidelium etiam infirmiorum cœtui ac multitudini, ad fidem, ſpem, & perfectorum donorum poſtulationem ſuadendæ*

Chriſtus Patris gloriæ procurator.

Luc. 18.

Nomen Dei.

dendæ & excitandæ. In medio Eccleſiæ laudabo te] *Nomen Dei ſecretius aliquid & magis arcanum quàm laudis nomen indicat. Nam* Laus *generale & commune vocabulum eſt, atque omnibus vel minimis Dei operibus tribuendum.* Laudate Dominum de cælis, *&c. Quæ in illo carmine ad laudes cientur diuinas:* nomen *verò præcipuè diuinæ miſericordiæ ſuprema reſpicit beneficia, S. S. E.* Quid facies magno nomini tuo? *Ita etiam verè, propriè, atque ἀντονομαστικῶς, noui teſtamenti ſancti ac ſelecti, Spiritusq́ primitiis donati homines, fratres vocantur Chriſto, Deiq́ filij dicuntur; cùm antiquos vltra ſeruorum nomen nihil familiarius audire obſeruemus.* Eccleſiæ *autem nomen & titulus in terra non ſanctiores tantùm, ſed infirmiores quoque complectitur, apud quos infirmiores quamquam nomen illud arcanum & efficax Dei non adeò apertè cognoſcatur, propter conditionis infirmitudinem, Laudes tamen innoteſcere, celebrari ac frequentari, digniſſimum opportuniſſimumq́ ſemper fore ex illo docemur:* Omnis ſpiritus laudet Dominum. *id quod vt omnibus tam ſpiritualibus quàm animalibus adhuc (vt ita dicamus) hominibus commune & ad excipiendum habile eſt, ita cunctis palàm communicaturum ſeſe pollicetur ac recipit:* In medio Eccleſiæ laudabo te] *in frequenti hominum cœtu medius ipſe vt ab omnibus audiar. Atque ita ſe Chriſtus Eccleſiæ intereſſe profitetur, vtrumque agens, tum diuino narrando & aperiendo nomine, tum laudibus etiam celebrandis, pro eorum quibuſcum agit conditione & captu: ſunt enim qui beneficium mortis ac reſurrectionis Chriſti penitiùs teneant & agnoſcant: ſunt alij qui ex hiſtoria euangelica credentes admirentur & celebrent. Promiſſæ porrò prædicationis ac laudis argumentum, modorum ac rerum verborumq́ certo exemplo meditatus, exponit & indicat: id quod ad doctrinæ vſum & ſtudium commodiſſimo operæ pretio interdum fieri ſolet. Conuocatos itaque ad nominis diuini cognitionem atque laudis Dei celebritatem quali ſit oratione edocturus, & ad gratulatoriam ſupplicationem adhortaturus, exponit: nempe illa,*

[Margin: Laudes Dei. — *Pſal.* 148. — *Ioſue* 7. — Noui teſtamenti ſancti fratres Chriſti dicti. — Eccleſia ex ſanctis & infirmioribus. — *Pſal.* 150. — Chriſtus Eccleſiæ intereſt.]

23. Qui timetis Dominum, laudate eum: vniuerſum ſemen Iacob glorificate eum: Timeat eum omne ſemen Iſraël.

Ex antiquæ diſciplinæ monumentis & reliquijs accepimus notitiam cultumq́ Dei apud tria hominum genera viguiſſe, non apud omnes æqualem, ſed pro doctrinæ elementis forma & vſu variam: Vnum enim genus habebatur eorum, qui ex communibus beneficiis diuinis apud mortales conſtantibus Deum cognoſcebant, & pro temporis atque loci ratione, more ac ritu colebant. qua conditione Iobum Iobiq́ amicos fuiſſe accepimus. Alij verò vltra iſtos maioris iam doctrinæ elementis imbuti, & fide clariore inſtructi, atque adeò peculiaribus affecti beneficiis, ampliùs & clariùs de diuina

[Margin: Diuinę notitiæ & cultus gradus tres.]

uina natura, prouidentia atque efficientia ſenſerunt, egerunt, atque ſuos inſtituerunt familiares & amicos; vt Iacobus; quandiu eum vel domi apud parentes educari, vel fratris metu exulem in Meſopotamia hærere ac verſari, ætas, res, tempusq́ tulit. at verò eundem à Labani ſoceri inſidiis & affinium inuidia incolumem, pecore & auro locupletem, nullius egentem, demum etiam ex nocturna lucta victorem Iſraëlis perpetuo nomine auctum & celebrem factum, longè etiam maiore ac ſingulari diuinarum cognitione rerum & miſericordiarum certiſſimum ſe profiteri oportuit prædicatorem atque teſtem, & melioris notæ atque conditionis conſortes omnes, qui ſeſe deinceps imitarentur ac referrent, ſuos appellare decuit. Ad iſtarum itaque trium conditionum inſtar, triplex piorum apud antiquos celebratur ordo; primus communior ac latior locis, numeroq́ frequentior, eorum qui vel ex naturæ diſciplina, vel quocumque alio nomine, verum Deum nouerint & coluerint, ob eamq́ rem Dei timentes audierint. vt, Vir erat in terra Hus, nomine Iob, vir ſimplex & rectus & timens Deum. *Secundus eorum, quibus Dei cognitio ac timor & obſeruatio ex domeſtica diſciplina per fidem recepta ac ſuſcepta fuerit, vt Abraham, Iſaac, & Iacobi; tum ipſiuſmet tum liberorum ante reditum ex Meſopotamia in Bethelan. Tertius verò Iacobi ipſius, mutato iam nomine & in Iſraëlem amplificato, ac filiorum illius, qui paternam fidem tenentes nomen etiam ritè ac dignè tuerentur, ex illo tempore quo primùm correpti & ad vitæ & pietatis ſanctiorem formam inſtructi fuerant.* Iacob verò conuocata omni domo ſua, ait; Abiicite Deos alienos qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra. Surgite, & aſcendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo: qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & ſocius fuit itineris mei. *Ex quo tempore familiæ illæ Iſraëlis cognomento nobilitatæ, Iacobi nomen ad priſtinæ tantùm conditionis, hoc eſt, ad ſecundæ claſſis ordinem commemorandum opportunè atque ex occaſione tantummodo vſurpatum auditur. vt in illo,* In exitu Iſraël de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro. *Aliàs autem triplex ordo Iacobi, Iſraëlis, ac timentium Dominum, in tria concedit nomina;* Domus Iſrael ſperauit in Domino. Domus Aaron ſperauit in Domino. Qui timent Dominum ſperauerunt in Domino. *quæ ſic e veſtigio repetuntur,* Benedixit domui Iſraël, benedixit domui Aaron, benedixit omnibus qui timent Dominum, puſillis cum maioribus. *Igitur Chriſtus eandem illam antiqui ordinis imaginem ad ſuarum partium veritatem publicè ac palàm ſibi in ſpiritu & efficientia referendam pollicetur, omnibus poſteritatis ordinibus conuocandis & ad communem ſupplicationem laudumq́ celebritatem inuitandis & inſtruendis, quantum vnuſquiſque ſuo in ordine & loco præſtare valeat ac debeat. id quod diſtinctis expolitur verbis;* Qui timetis Dominum, *quocumque ſitis loco,* Laudate eum. Vniuerſum ſemen Iacob, *priuatæ adhuc & communis conditionis fideles, qui inter laborem & certamina hominum verſati propter gratiam opemq́ diuinam* minimè

Iacob. Iſraël. Timentes Deum. *Iob 1.* *Gen. 35.* *Pſal. 113.* *Ibid.* Domus Iſrael. Domus Aaron. Timentes Dominum

minimè ſuccumbitis, ſed conſeruamini incolumes, glorificate eum, KABEDVHV, amplificate eum, *auctorem, curatorem, conſeruatorem, promotorem, & amplificatorem veſtrum agnoſcite, prædicate & honorate, Iacobi videlicet renouantes imaginem, qui ex Meſopotamia in patriam re-*
Gen. 32. *uertens ita apud Deum narratur egiſſe*. Deus patris mei Abraham, Deus patris mei Iſaac: Domine qui dixiſti mihi: Reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi: minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua quam expleuiſti ſeruo tuo. In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum; & nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Eſau, quia valde eum timeo, ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis. Tu locutus es quòd benefaceres mihi, & dilatares ſemen meum ſicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non poteſt. *Hoc autem frequentiſſimum genus Iacob nondum ad Iſraelis amplitudinem peruecti, magnis tamen donis ac beneficiis in ſpiritu ac veritate prouecti, ad partes etiam vocatur; cui demum & illud aliud felicius collegium adiungitur veri Iſraëlis victoris poſterorum, qui totum quòd eo quo Iſraël appellantur nomine, diuinæ benedictionis auctoritati & efficientiæ acceptum referre debent. Dixit enim*
Ibid. *Iacob*: Non dimittam te niſi benedixeris mihi. Ait ergo: Quod nomen eſt tibi? Reſpondit: Iacob. At ille, Nequaquam, inquit, Iacob, appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis? Interrogauit eum Iacob: Dic mihi, quo appellaris nomine? Reſpondit: Cur quæris nomen meum? & benedixit ei in eodem loco: vocauitque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. *Huius ita amplificati & exornati Iſraëlis progeniem poſteritatemq́; omnem, huic ſoli Domino Deo, ſoli forti, ſoli potenti & efficientiſſimo, reuerentiam, timorem, & obſeruantiam, non autem carni & ſanguini, debere & præſtare oportere ait ad inſtar antiqui parentis; qui poſtquam Iſraëlis à luctæ victoria nomen retulit, neminem præterea metuit mortalium*. Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto ma-
Gen. 46. gis contra homines præualebis? *cui argumento, & illud conuenit*. Profectuſque Iſraël cum omnibus quæ habebat, venit ad Puteum iuramenti, & mactatis ibi victimis Deo patris ſui Iſaac, audiuit eum per viſionem noctis vocantem ſe, & dicentem ſibi: Iacob, Iacob, cui reſpondit: Ecce adſum. Ait illi Deus: Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui: noli timere, ſed deſcende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Timeat eum] *Tria ſacræ linguæ verba* IARAH,
Timere. PAHHAD, & GVR, *Latini interpretes in duo promiſcuè* timere *vel*
Metuere. metuere *vertunt, cùm tamen inter ſe differant: nam* IARAH timorem *ex certa & nota ratione profectum atque animi intentione conceptum ſignificat, in quo genere religio ponitur & conſcientiæ metus: cuius ſignificationis illud apud Satyricum*:

Quis

Quis metus aut pudor eſt ſemper properantis auari.

hoc nomine Iob Deum timens prædicatur. PAHAD *verò ad metum ab externa vel vi vel auctoritate incuſſum vſurpatur, vt à legibus, à minis, atque etiam à vehementi aliquo naturæ impetu, qualem fulmina ac tonitrua humanis interdum ſenſibus & animis afferunt. hunc affectum Latini* terrorem *vel* pauorem *vocant. Nam* Pauor *ab antiquiſſima lingua acceptum arbitramur,* D *in* R *mutato vt ſæpe alias,* PAHHAD, pauet, *inde* pauor. *Huius exemplum illud aptiſſimum,* Iurauit ergo Iacob BEPAHHAD ABIN, per timorem patris ſui Iſaac. *At verò* GVR *non tam metum, terrorem, aut pauorem, quàm magnarum perſonarum vel rerum admirationem vel reuerentiam; qualem regibus, principibus, magna virtute vel ſapientia præditis, atque impensè in nos beneficis, exhibemus. cuius oppoſita vox apud Latinos,* deſpicere *vel* contemnere. *Hoc autem verbo vanos & mendaces Prophetas contemnendos decernit Moſes.* Per tumorem animi ſui Propheta confinxit, & idcirco LO THAGVR MIMENV, non timebis eum; non miraberis aut reuereberis. *Quod verbum hoc loco vſurpatum, Iſraëlis veris filius vnicum Dominum vt felicitatis auctorem ſuæ, & magnificentiſſimè beneficum, ſuſpiciendum, admirandum, atque reuerentiſſimè colendum commendat: quam ſententiam & ſuaſionem illud apud Paullum ſpectat;* Itaque regnum immobile ſuſcipientes, habemus gratiam; per quam ſeruiamus placentes Deo, cum metu & reuerentia. Græcè, *μετ' αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας*, cum obſeruantia & reuerentia. *cuius affectus eueſtigio ratio ſubiungitur,* Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt. *Legitimam verò debitarum laudum rationem, & manifeſtum ius, ſingularis beneficij ac communis etiam vtilitatis fidem & ſpem facientis argumento Chriſtus ipſe gratulabundus exponit; admirandam bonitatem Dei ex naturarum ac perſonarum comparatione primùm, deinde ex actione ac modo circunſtantiisq́ omnibus, atque demum ex euentu, beneficij magnitudinem diuini commemorando.*

Terror. Pauor. D. in R. — Gen. 31. — Deut. 18. — Heb. 12.

25. Quoniam non ſpreuit neque deſpexit deprecationem pauperis.

Vt Deo nihil altitudine & ſublimitate comparatur, ita homine Chriſto & peccatorum omnium vicem ſubeunte nihil indicari poteſt humilius, imò & nihil abiectius, vtpote cuius conditionis vel cæteros homines etiam peccatores tæduerit ac piguerit, Opprobrium hominum & abiectio plebis *habiti; & tamen,* Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra? *Chriſtus quidem,* qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum factus, *extremum abiectionis locum ſubiens, idemq́ peccatorum ludibrio ac inſultationi ante crucem & in cruce expoſitus; quem nemo principum mundi non modò non reſpicere, ſed nec ſui generis aut ſanguinis exiſtimare vellet; quem tangere horrerent delica-*

Chriſti humiliatio. — Pſal. 112. — 2. Cor. 5.

tiores, plagis, probris, & vulneribus plenum, ſanguine manantem, denique vermem non hominem dictum; tamen eodem illo in tempore, loco, ſtatu, habitu, Deus non ſpreuit neque deſpexit] *prius verbum* BAZAH *deſpectionem, derelictionem, & abiectionem ſignificat; qualem experimur & notamus erga nullius momenti res, aut nullius frugis capita, vel etiam aduerſus eos qui maleficiorum ergò à principibus damnati ſunt. Hos enim vulgi ac turbæ inuidia & odium potius quàm miſeratio conſequitur.* SAKATS *verò inhorrere, auerſari, ac deteſtari, vitareq́; Latinè verti poteſt; atque eadem ſignificatione in* Spreuit *ab interprete noſtro verſum.*

Reptilium quorũdam tactus impurus.

Atque in reptilium & ſerpentum natura, certa quædam notantur genera, quorum vel tactus lege etiam vetantur, vtpote impurorum, & manus, corpus, atque adeò veſtes contaminantium. ea genera communi vocabulo SEKETS *nominata, id eſt, vitabile, horribile, atque auerſabile, ſiue deteſtabile: quia quiſquis tetigiſſet, impurus habitus, à ſacris ad certum expiationis tempus arcebatur, vt ex ritualibus conſtat inſtitutis. In huiuſmodi autem conditionis cenſuram Chriſti* IESV *humanitas incidit, publicis hominum ſuſceptis culpis ac noxis, excepti lege vermis nomen vicemq́; ſuſtinens; tamen ab altiſſimo & puriſſimo Deo minimè ſe reiectum gratulatur ac*

Hebr. 5.

prædicat, imò vt Paullus ait, Exauditus eſt pro ſua reuerentia: Deprecationem pauperis] GHANVATH GHANI, *Vtrumque nomen ex eodem deducitur verbo,* GHANAH, affligere, opprimere, humiliare, *& etiam animi motum lingua interprete efferre. non auerſatus eſt humilitatem, abiectionem, & afflictionem oppreſſi & egeni. perſtat autem in eadem vermis translatione.*

Nec auertit faciem ſuam à me; & cùm clamarem ad eum, exaudiuit me.

Solent qui faſtidioſi ſunt, ea genera quæ SEKETS *nominari dicebamus, non modò non tangere, ſed nec adſpicere quidem velle. Tamen ſe in illo ſtatu reſpectum ducit à Deo miſericorde & fauente, atq; ſuſceptam ſibi humillimam conditionem probante, clamantem quoque* pro ſua *(vt Paullus*

Reuerẽtia εὐλάβεια.

ait) reuerentia exaudiente. *Namque* εὐλάβεια *apud Paullum ad* GHANAVAH, *id eſt,* humilitatis, *refertur ſignificationem.* Et cùm clamarem] BESIVGHO, & cùm gemeret *pauper idem: namque* SAVAGH *ad eiulantium & gementium atque dolentium vocem clamoremq́; refertur. Iam verò ita certam ſibi Dei opem promittit & ſperat Chriſti humanitas; quamquam eo tempore, quo hæc agerentur, vexata & afflicta, atque ad mortem vſque crucis humiliata, vt omnium à ſe decantandarum laudum vnicum argumentum illudq́; perpetuum hoc ipſum celeberrimum publicè futurum deſtinet ac ſtatuat.*

26. Apud

26. Apud te laus mea in Eccleſia magna: vota mea reddam in conſpectu timentium eum.

In exemplari lingua MEITHACH THEHILATHI, de apud te laus mea. *Laus omnis mea à te incpiet, te canet, ideò perpetua erit. Iam verò ex hoc loco ac tempore* IESV *Chriſti afflictionum, paßionum, ac maximæ illius ſuſceptæ humilitatis exitus, & cauſſarum etiam euenta apparere & indicari incipiunt*, κατ' ἐνθουσιασμὸν *in ipſo etiam moleſtiarum ac tempeſtatis æſtu præcepta ac prædicta. Demum verò in ſacroſancto Pentecoſtes die reapſe præſtita*, cùm dextera Dei exaltatus Chriſtus, & promiſſione Spiritus ſancti à Patre accepta, *donum illud quod vniuerſæ nationes viderunt, in diſcipulos effudit ſuos, qui omnes variis inſtructi linguis* repleti Spiritu ſancto cœperunt loqui, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis, *admirato & ſtupefacto multiplici illo gentium conuentu, atque ita conteſtante*, Audiuimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei. *Siquidem hæc illa vota fuere, quæ Ieſus decretum ſibi certamen iam iam ſubiturus, nuncupauerat, cùm* ſubleuatis oculis in cælum, dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te; ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, vt omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam. *ac deinceps poſt pauca quædam*, & nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipſum claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te. *Rerum igitur, quarum cauſſa in mundum venerat, compos factus Chriſtus, hoc eſt, regni Dei ſuis fidelibus diſcipulis adquirendi & impertiundi, ſua vota in laudibus diuinis prædicandis redditurum ſe profitetur.* In conſpectu timentium eum] *id quod publicè ac palàm præſtitum & effectum ſacra Apoſtolorum teſtatur praxis:* Qui ergo receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt: & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia. erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus: Fiebat autem omni animæ timor. *Huius porrò Chriſti humilitatis, tantorúmque laborum atque victoriæ per mortem denique obtinendæ, atque huius interim precationis & nuncupati voti feliciſsimus ac planè diuinus euentus ſpiritu antè viſus ac præceptus, ad veritatis fidem ac negotij totius conſtantem rationem declarandam, firmandam, & comprobandam, prædicitur. Nempe fore vt ſpiritu pauperes, qui Chriſto crediderint & adhæſerint, in parti ac parati regni cæleſtis conſortium adoptati, ſpirituali atque æterna communione coniuncti, diuinis delicijs ijſdemq́ue fruantur perpetuis; atque id ipſum donum admirandumq́ue beneficium mutuæ caritatis ac lætitiæ, communicato inter ſe & manifeſto apud cæteros declarent & probent exemplo.*

Donum Spiritus ſancti. *Act. 2.*

Chriſti vota. *Iohan. 17.*

Act. 2.

27. Edent pauperes, & ſaturabuntur: laudabunt Domi-

num qui requirunt eum : viuent corda eorum in ſæculum ſæculi.

Pauperes ſpiritu. Pauperes *hoc in verſu eos interpretamur, qui Chriſti patientiam, modeſtiam, manſuetiq́; animi exemplum atque profundam illam humilitatem ſeriò imitantur :* quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, *illud videlicet amplexorum & obtinentium edictum,* Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. *Huiuſmodi pauperes ſpiritu, verè ac legitimè* GHANAVIM *vocati, edent epulas illas & cæleſtem cibum, qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis daturum ſe illis recepit; tum verò ſaturati, diuinis commemorandis & celebrandis laudibus operam ritè dabunt, illud ſtudioſè præſtantes,* Cùm comederis & ſatiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima quam dedit tibi. *Cuius felicitatis promiſſæ veritas & in ſpiritu & in ſpectato exemplo præſtita ſic narratur.* Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui ſalui fierent, quotidie in idipſum. *Iam verò vlteriùs porrò beneficium illud diuinum, Ieſu Chriſti humilitate atque obedientia partum, ad credentes ex Iſraëlitis primùm, deinde ad omnium gentium nationes quæ euangelio obaudierint, propagandum fore prædicitur; vt illud verè præſtetur, quod multarum gentium patri Abrahamo fuerat quondam promiſſum,* Benedicentur in ſemine tuo omnes familiæ terræ.

Matth. 11. *Iohan. 6.* *Deut. 8.* *Act. 2.* Euangelij propagatio. *Gen. 22.*

28. Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium.

29. Quoniam Domini eſt regnum & ipſe dominabitur gentium.

Gentium vocatio. *Act. 2.* *Huius etiam loci diſertiſſimus interpres Petrus nobis datus, veram ac legitimam definitionem ſuggeſſit :* Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſraël, quia & Dominum eum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis. His autem auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apoſtolorum : Quid faciemus, viri fratres? Petrus verò ad illos, Pœnitentiam *(inquit)* agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti : vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus qui longè ſunt, quecunque aduocauerit Dominus Deus noſter. *Quod verò ait* Reminiſcentur, *id ſignifi-*

ſignificat videlicet, gentes omnes iam diu ſui auctoris principijq́; ſui immemores, & in varias inſanias diuiſas, per euangelij doctrinam ad mentem & recordationem reuocatum atque hoc pacto ad ſalutis viam reductum iri. id quod & Zacharias iam aduentare canebat, Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. *& Paullus Lyſtrenſibus dicebat,* Nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, *&c.* *Neque verò cunctis vel Iudæis vel gentibus promiſcuè cæleſtis regni copiam faciendam conſtituit ac promiſit Deus, ſed iis tantùm, qui euangelio vocati auſcultare, credere, ac ſeriò parêre voluerint; cæteris verò, qui terreſtrem tantùm ſapientiam ſecuti, modeſtiam humilitatemq́; Chriſti atque ſui ipſius abnegationem imitari neglexerint, in peccatis ac ſordibus ſuis hærere, veteraſcere, & perire, ac tenebras quas dilexerint, perpetuò obtinere eueniet. S. S. E.* Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum. *Vtrorumque variam ſortem & vicem hoc etiam prædictam Pſalmo cognoſcere eſt.*

Luc. 1. *Actor. 14.* Regnum cęleſte quibus promiſſum. *Luc. 2.*

30. Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ: in conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram.

31. Et anima mea illi viuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi.

32. Annunciabitur Domino generatio ventura: & annuntiabunt cæli iuſtitiam eius populo qui naſcetur quem fecit Dominus.

Manducauerunt & adorauerunt, *&c.*] *Duo hominum genera ſiue duæ ſignificantur factiones; altera eorum qui euangelio credentes & obtemperantes hæreditabunt terram: atque hi* DASANEI ERETS, pingues terræ, *dicuntur, tranſlatione ſumpta à gregibus, quibus bonus paſtor opportunum prouidet paſtum: in quos & illud quadrat,* Et paſcua inuenient. *Altera eorum, qui cùm ſeſe paſtori Chriſto committere & credere neglexerint, veri paſtus defectu terram lingunt; in quam demum corruentes, & vitæ demum vſura atque anima deſtituti, in mortis tenebras detruduntur. quia lucem & vitam vnde petere & obtinere debebant, admittere neglexerunt. Hi demum alteri euangelij efficacitati ceſſuri ac ſuccubituri prædicuntur, vt diſsimili mente atque animo, ita diſsimili cognomento deſcripti. namque illi* pingues terræ *appellantur, hi verò* IORDEI GHAPHAR deſcendentes terræ, *nominati, id eſt, qui terrena tantùm ſapientes à cæleſtibus longè deflectuntur, demum à Chriſti euangelio deprimendi & in optatum relegandi mortis regnum. Vtramque verò vicem vtriſq; hominum eueniſſe, reſurrectionem inquam vitæ ijs qui crederent & obtemperarent nuntio gloriæ Chriſti, damnationem contrà & mor-*

Euangelij effectus in iis qui ſalui fiunt & in iis qui pereunt. *Iohan. 10.*

tem ijs qui ex contentione eſſent aſſeuerat Apoſtolus. Chriſti bonus odor ſumus Deo in ijs qui ſalui fiunt, & in ijs qui pereunt; aliis quidem odor mortis in mortem; alijs autem odor vitæ in vitam. *Hæc enim pars, hæc ſors corruptæ Adami carnis, & eorum, qui ſeipſos amantes in humilitate Chriſti offendunt, inimiciq́; permanere, quàm verè diſcipuli fieri optant.* In conſpectu eius, LICRAGV, incuruabuntur, genu flectent victi, & corruent omnes qui deſcendunt in puluerem; *qui ad corruptum Adami puluerem deflectunt, in ſuum puluerem ex diuina ſententia reuerſuri, atque animæ ſuæ exitium paraturi.* VENAPSO LO HHAIAH,

Marc. 8. anima eius non vixit. Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam ſuam propter me & euangelium, ſaluam faciet eam. *Magnum hoc loco myſterium Dauidi indicatum agnoſcimus mortis & reſurrectionis Chriſti, cum quo qui commortui fuere peccato, in ſpiritu & veritate rediuiui ſimul extiterunt, quia illius ſemen in ipſis manſit: cuius virtutem ſeminis quicumque ſua culpa non communicarunt, in terram quoque deſcenderunt; verùm quia vani erant, nihilq́; ex pinguedine carnis Chriſti & grani illius frumenti arcani obtinebant, in ſuum redacti puluerem animæ ſuæ fecere detrimentum; non coniuncti & reſuſcitati cum viua illa Chriſti anima, in quo vera & æterna vita erat, ſed relicti in proprij Adamici pulueris corruptione, non ampliùs cum iuſtis ac ſanctis immutandi, in tenebras relegati exteriores; vtpote qui Chriſti ſeminis & virtutis participes eſſe noluerunt, & cadentes in terram, & in ipſa cum feliciſſimo illo grano commortui, ſoli atque ſeorſum quales deſcenderant manſerunt. atque ita incuruati ſcabellum pedum Chriſti redditi ſunt. Latina lectio vulgata, quam interpretamur, habet,* Et anima mea illi viuet. *Quæ de Chriſti anima videtur interpres intellexiſſe; exemplaris verò lectio membrum hoc orationis cum vicino adnectit, atque ad inimicos Chriſti refert, hoc eſt, ad eos qui ſe pulueri commiſerunt ſine virtute Chriſti, quorum nullius anima æternæ compos euaſit vitæ.* Et anima eius non vixit, *à plurali numero ad ſingularem immediata tranſitio communem rationem cum ſingulari complectitur, atque, vt dialecticorum vocibus vtamur, vniuerſalem orationem exceptionis reddit expertem. Hæc enim notiſſima in lingua ſancta paſſim reperitur obſeruatio, vt,* SIMGHV GHAMIM CHVLO, audite populi vnuſquiſque. *id eſt, populi omnes & ſinguli de populis. Atque hæc iſtorum qui ſe Chriſti virtuti non crediderint pars calicis fuerit. Eorum verò, qui carni ac ſanguini Chriſti communicauerunt, & afficiendos ac tranſmutandos commiſerunt, qualis & quàm felix decretus & ſpectandus fuerit exitus, præcinitur; videlicet multiplicationis, amplificationis, atque benedictionis Abrahamo & Abrahami ſemini legitimo promiſſæ veritas & conſtantia, ad omnem temporum poſteritatem atque adeò ad æternitatem pertinens, cum agnitione & gratulatione omnium perpetuis laudibus & commemorationibus ac teſtimoniis celebranda.* Et ſemen [meum] ſeruiet ipſi; annun-

Commortui Chriſto.

A plurali ad ſingularem tranſitio.

annunciabitur Domino generatio] *Sic hæc connectuntur, & plenum verſum conſtituunt in exemplari lectione; quo docetur atque explicatur diſcrimen, inter eos qui in peccato ac puluere ſuo manere optauerunt, & eos qui cùm ſeſe commorituros & conuiuificandos in ſpiritu & veritate Chriſti virtuti ac ſemini diuino commiſerint, euaſere & ipſi ſemen Dei;*

Ex Deo nati.

Iohan. 1.

Qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. *Hi enim dum Deo ſeruiunt, ex ſeruis in filiorum nomen & gloriam tranſlati & amplificati, id quod obtinuerint, non humanæ virtuti, non naturæ efficientiæ, ſed vni Domino auctori & parenti acceptum referent, nomen, vitam, & ſublimem illam filiorum conditionem ac dignitatem eidem ſoli adſcribentes. hoc eſt, quod illa ſignificatur formula,* Annunciabitur Domino generatio] *Cuius verſus lectio planior ex verbo reddita fiet,* ZERAGH IAGHABEDENV LIZZAPER LEADONAI LADOR Semen [quod] ſeruiet ei, numerabitur Domino in generationē. *Quid apertius? quid cōcinnius cum illo?* Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. *Primos autem in hoc cenſu Iſraëlitas fideles fuiſſe conſtat, numero quidem frequentes, quamquam non omnes Abrahami filios ſecundùm carnem, ſed eos qui cum fideli Abrahamo ſeruierunt, quorum opera & miniſterio euangelij virtus in omnem terram propagata, multos filios ex Gentibus quoque Deo partos effecit, & in regni cæleſtis communionem conſcripſit. Poſtremi autem verſus initium à poſtrema præcedentis voce ducitur, quam Latinus interpres vertit in* Ventura. Ventura annuntiabunt [cęli] iuſtitiam eius populo qui naſcetur, quem fecit [Dominus]. *Exemplaris autem lectio ita habet,* IABOVVA IAGIDV TSIDKATHO LAGHAM NOLAD CHI GHASSAH, venient & nuntiabunt iuſtitiam eius populo nato, quod fecit. *Venturos ait primos ex Dei filiis per Chriſtum adoptatis & in patris domum cum Iſaaco vero conſcriptis, & nuntiaturos aliis, qui euangelio credentes naſcentur quoque filij Dei; atque hoc pacto iuſtitiam Dei publicè ac palàm conſtituram; vtpote qui & beneficium tantum generi promiſerit humano, & promiſſum denique præſtiterit, id ipſum ſolus efficiens, quod ipſe ſolus ex miſericordia fuerat pollicitus. Iuſtitiæ verò diuinæ manifeſtandæ, annuntiandæ, celebrandæ, elogium illud communiter vſurpandum præſcribitur,* QVOD FECIT: *id quod auditum* IACOBO MONAVIO *viro pio, cumprimis probo & bonorum amiciſſimo, gratiſſimum fore credimus, vtpote hoc idem ipſum ſuo illo celeberrimo ſymbolo præcipuè ſpectanti. Ex antiquoribus Latinæ verſionis exemplaribus, atque adeò ex linguæ primæuæ lectione carmine conſtricta, voces illæ in hoc verſu,* Cæli, Dominus, *redundare videntur, atque à recentioribus ſcribis explicationis fortaſſe cauſſa ex margine in contextum inſitæ.*

Iacobi Monauij Symbolum.

IN

IN PSALMVM XXII.

D. PETRO MVDARRÆ AVELLANEDÆ SALVTEM.

PRopoſitum iſtud non ſolùm laudo, ſed etiam tibi gratulor, Auellaneda ſuauiſſime; qui tametſi viribus, ætate, ſpecie, opibus, loco, & re, arces magnas, vrbes, aulas, atque regias amantium & colentium perpaucis concedere poſſe cenſearis; priuatam tamen, & ab illis ambitionis præſtigiis liberam, & peſtilentibus curis vacuam, inuidioſaque conſuetudine ſemotam atque inſidiis tutam vitam, in minùs frequente ſed amœniſſimo oppido, ducere decreueris: nempe meliorem longeque iucundiorem conditionem nactus, cum bonis artibus, liberalibus diſciplinis, & illarum profeſſoribus ac miniſtris, bonam dierum atque noctium partem agendi & conuerſandi, taciteque eos conſulendi, audiendi, & excipiendi, à quibus de veris & optimis atque vnicè expetendis vitæ cauſſis, accuratè, diligenter, & vtiliter diſputatum & pertractatum eſt. Horum autem ſapientiæ ſacerdotum grauia ac ſeria ſolidaque præcepta, dicta, ac placita, iucundiſſimis atque elegantiſſimis poëtarum choris interiectis, ita temperare conſueuiſti, vt ex vtrorumque vſu & conſuetudine, quidquid tu imitari, commentari, & condere inſtituis, magna & vtrimque pari iucunditate atque vtilitate abſolutum, tam auſteris quàm facetis lectorum & auditorum iudiciis commendabile & amabile prodeat; atque hoc pacto ac iure conſilij tui cauſſam apud prudentes obtineas iudices; qui quamquam cætera quæ tibi contigerint bona, in huius ætatis aulicis & magnarum vrbium cultoribus quadamtenus reperiri & conſtare arbitrentur, ingenij tamen magnitudinem, dexteritatem, & exercitationem vel nullis vel rariſſimis noſtratum

nobi-

nobilium tuis conſimilem partibus tribuant; ob idque idoneum eſſe te prædicent, quem in mediis montibus ac ſiluis longè melior & ſanctior ſpirituum frequentia ſtipet & comitetur, vtiliuſq́; detineat & exerceat, puriùs & innocentiùs iuuet, quàm illos, qui in vrbium & regiarum foris, plateis, domibus, vicis, atque etiam campis & ludis turbulentiſſimè verſantur; quos quænam & qualia conſilia & facta delectent, eorum quos incitant & inſtigant, mores arguunt. Macte igitur virtute, atque pietatis veræ cum primis cultor, quam hactenus à pueritia inſtituiſti viam, vulgi contempto iudicio, atque minorum curarum laqueis expeditior, perficere perge. Quod vt libentiùs agas, & conſtantiùs atque alacriùs proſequaris, Dauidis modos, numeros, & monita, inter opus canens identidem vſurpato: cuius carmen vnum ad propoſiti iſtius exemplar nos tui perpetuò memores iamdiu adnotaueramus, quod modò tibi breuiter explicatum præbemus. Vale, ex Rupe noſtra Aracenenſi. IIII. Non. Septemb. cIↃ. IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

Sapientiæ, efficacitatis, bonitatis & amoris ea in diuina natura coniunctio eſt, vt nulla creati intellectus vi & actione vel cogitando diuidi aut ſeparari poſſit: quippe quæ quatuor, quamquam apud nos numerum admittant, vnũ tamen apud Deum ac potiùs ipſe ſunt ſimpliciſſimus Deus, atque vnico IEHVEH *ſignificantur nomine. quin & eædem ipſæ in cunctis à Deo creatis obſeruantur naturis ac rebus, pro vniuſcuiuſque formæ modulo & captu; præcipuè autem ſingulariter ac manifeſtè in hominibus ijs, qui ſui principij memores, & quorſum tendant certi, ſe totos auctori ac Domino ſeruatoriq́; ſuo regendos credunt, committunt, & tradunt. Huius veræ doctrinæ exemplum perpetua vſura in ſe ſpectatum ſibiq́; agnitum elegantis allegoriæ imagine, paucis quidem verſibus, verùm artificioſiſſimis vt ſemper aliàs, canens Dauid celebrat. atque ideò Pſalmi Inſcriptionem ſibi priuatè ac peculiariter arrogat.* Diuinæ virtutes ſiue attributa.

1. Pſalmus Dauid.

Pſalmi huius non compoſitionem ſolummodo, ſed argumentum ipſum ſingulari quodam modo & pacto Dauidi adſcribendum Inſcriptionis nonnihil variata ſubindicat formula, cùm aliàs frequentiùs ita le-

gatur, LE DAVID MIZMOR, Dauidi *ſiue* Dauidis Pſalmus: *hoc verò loco permutata nominum poſitione* MIZMOR LEDAVID, Pſalmus [ipſi] Dauidi. *Quòd ſi nominis quoque Dauid animaduertenda ſit ratio, vt certè eſt,* Pſalmus [ipſi] dilecto, *interpretari conſentaneum fuerit: quippe quo rerum ſuarum felicitatem, ex Dei amore & beneficio profectam, ſe ad narrandum & prædicandum ſuſcepiſſe profiteatur.*

2. Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me.

Paſtoralis cura politicæ gubernationis imago.

Paſtoralis vtiliſſimæ in terris curæ imago, iam inde ab antiquis temporibus, ad regendorum rationem & artem populorum prudenter, aptè & concinnè tranſlata, atque à probatiſſimis auctoribus, præcipuè verò à poëtis, vſurpata frequentatur. vnde & apud Homerũ Reges & Principes ποιμένες λαῶν, paſtores populorum *identidem ſalutantur aut appellantur: quippe cuius artis vel ipſo tantùm nomine, boni gubernatoris munus & officium non indicatur modò, ſed repræſentatur etiam & exprimitur. Vt autem gubernatorum omnium optimus ac præſtantiſſimus, atque adeò vnicum, ſanctiſſimum, ſummum, incomparabileq́; exemplar Deus eſt (quem qui pro viribus imitantur principes, rectores, ac iudices, meritò boni paſtores audiunt) ita Deus ipſe paſtoris nomen, titulum, atque decus proprio ac ſummo vendicat iure; atque eodem ipſo nomine, bonis, probis, & felicitatis propriæ auidis hominibus conditionis ac ſortis ſuæ memoriam renouat, & gratulationem perſuadet, ac partes quas obtinere & peragere conueniat, breuiter ac diſtinctè expeditas indicat. Sunt autem gregis ſiue pecoris, atque adeò ſingularum pecudum, partes numero tres; duæ quidem à ſe cum paſtoris ipſius certa ope & gratia præſtandæ, videlicet* fides & obſequium: *vna verò, quæ eadem tertia, à paſtoris voce ac promiſſo excepta, & apud ſe conſeruata, cui nomen* Securitas. *paſtori verò amor erga gregem, perpetua cura, atque opportuna opera exiguntur. Atque vtrarumque partium, hoc eſt, paſtoris ac pecudis, breuis & abſoluta ſumma diuina illa ad Abrahamum adlocutione continetur:* Poſtquam verò nonaginta & nouem annorum eſſe cœperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & eſto perfectus [THAMIM, Sanus, ſimplex, & obſequens] *In huiuſmodi igitur beati gregis numerum ſeſe conſcriptum voto atque ſtudio profeſſus & gratulatus Vates noſter, qualem erga ſe tanti paſtoris experiatur & agnoſcat curam, ex ipſo commemorat & narrat vſu; quò cæteros hominum, eos maximè qui ſubſcripta lege deducerentur, ad ſimilis conditionis optionem & communionem atque ſocietatem pelliciat. Primam profeſſionis huius partem fides occupat. Duplex autem ad fidem concurrit perſona: altera eius qui cum altero primus agit & conuenit; altera verò eius quicum agitur & conuenitur: ſiue altera promittentis ac dictantis, & altera promiſſis affecti & acquieſcentis.*

Deus paſtor ſummus.

Gregis partes.

Fides. Obſequiũ. Securitas. Paſtoris boni partes.

Gen. 17.

Duæ in fide perſonæ.

vtraque

vtraque autem perſona dum ſibi ſuæq; parti conſtat, ſeruare ſiue dare fidem Latinè dicitur; diſtinctionis verò cauſſa, alterum recipere, alterum concipere dicimus fidem. Vtriuſque itaq; perſonæ datam acceptamq; mutuò fidem indicat Vates, dicens; Dominus, IEHVEH, regit me. Domini vel nomen ipſum, virtutem, facultatem, & auctoritatem, atque voluntatem rectoris indicat: vtpote quod ad amorem & miſericordiam, bonitatémque præcipuè referatur, atque ſapientiam & efficacitatem diuinam pariter includit, & plerumque in his vſurpetur argumentis, quæ humanam reſpiciunt ſalutem. Continet autem verſus hic dicendorum omnium propoſitionem, ſeu potiùs collectionem ſummam, breui pronuntiatam enthymemate, ex minore ſiue aſſumptione & concluſione ipſa concinnato. namque plena & integra argumentatio huiuſmodi eſt: Gubernatum ab optimo paſtore pecus beatiſſimum habendum eſt: Ego ab optimo paſtore, nempe Domino benigno, bono, ſapientiſſimo, & efficaciſſimo, gubernor; igitur beatum ego ſum pecus. Beati nomen apud Latinos ei ritè tribuitur, cui nihil deſiderandum requirendumq; excipitur: hoc idem in ſacra lingua ſignificatur illa formula LO EHHAZZER, non deficiar, hoc eſt, nullo carebo aut deſtituar commodo: Latinè ac poëticè diceretur, non egebo. Interpres noſter planiùs, nihil mihi deerit. Verbum Regit me, ex exemplari ROGHI redditum, facilè ad ſuam primæuam refertur ſignificationem: namque RAGHAH in ſancta lingua propriè paſtorum eſt, & Latinè vertitur in paſcere; paſcere autem commune rectori & pecori eſt: verùm quia rectori conuenit, non modò pabulo ſatiare, verùm etiam pecus deducere, totum rectoris ſignificat munus. Ita Cato conſultus aliquando quemadmodum homo diues fieri poſſit, ſi quàm optimè paſcat, reſpondiſſe fertur. Atque ipſum Latinum verbum, rego, ab illo primæ linguæ vocabulo RAGHAH factum, in poſteriorem tranſlationis partem & ius plerumque conceſſiſſe putamus: vt illic primùm paſtores pecorum, deinde gubernatores; apud nos, vice verſa, gubernatorem primò, deinde verò pecoris magiſtrum ſignificarit. atque ratio hæc etymologiæ ſatis iam nobis tractata. In exemplari lingua ROGHI Verbum participio Latino præſentis temporis reſpondens, præſentem ſemper actionem ſignificat, & præterea nominis obtinet vim; Dominus paſtor meus & paſcens me, non egebo, nihil mihi deerit. Hiſpanicè ad verbum, No ſere menguado. Summam autem quam indicabamus modò collectionem paſtoralis curæ atque operæ, in ſeipſum conſtanter ſpectatæ, partitione idem ipſe qui experitur, explicat, amplificatione confirmat, & expolitione perdocet, ac denique modis & numeris commendat cunctis. Prima autem paſtoralis officij pars in paſcui loci prouiſa cognitione & optione ponitur, vberis videlicet ac fertilis & ſolo cœloq; clementis, bono & ſalubri herbarum referti copia. Quam partem erga ſe abundè & opportunè prouiſam teſtatur Vates: In loco paſcuæ ibi me collocauit.] Paſcuæ locus qualis hîc ſignificetur, ex linguæ ſanctæ exemplari lectione exprimitur, BENAAVOTH DESSE IAR-

Beatus. — Paſcere. — Catonis dictum. — Paſcuorū prouiſio.

Naua. BITSENI. in nauis herbæ cubare me fecit. *Fertiliſſima & opportuniſſima ad paſcendũ loca montibus vicina, nec tamẽ aſpera aut ſalebroſa,* NAAVOTH *vocantur: idemq́ nomen, in eademq́ ſignificatione Hiſpanis cum aliquo adiuncto frequens: vt,* naua de Seuilla, naua del mançano, naua hermoſa, naua'l peral; *& ſexcenta huiuſmodi. Narrat autẽ Vates, cumprimis tantam optimi copiam graminis fertili & amœno ſuffectã loco, vt vagari aut errare quærẽdi paſtus cauſa minimè ſit opus: quippe cui vel cubãti & quieto, abundè quod carpere liceat vndiq; ſalubris herbæ vireſcat.* DESSE *herbã virentem & paſtui vtilem ſignificat: vt ex illo Dei iuſſu editum conſtat.* DESSE

Gen. 1. ERETS DESSE GHESEB. producat terra, *ſiue* herbificet terra, herbam virentem. *Operæpretium autẽ & nobis & lectori fuerit, tranſlationis ſiue allegoriæ huius rem ipſam breuiter indicare, atq; ab imagine ad veritatẽ oculos ac mentẽ conuertere, cunctis qui ritè in ſe deriuare ſtuduerint, magno quoq; futuram vſui. Res igitur ſic habet. Vt ouibus & manſuetiori omni gregi, paſtio non vtilis modò ſed prorſus neceſſaria eſt; ea verò ſine magiſtri ac rectoris cura nuſquam cõmodè & vtiliter initur; ſic & animi humani vita, ſine doctrinæ alimento ac paſtu, rectè duci & conſeruari nequit. animi itaque commoda inſtitutio paſtionis inſtar habet; ea verò magiſtrum, doctorem, atque ductorem iure exigit. Quælibet autem doctrina ſiue diſciplina, cui ſeſe homines erudiendos & inſtituendos tradiderint, paſtus nomen rationemq́ arrogat; ſed ea præcipuè, quæ ad ſapientiam refertur: ſapientiam verò diuinarum humanarumq́ rerum notitiam dicimus: cuius præcipuæ partes duæ, veri, & decori cognitio. vtraque animum, cui contigerit, explet ac reficit; modò certa ac legitima conſtiterit. Hinc adeò illa eſt in ſacris vtriuſque teſtamenti libris verborum huius generis vſurpatio,* paſtor, *&* paſcere. Væ paſtoribus Iſraël. nónne greges à paſtoribus paſcuntur. *Et,* Vidi cũctum Iſrael diſperſum in montibus, quaſi oues non habentes paſtorẽ. *&,* Petre amas me, paſce oues meas. *Quàm plurimi verò antiquis in ſæculis extitere, qui ſeſe tum ſingulorum hominum priuatè, tum publicè ciuitatum & regionum atque regnorum paſtores & gubernatores profiterentur; & ad morum inſtitutionem, regulis ac doctrinis vel à ſe inuentis atque decretis, vel ex aliorum ſententia & diſciplina acceptis, vterentur: in quibus tamen nunquam defuiſſe aliquid, quod improbaretur, vel quod exciperetur aut requireretur, non rarò notatũ fuiſſe comperias. adeò vt confuſis ac permixtis boni maliq́ finibus, humanũ genus in tenebris agere, & cæcorum ritu modò vtilia, modò noxia palpare & cõtrectare cenſeretur: donec diuinæ legis lucerna effulſit, qua verum à falſo, iuſtum ab iniuſto, decorum à turpi, & commodum ab incommodo, à facili difficile tum cognitu tum factu, diſcernere poſſe, diuino hominibus conceſſum eſt munere. id quod intelligens Dauid noſter ita ſibi quoque gratulabundus aliàs prædicabat.* Narrauerunt mihi iniqui fabulationes; ſed non vt lex tua. Omnia mandata tua veritas; *& quæ plurima ſæpiùs in hanc ſententiam repetit idem. Totius igitur Pſalmi huius argumentum paſtoris & paſtus abſoluta*

Hominum paſtio.

Sapientiæ partes.

Ezech. 34.

3. *Reg.* 22.

Iohan. 21.

Legis diuinæ beneficium.

Pſal. 118.

abſoluta velatum imagine, beatitatem commendat eorum, quibus diuinæ doctrinæ elementa, & ad animorum ſalutem & totius mortalis vitæ rectè peragendum curſum, vera & ſancta communicata conſtiterint, ſuſceptaq́ue fuerint documenta. Cumprimis verò ipſa Eccleſiæ communicatio, in qua veræ ac ſanctæ diſciplinæ legitima ſufficitur copia, amœna paſcua herbæ ſiue locus paſcuæ vocatur; vtpote cuius quiſquis ritè ac legitimè compos fuerit, aliarum doctrinarum ad ſalutem & vitam quærendarum atque variis ex locis aut ſectis petendarum nihil prorſus egeat; imò loco ſuo, quo per Deum cubare & quieſcere iuſſus eſt, abundè quod animum expleat doctrinæ, cognitionis, ac ſcientiæ nanciſcatur. id quod ad illud ſignificanter alludit. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum; vt poſſis dicere: Quis noſtrûm valet ad cælum aſcendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare poſitum: vt cauſſeris, & dicas: Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vſque deferre, vt poſſimus audire & facere quod præceptum eſt? Sed iuxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. *Diuinorum itaque iuſſorum & præceptorum copia, cuius vſu humana vita tum priuatè tum publicè alitur ac fouetur, paſcuæ locus ſiue prata herbæ in hac vocatur allegoria; quæ paſci & viuere auentibus abundè ſufficit boni ad vitam ſucci & alimenti. S. S. E.* Cuſtodite leges meas atque iudicia; quæ faciens homo, viuet in eis. Ego Dominus. *Nec verò pecus hoc, quod paſcendum à Deo ſuſceptum eſt, ſalubrium aquarum ad potum inopia laboraturum ſe aut vitæ periculum propter ſitim aditurum metuet; cui in ea quoque parte commodiſſimè & opportuniſſimè proſpectum. Duobus autem nominibus pecorum incolumitati officere poſſunt aquæ, vel ſi rapidæ nimium ſint, diſcrimenq́ue ſe petentibus minentur, interdum verò & exitium pariant; quales acrium fluuiorum feruntur impetu: vel ſi limo, luto, aut aliquo malo ſucco aut liquore ſiue ſulphure commixtæ impurioresq́ue, aut ſtagnis putreſcant, aut ebulliant & manent. quare illæ potiſſimùm ad ouium ſitim leuandam æſtumq́ue ſedandum commendantur, quæ & puræ penitus viſuntur, & leniter ſaluberrimæ ac placidæ fluunt. Talium autem aquarum vſuram ſibi à Deo prouiſam conſtare Vates ait.* Super aquam refectionis educauit me] *Quas diximus laudandas aquarum commoditates, primæuæ linguæ verba expreſſè commendant:* GHALMEI MENVHHOTH IENAHHALENI, Secundùm aquas quietationum deducet me. *puras, claras, perſpicuas, eaſdemq́ue ſalubres, atque haurientibus minimè graues; imò contrà, leues, tenues, & recreationi idoneas, quietationum aquas interpretamur. eſt autem* MENVHHAH *vocabulo* NEHHEMAH *& ſono & ſignificatione proximum. ita vt aliquando alterum vſurpetur pro altero.* NEHHHEMAH *verò* conſolatio, NEHHVMOTH, conſolationes *Latinè dicuntur. Ait igitur, aquarum ſibi non modò opportunam, ſed perpetuò commodam, facilem,*

Eccleſia paſcuæ locus.

Deut. 30.

Leuit. 16.

Aquæ pecori inſalubres, & ſalubres,

gratam, iucundam, eandemq́ ſalubrem à Deo paſtore conſtare vſuram. cuius in hac imagine partis & ſignificationem pariter & rem illam accipimus, nempe rationem præceptorum & inſtitutorum, cauſſasq́ vetiti & iuſti; quas humanus animus, qui ratione commodißimè ducitur & ſuadetur, ad obtemperandum non rarò petere ac rogare ſolet. Conſtat autem recta vitæ ac morum inſtitutio non tantùm præceptis, verùm etiam præceptorum expoſitione & comprobatione, ex certis & communibus atque irrefragabilibus principiis aptè & apertè deducta: quibus vbi rectè imbutus fuerit animus, conſecuta & collecta doctrinæ veritate mirum in modum delectatur & afficitur; longè ſecus atque iis accidit, qui difficillimis ac longè petitis, præterea perplexis, & controuerſiæ obnoxiis atque interdum falſis, perſæpe etiam Sophiſticis diſputationibus & argumentationibus ad aliquam veri atque boni cognitionem trahuntur potiùs inuiti, quàm humanè ac liberaliter inducuntur. Cuiuſmodi vitio philoſophica plerumque documenta atque externorum principum decreta infecta fuere, ac proinde minùs efficaciter prudentioribus hominum ſuaſerunt. Iſtiuſmodi verò rationes ac diſputationes, rapidorum ac turbidorum fluminum ſiue torrentium imagine ſignificantur: quæ autem lenis, pura, atque ſana doctrina, eademq́ perſpicuæ veritatis, bonitatis, & æquitatis nitore commendabilis fuit; puris & lenibus aquis, iiſdemq́ placido labentibus fluxu, ſimilis prædicatur. Cuius etiam ſignificationis & imaginis illud apud Iſaiam conſtat reſponſum, in eos qui ſacris legibus & gubernationi regum Iudæ, Aſſyriorum ſceptrum, ditionem, & ambitioſam potentiam prætulerant.

Vitæ inſtitutio.

Iſai. 8. Pro eo quòd abiecit populus iſte aquas Siloë quæ vadunt cum ſilentio, & aſſumpſit magis Raſin & filium Romeliæ: propter hoc ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes & multas, Regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius; & aſcendet ſuper omnes riuos eius, & fluet ſuper vniuerſas ripas eius. *Hæc autem diuinæ doctrinæ pars, quæ ſanctorum præceptorum præcipuas cauſſas rationesq́ ſuggerit,* MISPATIM *in ſacra lingua dicta, in Latina verſione plerumque* iudicia *vocatur, atque ſimul cum præceptorum nomine commemorata reperitur, vt,*

Iudicia.

Deut. 4. & 12. Audi præcepta & iudicia quæ ego doceo te. *&*, Hæc ſunt præcepta atque iudicia quæ facere debetis. *Iudiciis quoque teſtimonia adiunguntur, quæ magis ad hiſtoriam rerumq́ veram notitiam accedunt; eademq́ cum iudiciis ſimul coniuncta, cognitionis ac ſcientiæ cupidum abundè explent animum; quippe quæ rem, de qua agitur, à principio vſque repetitam explicant. vt,*

Teſtimonia.

Exod. 20. Memento vt diem Sabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die ſabbatum Domini Dei tui eſt: nõ facies omne opus in eo, *&c. Cui præcepto & inſtituto teſtimonium adiunctum, & condendæ legis rationem reddit, & veram præterea arcanamq́ cauſſam ſubindicat. eſt verò teſtimonium illud,* Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram & mare, & omnia quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo. *Iſtis itaque partibus diuina in-*

*na inſtructa lex omnes veræ ſcientiæ & opportunæ cognitionis atque vi-
uendi rationis explet numeros: vnde & conuertere animam dicitur, S.S.E.*
Lex Domini immaculata conuertens animas. *id quod cum huius etiam* *Pſal.18.*
verſus prima parte conuenit.

3. Animam meam conuertit, Deduxit me ſuper ſemitas
iuſtitiæ propter nomen ſuum.

Humanus animus inter varias hominum doctrinas & opiniones pere- Humana
grinari ſolitus, dum nec rectam inſtiterit viam, nec certum dignoſcendi re- doctrina.
*perit modum, cura, labore, & ambiguitate vexatus, laßitudine ita affici-
tur, vt non ſolùm defectionis, verùm in deſperationis etiam periculum in-
cidat. id quod non paucis olim hominum etiam ſuo more philoſophantium
euênit.* Hoc igitur dico & teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis *Epheſ.4.*
ſicut & gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum
habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in
illis, propter cæcitatem cordis ipſorum: qui deſperantes ſemetipſos
tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in auari-
tiam. *Longè verò aliter diuinæ legis doctrina legitimos profeſſores exci-
pit ſuos; quorum animos veræ ſapientiæ elementis primis imbutos, eadem
opera & illuſtrat & reficit.* Animam meam conuertit] *Diuinæ* Diuinæ
legis duo præcipua celebrantur commoda; alterum eſt, ad virtutem & pie- doctrinæ
tatem veram atque probitatem eruditio; non quòd plenam cultoribus vel commoda.
*efficiat iuſtitiam vel felicitatem præſtet; vtpote in quo infirmabatur per
carnem,* nihil ad perfectum adduxit lex; *id quod prima veræ virtutis* *Heb. 7.*
*ac ſumma elementa doceat, hoc eſt, fidem & obedientiam: hiſq́ partibus in-
ſtructum hominem, tanquam pædagogus, ad vitam vitæq́ auctorem Chri-
ſtum cognoſcendum deducat. Neque enim lex ipſa ſcripta vita dicitur, ſed
cognitæ legis obſeruatio prima ac ſimplex & proba præparatio, & quidam
quaſi aditus ingreſſuſq́ ad vitam; ingreſſus inquam, nondum introitus.
S.S.E.* Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. *Habet autem hoc ſibi-* *Matth.19.*
*que proprium vendicat lex, vt quidquid doceat, quidquid præcipiat, iu-
ſtum, rectum, ac ſanctum ritè appelletur.* Scimus enim quia lex *ſancta &* *Rom.7.*
ſpiritualis eſt. *& quamquam hominibus anguſta videatur propter carnis* Lex diuina
molem, quæ latiſſimam ingredi amat viam, tamen & iuſta eſt, atque re- anguſta.
ctum ſe optantibus oſtendit ad vitam iter. Atqui propter anguſtias illas, Lex via di-
quas continere vulgo hominum exiſtimatur, aliquando via in commu- cta ſiue ſe-
ni, aliquando vocatur ſemita. legem pone mihi Domine viam iuſtifi- mita, & or-
cationum tuarum. Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum: bita.
quia ipſam volui. *Nonnumquam verò & orbita, vt in hoc verſu:* De- *Pſal.118.*
duxit me BEMAGHAGALEI TSEDEK, in orbitis iuſtitiæ. *Ibid.*
Interpres noſter ſemitas *vertit, nullo ſententiæ diſpendio. namque ſemitæ
etiam anguſtiæ quoque rationem ſpectant.* iuſtitiæ ſemitas *idem quod ſe-*

mitas

mitas iuſtas *ſignificat: nam primæua lingua poſſeßiuis pro adiectiuis vtitur Latinis, vt* filius perditionis, *pro* filius perditus. Propter nomen ſuum] *Humanæ ſalutis ita habet & negotium & ratio, vt vera & ſolida plenáque felicitas hominum in ſolo Deo per Chriſtum conciliando & impetrando conſiſtat.* In ipſo *enim* vita erat, & vita erat lux hominum. *id quod nullo hominum legitimo antecedente iure, ſed ſolo diuinæ miſericordiæ promiſſo & pacto, ac demum dono & munere, conſtitit. S. S. E.* Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum; apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio; voluntariè enim genuit nos in verbo veritatis. *Hoc* veritatis verbum *ipſum verum Dei nomen eſt, magnum, inquam, illud nomen, infinitæ miſericordiæ, innumerabilibus manifeſtandum rationibus: quod vt breuiùs dicendo complectamur, ipſum Dei nomen Deus ipſe eſt. Namque* nomen *hìc & aliàs perſæpe virtutem & efficacitatem interpretamur. Pacti igitur diuini conditio illa fuit, vt quiſcumque ſaluti ſuæ rectè conſulere ſtuderet homo, duo cumprimis ipſe ſibi pararet, fidem, qua diuinis crederet effatis & promißis; & obedientiam, qua iußis ac præceptis obſequeretur diuinis; fretus præcipuè ope, gratia, auxilióq; Dei ſeſe in his etiam ipſis iuuandum ac deducendum, verùm id certè intelligens, felicitatem vitámque æternam non ſemitis iſtis, ſed in ipſa veritate & cauſſa, quamobrem iſtæ tenerentur, conſtare; hoc eſt,* in nomine magno Dei. *id quod hac poſtrema verſus parte ſignificatur: nam vox* LEMAGHAN, *cauſſæ ſiue finis eſt index. Ipſe igitur Deus hominum ſaluti ſuæ proſpicientium cauſſa & finis, ipſe idem vera & certa via, ipſe ductor ac deductor eſt, ipſe iuſtarum legis orbitarum auctor; quibus quidem, vt ad ſe perueniatur, oportet inſiſti. S. S. E.* Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. *Talis enim cuſtodiæ obſeruantia & perſeuerantia ab iis exigitur, qui ad ſe noménque ſuum perduci ſtudent,* propter nomen ſuum. *Atque hactenus alterum, quod ex lege percipi dicebamus, commodum indicatum, virtutis veræ prima ac ſumma elementa & iuſta atque æqua & opportuna ad felicitatis rationem documenta præbente: alterum verò eſt, erratorum & vitiorum in vita notatio, accuſatio, & reprehenſio, diuiniq; iudicij comminatio & intentatio, in eos qui à diuinæ lucernæ, hoc eſt, à iuſſorum ſanctorum lumine, ad corruptas & peſtilentes ac peſtiferas deſciuerint tenebras: quos diuina lege admonitos & pulſatos timoreq; correptos, reuocare & ad meliorem frugem recuperare Deus non ceſſat: verùm identidem tum internis monitionibus, tum etiam declaratis in lege maledictis & execrationibus, nonnumquam verò & certis opportunisq; caſtigationibus ad ſeſe redire & malorum fines cognoſcere ac metuere compellit; nec propterea ſpem veniæ deponere, ſed ad appellandæ miſericordiæ conſolationem pellicere ſatagit. Vt verò ouium pecus in tenebris verſatum, à lupis, leonibus, & vrſis, aliiſq; feris, niſi paſtor, vindex, ac magiſter adſit, vehementer periclitatur; ita & homo, qui ſub legis conditione agens in vitiorum*

Iohan. 1. Salus ex gratia Dei. *Iacob. 1.* Verbum veritatis. Dei nomē. Pacti conditiones. *Pſal. 118.* Legis vtilitas. Legis commodum alterum. Conſcientiæ admonitio.

tiorum declinat caliginem certamq́; mortis vmbram, niſi Deus conſcientiæ pulſator atque vetitorum commemorator præſtò fuerit (eſt autem bonæ voluntatis hominibus præſtò) dubio procul perierat homo ille. Verùm enimuero & hanc etiam curam à diuina miſericordia ſuſceptam Vates prædicat, & gratulabundus appellat.

4. Nam & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.

In medio vmbræ mortis] *Ignaua, vmbratilis, & paluſtris, atque vitiis obſcurata vita vel conſuetudo, & à vero deuia acta, huiuſmodi ſchemate in ſacro ſignificantur ſermone.* Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent. Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & ſedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. *quod de euangelici luminis beneficio prædicatum conſtat, atque ad vlterius Dei donum pertinet. Quod verò hîc Vates ait, illud eſt, videlicet, eos qui ſub lege aguntur & exercentur, ſi aliquando propter infirmitudinem carnis in erroris tenebras delabi eueniat, nec prorſus inhærere contumaciterq́; verſari iuuet, præſentis Dei reprehenſione, monitu, & cùm oportet etiam caſtigatione correptos, ad rectam redire vitæ orbitam. id quod multis ſanctarum hiſtoriarum exemplis commonſtrari facile ac promptum fuerit. Verum in ſuîs etiam periculis nonnunquam Vates hic noſter agnouit, in quibus Vriæ Hethæi cauſſa, & populi recenſio numerantur. Notanter itaque verbum* ambulauero *pronuntiatum: non enim hîc legimus* Si ſedero *aut* conſtitero in medio vmbræ mortis, BEGEI TSALMAVETH, in profunda valle vmbræ mortis: *Tali enim loco eſt quiſquis à iuſtitiæ diſcedit orbitis: quæ quamquam aſperiores anguſtioreſq́; interdum videantur, tamen ſemper editiores & clariores procedunt. Paſtori verò, ad ouium ductum, correptionem & gubernationem, duo communiter vſurpantur, ſiue inſtrumenta ſiue arma nominare placeat; pedum, qui aliàs baculus dicitur, recuruo capite & ad retinenda pecudis crura idoneo, & virga ad leuiter interdum verberandum habilis. quorum vicem apud animorum paſtorem Deum duæ obtinent res; tum interna conſcientiæ admonitio ante errorem, & in ipſo erroris impetu atque poſt peccatum quoque admiſſum; tum verò nonnumquam propria in peccantem, interdum quoque in alios ad exemplum animaduerſio: quæ nunquam æquales peccatis pœnas in terris irrogat, ſed, vt ſcholarum formula dicitur, citra condignum punit. de quo diuino gemino beneficio ſcriptum legimus:* Diſciplinam Domini, fili mi, ne abiicias [*id eſt* baculum] nec deficias cùm ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit; & quaſi pater in filio complacet ſibi. *Itaque baculi & virgæ auctoritatis, vtilitatis, & efficientiæ illa ſunt, monſtra ferasq́; pecori infeſtas terrere ac fugare, ac emendationem ſalutémque*

Luc. 1. Tenebræ. *Matth. 4.* Paſtoris pedum ac virga. Diuina caſtigatio. *Prou. 3.*

ouibus cauere & curare. Atque hactenus alterum ex diuinæ prouidentiæ cura ſub legis diſciplina deductis commodum, & communis eorum, qui ſic ſe habent, explicata & commendata conditio: cui & altera eueſtigio ſubiungitur multo illuſtrior ac longè felicior, ſuis à Deo proſpecta & comparata pecudibus, non ſolùm ſalubris & opportunæ atque vtilis in illo ſtatu paſtionis, verùm vlterioris ac magis familiaris domeſticæq; ſaginæ & curationis: qualis adhiberi ſolet ſelectæ ac domum deductæ atque apud ſe educandæ ac fouendæ inſtarq; liberorum accipiendæ pecudi. cuiuſmodi curæ illud in imagine præclarum citatur exemplum: Diues habebat oues & boues plurimos valde: pauper autem nihil habebat omnino præter ouem vnam paruulam, quam emerat & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis eius ſimul, de pane illius commedens, & de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens: eratque illi ſicut filia. *Perſtans itaque Dauid in orationibus ex paſtoris cura & bonitate tranſlatis, alteram ſibi paratam credit, exſpectat, ac canendo prædicat ſortem, fore vt ex legitimæ diſciplinæ & conſuetudinis paſcuis in Dei domum tandem deducto diuina & æterna communicetur familiaritas, & vera atque ſolida in filium adoptio, cum felici ac perpetua diuinarum epularum copia & cæleſtis etiam potus indeficiente propinatione, ſummis præterea & pretioſiſſimis fragrantiſſimisq; & puriſſimis delitiis vnctionis ac virtutis Spiritus ſancti: cuius qui ex diuino beneficio compos extiterit, ab agreſti illa & ruſticiore per ſolitudines vagatione ad domeſticam vitam, à metu inimicorum ad ſanctitatem & iuſtitiam coram Deo perpetuam, à formidine ac timore in ardentiſſimum amorem tranſlatus, æternæ particeps pacis ac ſecuritatis, perpetuis vacat & ſtudet laudibus & gratulationibus. Huius argumenti quæ ſequitur cataſtrophe, atque totius Pſalmi lætiſſima peroratio eſt.*

Dei familiarior cura.

2. Reg. 12.

Sanctorũ noui Teſtamenti feliciſſima cõditio.

5. Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus eſt!

Teſtamenti noui æternam felicitatem fidelibus diuinorum præceptorum ſtudioſis vereq; diligentibus paratam, verbum paraſti *indicat, quod in exemplari lingua futuram ſecundæ perſonæ formam obtinet*, THAGHAROCH, inſtructam menſam parabis, ſiue inſtruens menſam ad facies meas, aduerſus eos qui tribulant me NEGED TSORERAI contra prementes mei. *Sacramentum magnum corporis & ſanguinis Chriſti, atque vnctionis Spiritus ſancti, hoc ſchemate adumbratum latet; quorum donorum, qui verè & efficaciter participes fiunt, ab hoſtibus & inimicis tuti atque à peccatorum iniuriis & inſidiis liberati perpetua ſaturitate fruuntur; cuius rationis ac ſententiæ illud eſt:* Amen dico vobis: qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro: qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium: huic

Corporis & ſanguinis Domini Sacramentum.

Iohan. 10.

oſtia-

oſtiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas: & cùm proprias oues emiſerit, ante eas vadit; & oues vocem eius ſequuntur, quia ſciunt vocem eius: alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Ieſus: illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Ieſus: Amen, amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ouium: omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones, ſed non audierunt eos oues. Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſaluabitur; & ingredietur, & ægredietur, & paſcua inueniet. Fur non venit niſi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni vt vitã habeant, & abundãtiùs habeant. *Quo Chriſti ſermone etiam per imaginem pronuntiato, facilè attendentibus apparere incipit, quid ſibi à Deo paratum exſpectet & gratuletur Vates, dum prædictis adiungit:*

6. Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.

Manifeſtè enim declarat perpetuum ſibi diuinæ prouidentiæ beneficium ex miſericordiæ pacto non defuturum, quandiu præſentis vitæ, hoc eſt, quamdiu legitimæ diſciplinæ vſura ſuppetat; cuius decurſum mox abſolutum, quænam conditio quamque beata ac felix eademque æterna conſecutura ſit, eueſtigio declarat.

Et vt inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

Alteram ſortem priorem, hoc eſt, legitimam & miſericordia Dei ducendam, ſed finem tamen habituram, ſuperiore verſus parte adnotauit: alteram verò æternam intra Dei domum ducendam, non vt hoſpiti & aduenæ, ſed vt ciui ſanctorum ac domeſtico Dei, hac poſteriori ſubindicat parte ſibi creditam & ſperatam; qualem aliàs prædicare ſolet: Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te. *Pſal. 83.* In longitudinem dierum, *idem ſignificat quod* in æternum: *nam aliàs nulla dierum dicenda longitudo quæ certo præcidatur termino. in exemplari clariùs,* LEORECH IAMIM, ad longitudinem dierum, *id eſt, quando & quamdiu dies longi, hoc eſt, perpetui, dici poſſunt. Nam qui dies noctibus interpellantur, longitudinis prærogatiuam non ſortiuntur, quales in hac mortali vita,* breues dies hominis *eſſe dicuntur. Huic ſignificationi* *Iob 14.* *& verbum* SACHANTHI, inhabitem, *aſtipulatur: quod immobilem & inuariabilem cum ſecuritate atque quiete manſionem ſignificat.*

IN PSALMVM XXIII.

ABRAHAMO ORTELIO SALVTEM.

Salutis humanæ cunctis orbis nationibus communicandum ex Deo beneficium, gratulatione & laude publica, tum à ſingulis, tum verò pariter ab omnibus, celebratu digniſſimum, quis noſtro æuo commodiùs & opportuniùs prædicare, & miſſis in totum terrarum orbem epiſtolis ac nunciis differre ac propagare valeat, ſi vnius mortalis id negotium eſſe poſſit, quàm tu vnus Abrahame Orteli? qui eius, cuius nomen obtines, fidem, virtutem, & modeſtiam imitatus, poſt literarum bonarumque diſciplinarum obtentam peritiam, bona Chriſtiani orbis quoque peragrata parte, atque varia linguarum & ſermonum comparata copia, & diuerſorum notitia morum auctus; geographicas non tantùm totius terrarum orbis, verùm ſingularum prouinciarum, regionum, ditionum, viciniarum, ciuitatum, ac ferme etiam vrbium & oppidorum, exquiſitiſſimas & exactiſſimas imagines mobili & in ſingulas hominum domos aſportabili Theatro ſpectandas ita concinnaſti ac diſtinxiſti; vt poſt induſtriæ tuæ laborem, à nemine antea mortalium ita fortiter ſuſceptum ac toleratum, ita feliciter abſolutum & liberaliter ad publicam vtilitatem editum, nulli aliàs peregrinationis & terræ ac maris viarumque cognitionem comparandi cupido, quicquam quod requiri poſſit, videatur relictum; quò minùs citra temporis interuallum atque itinerum difficultates, citra pericula vitæ valetudiniſque diſcrimen, ac viatici neceſſarium ſumptum, intra propriam patriam, vel ab ea non longè hoſpes, domi priuatè agens & quieſcens, aut in villa ruſticatus, vel in ciuitate recreationem à munere publico vel à negotiis quærens, quaſi per ſcenam & ludum, quo nullus vel iucundior vel ad omnem vitæ partem & rerum hiſtoriam

Abrahami Ortelij laus.

Ortelij Theatrum geographicum.

ſtoriam reperiatur vtilior, terræ ac maris loca omnia, incolas cum ſuis moribus, ritibus, habitibus, armis atque ſtudiis, in medium producta ingente cum voluptate & ad propoſiti argumenti vſum certa veritate ſpectet; atque tam mente & animo concipiat, quàm ſenſu & oculis intueatur: dumq́ue id agit, æuo te noſtro atque poſteris datum à Deo putet, qui ſolus omnem antiquorum in hac ſapientiæ parte ſtudium viceris, & recentiorum diligentiam exceperis; exceptam ita comparaueris, vt quæ & illis, & iſtis variè & perplexè tractata atque incondita prodierant, à te ita contexta & cohærentia nunc edita fuerint, vt tibi omnes ſudaſſe & ſategiſſe videantur, tu omnibus elaboraſſe & ſatisfeciſſe, atque nominis tui monumentum ad cunctos iure tranſmiſſum ſacraſſe dicaris. Age dum iam modò, mi Abrahame, & quantum tibi Deus gratiæ apud omnes conceſſit gentes, da operam, ſtude, ora atque poſce, vt propriæ ſingulorum ſalutis amor & cura, cum Pſalmi huius & aliorum quibus de eadem re agitur cognitione, communicetur & creſcat ad laudem & gloriam eius, qui vt vnam filiis hominum terræ habitationem decreuerat, ſic vnum cunctis conſtituit, & comparauit apud ſe domicilium; id modò ritè ac ſeriò agentibus, quod à communi multarum gentium patre Abrahamo ſtudioſè ac diligenter actum, factum, ac præſtitum narratur. Vale. ex Rupe noſtra apud Aracenam. IIII. Id. Septemb. CIↃ. IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

TErra omnis vna eſt hominum cauſſa ab vnico auctore & conditore Deo primùm creata, & multis ad fertilitatem atque vſum ſui viribus & nominibus inſtructa; quæ quamquam non continua appareat omnis, tamen vnica eſt & vnico continente fundamento ſolida; interiecto quidem diuerſa per loca mari, & fluminibus interdum diſtincta altioribus & ad nauigationem opportunis; atque hoc pacto mutua ſui & aquarum ope vires conſeruat ſuas. Vtraque pars, terra inquam & mare, hominum habitationem quamquam longè lateq́ patentem ac variè diſtributam, tamen viarum & nauigationum induſtria communicabilem præſtat; atque ita verè ac reapſe vna omnium domus, vna habitatio eſt; vtpote vnico ſolo ſita, & vnico etiam cælorum tecta & con-

Terra vna.

Deus vnus.

tenta ambitu, vnicumque quoque ſui teſtatur auctorem, regem, gubernatoremq́; ſummum Deum, omnibus terræ habitatoribus cognoſcendum ac piè religioſeq́; colendum. Verùm enimuerò non omnibus quondam eo nomine innotuit, quo ſeſe IEHVEH, *id eſt, miſericordem & ſeruatorem ſoſpitalémque vocari declarauit ipſe: namque id nomen aliis olim nationibus ignoratum, apud vnam Semitarum familiam conſeruatum, diu tamen non adeò celebre & propagatum fuit, niſi in Iacobi ſobole per duodecim diuiſa tribus; quibus ſanctiſſimum nomen illud familiariter ac religiosè multa cum vtilitate celebratum ac decantatum manſit, non tamen omnibus illis ex æquo & in ſuam ipſorum ſalutem agnitum, ſed iis tantùm quibus pura & integra fide, atque ſincera pietatis & virtutis obſeruantia cultum, conciliatum, & quodammodo guſtatum fuit. Hac verò conditione toto illo tempore perſeuerauit, quo ſcriptæ & latæ Legis notitia & vſus figuraliſq́; ritus vigebat: Eccleſia tunc vno in loco tanquam in orbis medio conſtituta, & veluti lucerna quædam in tenebris incenſa, quò omnes vndique conuenire poſſent, quicumque de ſalute ſua ſeriò, diligenter, & ſtudioſè agerent. S.S.E.* Poſui te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. *Cùm verò ad huiuſmodi conditionem rari ex gentibus & non multi etiam ex Iacobi poſteris acceſſiſſent, propter communis hoſtis, id eſt, Diaboli aſtum, fallaciam, fraudem, & perpetuam nocendi & impediendi contumaciam; abundante & inexhauſta diuinæ miſericordiæ & bonitatis liberalitate ab initio conſultum & prouiſum, demum verò in ſeculorum finibus effectum eſt, vt ſalutis ratio, notitia, & copia non in vno tantùm loco & populo conſtaret, ſed illinc profecta ipſa vltro per euangelium in omnes terræ orbis partes communicanda & impertienda propagaretur; iiſdem tamen conditionibus ac pactionibus, quibus antea Iſraëlitis promiſſa fuerat, videlicet fidei promiſſis, ac virtutis obedientiaq́; iuſſis & mandatis diuinis præſtandæ. quam hiſtoriæ ſeriem & formam, diuinus Vates ac Pſaltes in Pſalmi huius paucis quidem verſibus, verùm ſententiæ & rationum refertiſſimis, complexus, contexuit.*

IEHVEH nomen nō omnibus gentibus cognitum.

Dei nomē ad ſalutem quibus agnitum.

Eccleſia vetus.

Eccleſiæ per Euangeliū propagatio.

1. Domini eſt terra, & plenitudo eius; orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo.

Diuina prouidentia erga hominum genus, cùm in hac mortali vita fouendum, progagandum, & gubernandum, tum verò demum æterna felicitate afficiendum celebratur hoc Pſalmo. qui à graui & alto principio exorſus, magnum progreſſum & præſtantiſſimum promittit finem: id quod antiquis & artificioſis poëtis (quorum artis & præſtantiæ ſummum exemplar in Dauidis carminibus conſtat) in magni & ſingularis argumenti atque commendabilis doctrinæ hymnis, odis, & cantibus, conſultò ſeruatum adnotatur. vt apud Pindarum:

Ἄριστον μὲν ὕδωρ, &c.

Poëtarum artificium

Olymp. ᾠδ. α. 1. *optimum quidem aqua.*

Apud

Apud Horatium:

Incluſam Danaem turris ahenea. *& alibi;*
Odi prophanum vulgus & arceo.

Eſt autem primi huius verſus doctrinæ ſumma quædam & maxima propoſitio, totam porrò concinnandam argumentationem complexa, qua terræ totius atque hominum in ipſa degentium ius & poſſeſsio, vni Domino, Deo in quam ſapienti, miſericordi, & efficaci, arrogatur, & cura etiam gubernatioq́; adſcribitur, & certa ac legitima in poſterum vendicatio decreta prædicitur. Atqui ex compluribus diuinis nominibus, quorum vnumquodque certam quandam virtutis Dei rationem, ab aliis non re ſed ſignificandi modo diſtinctam, continet, duo celeberrima & appellando frequentiſsima ſunt; ELOHIM, *quod ad creationis & gubernationis mundi auctoritatem citatur, &* IEHVEH, *quod in humani generis labe ſananda & ruina ſarcienda, atque adeò amplificatione præſtanda & in miſericordiæ diuitiis communicandis plerumque appellatur. Atque prius illud nomen à principio vſque mundi conditi vſurpatum, vel id ipſum in propria & primæua lingua conſeruatum, vel nonnihil in aliis linguis mutatum, vel etiam ex ſignificatione magis quàm ex voce ac ſono relatum, omnibus gentium nationibus & populis celebre conſtitit, ſiue, vt Chananæis,* ELOHIM *diceretur, ſiue* ELOHAH, *vt Chaldæis & Aſſyriis: Arabibus* ALAH, *Perſis,* GODAH, *Cimbris* GOD, *Græcis poſtea & Latinis* ΘΕΟΣ *ac* DEVS, *ſiue quocumque modo ille diceretur, qui vel mundi auctor vel rector vel vtrumque eſſe credebatur. Illud verò alterum nomen* IEHVEH, *in cuius mentione ſalutis humanæ agitur ſumma, cùm raris quondam viris ante commune diluuium prædicaretur, apud Semi poſteritatem conſeruari, & ab Abrahamo rurſus commemorari, virtutis verò & efficientiæ experimento Iacobi nepotibus quadamtenus cognoſci & probari Deus voluit. S. S. E.* Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in EL SADAI [*Deo omnipotente*] & nomen meum IEHVEH [ADONAI] non indicaui eis. Pepigiq́ue fœdus cum eis vt darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ. Ego audiui gemitum filiorum Iſraël, quo Ægyptij oppreſſerunt eos, & recordatus ſum pacti mei. Ideo dic filiis Iſraël: Ego Dominus qui educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & eruam de ſeruitute, ac redimam in brachio excelſo & iudiciis magnis. Et aſſumam vos mihi in populum, & ero veſter Deus: & ſcietis quòd ego ſum Dominus Deus veſter qui eduxerim vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & induxerim in terram, ſuper quam leuaui manum meam, vt darem eam Abraham, Iſaac, & Iacob; daboque illam vobis poſſidendam ego IEHVEH. *Igitur nomen illud ſanctiſsimum* IEHVEH, *apud Iacobi poſteros ſalutaris ac tutelaris numinis ergô celeberrimum, poſt ſalutis illius & libertatis tempus perpetuò manſit; aliis verò nationibus & populis proximis quidem aliquandiu notum, non tam ex propriæ vtilita-*

Dei nomina.

IEHVEH nomē quibus cognitum.

GODAH. GOD. ΘΕΟΣ. DEVS.

Exod. 6.

tis agnitione, quàm ex vltionis & vindicationis ſenſu. Siquidem & Pharao, qui ſe ſciſſe aut ſcire aut reuereri nomen illud negauerat, non ſine ſuo ſuorumq́ magno malo tandem noſcere & confiteri coactus narratur: Fugiamus Iſraëlem: IEHVEH enim pugnat pro eis contra nos. *Idem etiam Chananæis poſtea, deinde etiam Philiſtinis formidabile ac terribile exiſtimatum, ſentientibus nimirum victoriæ & vindicationis robur & virtutem in eos, qui ſeſe Iſraëlitis præbuiſſent hoſtes: ex quibus illi ſic teſtati confeſſiq́ narrantur:* Noui quòd Dominus tradiderit vobis terram: etenim irruit in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus quòd ſiccauerit Dominus aquas Maris rubri ad veſtrum introitum, quãdo egreſſi eſtis ex Ægypto: & quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Iordanem, Seon & Og, quos interfeciſtis: & hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis Spiritus ad introitum veſtrum. IEHVEH enim Deus veſter, ipſe eſt Deus in cælo ſurſum & in terra deorſum. *In hunc modum Chananæi. Philiſtini verò non ſecus:* Iuxta numerum prouinciarum Philiſthinorum quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga vna fuit omnibus vobis & ſatrapis veſtris: facietiſq́; ſimilitudines anorum veſtrorum & ſimilitudines murium, qui demoliti ſunt terram, & dabitis Deo Iſraël gloriam; ſi fortè releuet manum ſuam à vobis, & à diis veſtris, & à terra veſtra. Quare aggrauatis corda veſtra, ſicut aggrauauit Ægyptus & Pharao cor ſuum? nónne poſtquam percuſſus eſt, tunc dimiſit eos, & abierunt? *Idem itaque Dominus* IEHVEH, *qui delecto ſibi populo ſalutarem ſe præſtabat olim, aduerſariis atque inimicis populi ſui terribilem & formidabilem præbebat; cùm tamen vel hoſtium ipſorum confeſſione Deus in cælo & in terra crederetur. Id quod vt veriſſimum Pſalmi huius initio aſſeueratur, & tanquam vnico auctori ac domino & gubernatori vel ex ipſo opificio, atque ex permanente adiudicatur habitu. Ex duobus autem nominibus quibus terræ natura & vtilitas indigetatur,* ERETS *&* ADAMAH; *prius illud hoc vſurpatum loco, non ſolùm qua parte plantarum & frugum fertilis eſt, quáque* ADAMAH *dicitur, verùm qua rerum aliarum variæ & multiplici vi & fæcunditate nobilis, ita vocatur. Quidquid inquam terra eſt, quidquid in ſe habet, aut ex ſe præbere poteſt,* Domini eſt terra. *id quod cùm dictum ſatis eſſe poſſit, vlteriùs tamen per expolitionem declaratur,* & plenitudo eius; *quo adiuncto nulla ſui parte inanis & vacua aut inutilis eſſe prædicatur; qualis nimirum initio, cùm ex aquarum ambitu extitiſſet, apparebat, cùm* IABASAH, *id eſt, arida, tantummodo diceretur: nam poſtquam à Deo vocata eſt* ERETS, *nomen etiam* THEBEL *meruit & admiſit; pro quo Latini interpretes ſæpius reddunt* ORBIS. *dicitur autem* THEBEL, *vocabulo duobus verbis* NABAL *&* BALAL *maximè affini: quorum alterum cadere, deſcendere, & ruere interpretamur; alterum verò miſcere, complicare, & confundere. Namque terra in-*

Exod. 14. Ioſue 2. 1. Reg. 6. Terræ nomina. Orbis.

ra infimum totius orbis firmiſſimumq́; ſortita conſeruat ſitum, eademq́; infinitis ferè ſuccis ijſdemq́; mixtis & variè habentibus abundat; quorum nihil ex ſeſe habet quod non auctori Domino reddat acceptum: non ſitum, quando ſcriptum legimus: Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum: & appareat arida. Et factum eſt ita. Et vocauit Deus aridam, Terram, congregationeſque aquarum appellauit Maria. & vidit Deus quòd eſſet bonum. *Aquarum à terra diſcriminatio, vtriuſque etiam partis vis, habilitas, & fœcunditas, ſitus quoque ipſe atque habitus, cum nominibus ex naturæ veritate impoſitis; cuncta hæc, diuinæ ſapientiæ auctoritate ac ſententia, boni ius, præconium, atque laudem communicant, obtinent, ac tuentur. & quoniam hæc, quibus terra commendatur, omnia hominum cauſſa facta ſunt, vtpote habitationi atque vſui deſtinata, meritò tam domus ipſa quàm incolæ,* Domini eſſe dicuntur, & vniuerſi qui habitant in eo. *vt alibi etiam eodem hoc Pſalmorum libro aſſertum.* Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum. *Atqui omnia hæc ad vnum Dominũ pertinere dicuntur, vt auctorem opificemq́; vnicum, non ab aliquo alio vel coactum vel conductum, ſed neque edoctum aut monitum, à nemineq́; correctum; ſed vnum opus vnico conſilio ac iuſſu & vnico tempore fabrefactum & abſolutum, atque vnis ab initio vſibus, & mutuis virtutibus atque commodis concinnatum: quæ omnia vt conſtantem ordinem atque integrum probant opificium, & ſibi prorſus cõſimile præbent exemplum; ita exemplar vnicum, & vnicum aſſerunt ſui architectum & gubernatorem conſeruatoremq́; Dominum.*

Terræ ſitus & natura. Gen. 1. Pſal. 113.

2. Quia ipſe ſuper maria fundauit eum, & ſuper flumina præparauit eum.

Totus terræ ac marium & fluminum ſiue globus ſiue orbis, quemadmodum habeat, hoc vno verſu graphicè pingitur: neque enim, vt veterum geographorum vulgus opinabatur, mare ac terra ſingulos orbes conſtituunt, ſed ambo ſimul vnicum, variis in locis mutua ſeſe inſinuatione & ceſſione aperiendo, intermittendo & penetrando; atque ita diſtinguendo, vt ſolidi globus totus vnicum terræ, aquæ verò varij meatus, aditus & receptus, multitudinis numero latius obtineant vocabulum; congregationeſque aquarum appellauit Maria; *in terræ verò ipſius ſpatio flumina ex mari profecta, veluti vtriuſque partis commodorum vectores & apportatores quidam percurrant; ſiquidem* omnia flumina intrant in mare (*terreſtres videlicet vtilitates in mare deuoluendo*) & mare non redundat; *quippe* ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur vt iterum fluant, *marina commoda terræ etiam communicando. Interpretationis ac deſcriptionis huius vim vox* GHAL *exprimit, quæ non tantùm in* ſuper *vel* ſupra *apud Latinos verti poſtulat, ſed etiam* iuxta, ſecundum, apud, prope. Quia ipſe iuxta maria fundauit eum, & ſecundùm flumina preparauit,

Terrarum & maris globus. Fluminum vſus. Eccl. 1. Super.

IECHONENEHAH, concinnabit eum; *perpetuò concinnatum ſeruat: quæ vis futuri verbi plerumque eſt, in naturæ verò rationibus perpetua.*

Futuri ſignificatio.

Hactenus prima propoſitæ diſputationis pars, qua terræ & maris orbis, cum opibus, commodis, habitatoribusq́; ſuis, vni IEHVEH *tanquam auctori, gubernatori, ac Domino adiudicatus arrogatur; atque ita Deus vnicus, idem communis omnium hominum Princeps ac Dominus agnoſcendus & colendus celebratur, quamquam non omnibus quondam pariter & communiter ſingulari illo notus nomine, præcipuè ad miſericordiæ, gratiæ, & beneficiorum publicas abundanteſq́; diuitias referendo; quæ prima & potiſſima in illius mentione & appellatione habetur ratio: namque hoc pacto ac iure ab Iſraëlitarum gente celebratur, vt ſibi beneficentiſſimi Domini, vicinis & finitimis vindicis iniuriarum ſuis cultoribus factarum, quibus tamen cultoribus interdum ſe correptorem præbendo, eodem nomine, verùm vt Pater vel Dominus familiarior, vocabatur: idq́; plerumque cum adiuncto* EL TSEBAOTH, *id eſt,* fortis vel præſtans & exercituum princeps. *Remotioribus verò nationibus ferè prorſus illud erat ignotum & nomen & numen. S. S. E.* Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. *Quam verò gloriam dari & manifeſtari poſcerent, illi eueſtigio declarant:* Super miſericordia tua, & veritate tua; nequando dicant gentes, Vbi eſt Deus eorum? Deus autem noſter in cælo: omnia quæcumque voluit, fecit. *Igitur arcanum, admirandum & adorandum nomen hoc, vt alius minùs notum gentibus, ita ſibi tantùm ſingulariter conſtare ac familiariter fauere, Iſraëlitæ præſumentes prædicabant; atque hac ſibi blandiebantur gloriæ prærogatiua, quòd non ſolùm delecti ſegregatiq́; eſſent ac peculiariter admiſſi ad communionem beneficiorum ſanctiſſimi nominis huius, verùm etiam ſingulari terræ, ciuitatis, atque etiam templi loco, ſoli ipſi mortalium omnium diuina fruerentur familiariq́; tutela; tanquam electum genus, & quod ad ceteras comparatum gentes, ſacrum ſanctumq́; haberetur, & magnorum conſcium arcanorum, quæ ſub nominis illius maieſtate velabantur.* Et Dominus elegit te hodie vt ſis ei populus peculiaris, ſicut locutus eſt tibi, & cuſtodias omnia præcepta illius: & faciet te excelſiorem cunctis gentibus quas creauit, in laudem & nomen & gloriam ſuam: vt ſis populus ſanctus Domini Dei tui, ſicut locutus eſt. *Atque hanc ipſam gloriam iactationemq́; iſtiuſmodi, populus ille ſibi vni vſurpatam (vt vulgus hominum ſibi nimium indulgens aſſolet) propriam perpetuamq́; arbitratus eſt, nonniſi ſolis Iacobi filiis, aut iis, qui in ipſorum turbam concederent, communicatum iri arbitrabatur.*

Deus exercituum. Pſal. 113. Iſraëlitarũ de Dei erga ſe gratia præſumptio. Deut. 26. Iſraëlitarũ falſa iactatio.

Iuuenal. Sat. xiiij.

Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra colenti;
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

Ad hanc etiam præſumptionem illud accedebat, quòd ſola inter omnes orbis vrbes Ieroſolyma delecta cenſebatur, in qua Fanum vnicum ſanctiſſimo illi ſacrum dicatumq́; conſtaret nomini, tanquam regia quædam ciuitas, atque

que aulæ regiæ iure & priuilegio ſingulariter donata, vt illis ipſis habebatur ſeculis. S.S.E. Notus in Iudæa IEHVEH: in Iſraël magnum nomen eius. Et factus eſt in SALEM locus eius; & habitatio eius in Sion. Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium, & bellum. *Et quidem hæc omnia quamquam ita verè habuerint, imaginem tamen præferebant futuræ felicitatis, cuius amplior doctrina ac notitia omni terrarum orbi communicatum iri prædicta fuerat; vt vel ex illo declaratur oraculo,* Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ. *Idem autem ferè argumentum hoc in loco tractatur, & certa rerum ſerie rationeq́ commendatur: namque illud verè affirmabatur, diuinæ ac ſanctæ doctrinæ copiam & nominis Dei notitiam, in illo terrarum ſiue loco ſiue angulo, ſiue, vt antiqui voluerunt, meditullio, conſtare; & iis qui veræ pietatis profiterentur cultum & ſtudium, communicari: verùm enimuerò doctrinæ illius vtilitatem & efficacitatem non omnibus pariter qui ex ſanguine Abrahami ſecundùm carnem deducerentur, concedi; ſed iis qui certa & ſolida virtute Abrahami fidem, vitam, atque mores referrent; qualem ſeſe Abrahami nepos præbuerat Iacob; aliàs fruſtra quemquam iactare genus, à cuius exemplo mores diſcrepent.*

Pſal.75.

Gen.22. Promiſſa Abrahami quos ſpectent.

3. Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto eius?

Anthypophora hæc ab ipſo pronuntiatur Vate veram impetrandæ gratiæ rationem docere ſatagente, conditioneſq́ commemorante, ſine quibus nec ſancta nec pura cuipiam adſcribi poßit religio, quamlibet externo atque ſpectabili niteat ritu. Quis aſcendet in montem Domini? *Moriam montem Domini vocabant antiqui, in quo Abrahamus quondam tentatus, ac tentanti obſecutus, filium vnicum ſacrificare geſtiebat, in eodemq́ poſtea templum illud totius orbis celeberrimum à Salomone conſtructum fuit. Dauidis verò tempore tabernaculum ibidem fixum viſebatur. Huius verò montis dignitatem ſingularemq́ celebritatem ſoli ſibi Iſraëlitæ arrogabant, ex illo ſæpius repetito reſponſo,* & adorabis in loco, quẽ Dominus Deus tuus delegerit. *Iacobi autem nepotes & poſteri, arcanam doctrinam nimium rudi ſenſu perceptam ſecuti, ſe ſolos, vel eos qui eandem doctrinam cum circumciſione profiterentur, illo nomine & iure definiri arbitrabantur, idoneosq́ exiſtimabant adeundo & frequentando loco illi, in quo præcipuo quodam beneficio Domini ſanctitudo & maieſtas prælucebat. Obiter autem myſterium indicare iuuat, cupientes lectoris ad altiora magisq́ cæleſtibus ſimilia votum & ſtudium incitare.* Quis aſcendet MIIAGHALEH, Quis vlteriùs & altiùs procedet, in montem Domini, BEHAR IEHVEH, in grauidationem Domini? *grauidationem ſubindicat, quam feliciſsimus manet partus. qui legit, intelligat. Hunc verò aſcenſum ſtatio conſecutura dicitur:* in loco ſancto eius, BEMAKOM

Mons Domini. Moria mons.

Iſraelitarũ error.

Deus locus dictus. K O D S O. *conſtitutionem & perſeuerantem manſionem ſignificat in capacitate ſancta Dei, cui inter alia nomina* MAKOM, *id eſt, locus vel capacitas adſcribitur. ſtare autem in ſancto illo loco, cum illo conuenit promiſſo;* Apoc. 3. Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur ampliùs: & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum. Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis. *Nam* I A G H A M O D, ſtabit, *verbum, nomini* G H A M V D columnæ, *originem & ſignificationem præbet.* Columna. *Sed iam ad ſimplicem commentationem redimus, cùm arcanam perſequi nondum tempeſtas ferat; quod verò nunc inſtat, quinam in montem illum aſcenſuri ſint, doceamur.*

4. Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vanum animam ſuam: neque iurauit in dolo proximo ſuo.

Salutem impetraturi partes. *Aſcenſuro ad montem Domini & conſtituro in loco ſancto, quænam partes, leges, & conditiones exigantur, audire eſt operæ pretium; hoc eſt, ſalutem ſuam à Domino impetraturi partes diſcere ac tenere: namque in humanæ felicitatis pacto duarum partium conuentio eſt, hoc eſt, Dei ex miſericordia polliciti & numquam fallentis, & hominis id agentis quod ad rem attinet, atque ex diuina ope conati & ſatagentis: à quo duo exiguntur,* Fides. *nempe fides erga promittentis benignitatem, virtutem, & voluntatem, &* Obſequiũ. *obſequium illius præceptis præbendum. id quod certis præſtatur officiis erga Deum, erga ſe ipſum, & erga ceteros homines. Hæc autem officiorum ſumma eſt, erga Deum pariter & erga homines animi ſimplicitas & mentis puritas,* Animi puritas. *vt nequid cogitatione aut voto agatur, quod à recta ratione vel tantillum deflectat; rectæ autem rationis norma & examen, illis duobus definitur præceptis:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, ex omnibus viribus tuis; & diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Innocẽtia. Beneficentia. *Huic proximum eſt nihil cuiquam nocere mortalium, nihil in ſe admittere, quod aduerſum ſe ab alio admiſſum graue aliquo pacto videri poßit. atque hoc poſterius, promptius & facilius cautu & vitatu eſt, & à pluribus vitatur; quippe cùm interdum damni aut mali aut incommodi aut infamiæ legibus decretæ formidine coerceatur, vel etiam virium & facultatis inopia retineri accidat; atque adeò ſi nihil iſtorum vetet, ambitioſa tamen humanæ gloriæ cupidine diſsimuletur; quando, ſi fallendi homines adeſſet ſpes, profanis pariter ſacra miſcere, nulla retardaret religio. Verùm enimuerò ficta huiuſmodi ac diſsimulata innocentia & abſtinentia, quidquid apud homines venetur, tamen Deum, quem nihil fallit, nullo pacto conciliat; immo infenſum ſibi reddere pergit, vtpote ſimpliciſsimum & fictionis ſimulationisq; inimicum. Primæ igitur debentur animi bona Deo, deinde verò hominibus innocentia & beneficen-*

neficentia: ab hac tamen primùm conditionis exactio incipit, vtpote quæ humano agnoſcendi modo prima occurrit, ſeſeq́ſpectatorum offert ſenſibus, & à pluribus ideo quàm altera pars exhibetur. atque ita ab antiquis æſtimabatur, qui ex conſequente actione vel facto antecedentem voluntatem cenſentes, bonum virum quempiam eundemq́ ſanæ mentis hominem commendabant, quippe qui ex ſpectatæ vitæ conſuetudine, animi habitum putarent. contra verò Abimelechus Deo, cui ſeſe purgare auebat, animi priùs, deinde facti defendebat immunitatẽ: In ſimplicitate cordis mei & munditia manuum mearum feci hoc. *Hæc itaque prima exactæ legis pars animi probitas & facti innocentia, vt nequid cuipiam noceatur, ſed nec noceri cupiatur quidem: huic etiam alia pars adiungenda, integritas videlicet & ſanitas non ſolùm priuatorum vitæ morum, ſed votorum quoque, nequid ex ambitione, aut ex inanis gloriæ vel ſuperuacaneæ cupiditatis impulſu, agatur; ſed quidquid vel dicto vel facto vel etiam cogitatu ſuſcipiendum fuerit, pondus momentumq́ præferat ac probet, & ab æqui & honeſti ſoliditatẽ nihil deterat.* Qui non accepit in vano animam ſuam] ASER LONASAH LESAVEH NAPSO; Qui non ſuſtulit in vanum animam ſuam. *Animæ nomen pro appetitiua animi vi vſurpari ſæpiſſimè aliàs docuimus,* SAVEH *vocabulum, otioſum, ſuperuacaneum, intempeſtiuum, & iocularium vel ridiculum, & quidquid caſſum ac minùs ſolidum eſt, ſignificat: atque hac eadem verborum formula illud vetitum legimus,* Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanũ. *Namq; humanæ natura ac dignitas animæ longè nobilior ac generoſior eſt, quàm vt vanum aucupetur quicquam, quin potiùs à fabulis & ludis & ſpectaculis inanibus vt abhorreat, atque rem deteſtetur omnem, quam honeſta non ſolùm oratio, ſed ratio quoque ſolida non commendet; fraudis verò, fallaciæ, ac doli, ſimulationisq́ genus omne, quod in cuiuſpiam mortalium vergat incommodum, ita vitari oportuerit, vt nec iureiurando adſtrictum admittere fas eſſe putetur.* Neque iurauit in dolo proximo ſuo] VELO NISBAGH LEMIRMAH & non iuratus eſt in fraudem, *ſiue fallaciam. quod Latinè legimus,* proximo ſuo, *ſententiæ cauſſa videtur adiectum. Atque hoc documento non modò doloſum iuramentum, ſed dolum, fraudem, ſimulationem, induſtriamq́ omnem à boni & æqui ratione ac defi itione alienam, etiam præmiſſa iurandi ſanctitate munitam, vetari intelligimus. Ita verò ex conſequenti, fidelis ac probi viri certas & à Deo exactas conditiones tenemus quatuor legum ſummâ collectas, manuum puritate, ſanitate mentis, votorum ſoliditate, & dictorum ac iuramentorum religioſa ſimplicitate. quæ omnia ex Dei exigentis ope & gratia præſtari poſſe ac deberi, homines etiam, qui inter gentes ſapiebant, confeſſi ſunt:*

Compoſitum ius faſque animi, ſanctoſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.

Hæc itaque iure exacta, quiſquis candidè ac purè præſtiterit;

Dominus cor maximè intuetur, homines opera primùm.

Gen. 20.

Votorum ſanitas.

Anima.

Exod. 20.

Vanorum aucupium.

Fraus & Induſtria.

Probi viri partes.

Perſ. Sat. 2.

5. Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.

Dei veritas ac fides. *Partium, quas ad propriam ſalutem & felicitatem impetrandam afferre oporteat hominem, declarata lege certiſſima, deinde aſſeueratur Domini benignitas & fides, congruente profectò rerum ac rationum iure: nam qui vanitatem ſpernit & odit, verum ac ſolidum bonum deligere, optare, atque expetere putatur*; accipiet *igitur* à *benigno & miſericorde* Domino IEHVEH. *idem verbum* NASSAH *in ſuperiori verſu negatum, in huius principio repetitum adſtruitur*; qui non ſuſtulit in vanum animam ſuam, tollet benedictionem MEETH IEHVEH ex apud Deum. *Dicendi tropus myſterium ſubindicat, quod ſi non aſſequi, tamen conſequi* Benedictio *non piget*: BERACHAH, *pro quo Latini identidem* benedictionem *reddunt, actionis operiſq; omnis beatum felicemq; ſignificat euentum; vt in plantatione fertilitatem, in pactione & pecuariæ rei cura ſalubritatem & fæcunditatem, in generis ac ſobolis procreatione numeroſitatem, in humanæ ſalutis ratione fauſtitatem & proſperitatem, qualem Abrahæ promiſ-* Gen. 12. *ſam accepimus*: Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, Benedictio Abrahæ promiſſa. & magnificabo nomen tuum, eritque benedictus. *Sic enim exemplar habet.* Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham. *Hanc* Gal. 3. *verò benedictionem ex Verbi Dei hoc eſt Chriſti efficacitate, virtute, & communicatione ſublatum acceptumq; iri ſubindicat Vates*; de apud Domi- Iohan. 1. num; *De Verbo quod* in principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *Benedictionem verò, ſanctam filiorum Dei communionem intelligimus, quam diuina iuſtificatio à Deo ſalutis auctore gratis donata largitur,*

& miſericordiam à Deo ſalutari ſuo] VT SEDAKAH MEELOHEI IESVGHO, & miſericordem iuſtitiam ab auctore, principe, & gubernatore ſalutis ſuæ. *Huius totius narrationis ac deſcriptionis viuum expreſſumq; exemplum, in Iacobi patris vita, fide, & moribus ſpectatum, quicumque imitati fuerint, certum, ſalutare, atque proprium demum experti agnoſcent: namque vt ille per omnia tempora, quibus Iacobi, hoc eſt, humilis, modeſti, ac deuoti ſerui, perſonam parteſq; ſuſtinuit, nihil abſque Deo Domino vel votis concepit, vel ſtudio egit, vel moribus ac vitæ conſuetudine præſtitit; atque hoc pacto & Iſraël audire & ſibi viſum Deum fateri, diuinæ miſericordiæ acceptum retulit; ita omnes qui illius inſtiterint veſtigiis, perſimilium à Deo munerum ac beneficiorum compotes euaſuros pollicetur Vates.*

6. Hæc eſt generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob.

DOR *vnum ex compluribus nominibus, quæ Latinus interpres vertit in*

in generatio, *ad vitæ morum, iudiciorum, ac temporum & ſtudiorum communionē potiùs, quàm ad generis vel ſanguinem vel ſobolem refertur. ſic dicimus* DOR HAMABVL, generatio diluuij, DOR HAPEL AGAH, generatio diuiſionis linguarũ. *Et illud clariſſimum:* Non videbit quiſquā de hominibus generationis huius peſſimæ terram bonam, quam ſub iuramento pollicitus ſum patribus veſtris. *Poſſunt & collegia & quæ vocantur cõmunitates hoc dici nomine. Tales igitur (ait Vates) oportet eſſe eos, qui patris Iacobi veſtigiis inſiſtētes, Dei in ſancto monte viſendā quærunt faciem;* tuam, *inquam*, ô Domine, faciem. *namque in exemplari verſu apoſtrophe auditur. Atqui oratio hæc ratioq; omnis inſignem illam reſpicit Iacobi hiſtoriæ partem:* Interrogauit eum Iacob; Dic mihi, quo appellaris nomine? Reſpondit: Cur quæris nomen meum? & benedixit ei in eodem loco. Vocauitque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. *vtpote quæ nihil quicquam præſumpſerat vanum, nihilq; popoſcerat aut vouerat, niſi quod cum pietate, cum timore, cultúque Dei, ſtare poſſet commodè.* Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei; erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei; cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. *id quod votum atque ſtudium Deo probatum, ingens illa in imagine benedictio declarauit, ab eodem agnita, & laudibus atque gratiis agendis commemorata.* Deus Patris mei Abraham, & Deus patris mei Iſaac: Domine, qui dixiſti mihi: Reuertere in terram tuam & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi: minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua quam expleuiſti ſeruo tuo. In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum: & nunc cum duabus turmis regredior. *Atqui eodem quo hæc acta fuerant loco, & angelos primùm obuiam habuit, & à luctæ victoria, Iſraëlis, id eſt, cum Deo potentis, nomen duxit.* Manſit *enim ille* ſolus, & ecce vir luctabatur cum eo vſque mane. qui cùm videret quòd eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit. Dixitque ad eum: Dimitte me, iam enim aſcendit aurora. Reſpondit: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Ait ergo: Quod nomen eſt tibi? Reſpondit: Iacob. At ille, Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis? *Atque hac hiſtoria manifeſtè intelligimus Deum Iacobo piè, purè, ac ſtudioſè quæſitum, vltro ſeſe obuiam dediſſe, vltro felicitatem rerumq; copiam prouidiſſe, vltro etiam & victoriæ fortitudiniſq; præconium, nomine quoque in melius mutato, conceſſiſſe. id quod exemplum omnibus propoſitum aſſeuerat Vates, qui Iacobi fidem, pietatem ac virtutem, fuerint ſtudioſè ac ſeriò imitati; neque illis tantùm, qui ex Iacobo ſecundùm carnem duxerint originem, ſed etiam gentibus*

cunctis,

Generatio.
Deut. 1.
Gen. 32.
Iacobi vota.
Gen. 28.
Gen. 32.
Iacobi imitatio & amplificatio omnibus gentibus propoſita.

cunctis, quibus conſimili via quæſitum Dominum, vbicumque locorum agentibus, vltro venientem ſeſe daturum, ſuamq́ faciem videndam oſtenſurum, Vates hic noſter cum aliis prædixerunt. id quod ſibi cognitum, veluti iam iam agi cœptum, per enthuſiaſmon Vates præcinit, & celebrat.

7. Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales; & introibit rex gloriæ.

Chriſti victoria omnibus gentibus ſalutaris. *Magnificam & fauſtiſſimam pompam Chriſti, de inimicis, inferno, morte, & peccato, victis, occiſis & triumphatis, euangelij virtute & efficientia, per totum terrarum orbem proceſſuram, præcinit & celebrat Vates; præſcius & certus humanum genus ab eodem eſſe regenerandum, à quo primùm fuerat conditum: & quamquam in præteritis generationibus homines permiſſi fuerint ingredi vias ſuas, Deiq́ illud efficaciſſimum nomen in vnam tantùm Iſraëlitarum terram ſeſe recepiſſe viſum ſit (non quidem omni ſui teſtimonio ſubducto) vbi tamen plenitudo temporis adſuit, Deus filium ſuum bonæ voluntatis hominibus vltro benedicentem, & iis qui propè & iis qui longè erant, ſalutiferum miſit; qui quemadmodum quondam hoſtibus omnibus victis ac perditis Iſraëlis filios in promiſſam deduxit regionem, credentes videlicet ac deducenti obſecutos, ita etiam Iacobi imitatores omnes ab inimicorum vi, potentia, tyranide ac metu liberatos, in filiorum Dei regnum & gloriam adducturus fuit. id quod iam præſtitum, Apoſtolis & ſanctis omnibus, qui ſunt in terra illius, teſtibus & prædicantibus gratulantibusq́, accepimus; quibus dictum imperatumq́ à Rege ipſo* Mar. vlt. *fuit:* Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium [*bonum ſalutis nuntium*] omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. *Hunc igitur victorem, ſalutarem, triumphantemq́ regem, omnes orbis terrarum regiones palàm ſumma cum lætitia venientem ſeſeq́ vltro offerentem excipere monentur, inducta ſublimis orationis imagine à regum olim triumphantium ac debellatas vrbes victoriaq́ partas intrantium more, quibus ingreſſuris vel muri aperiri, vel nouæ & antiquis altiores portæ attolli, vel triumphales erigi & ad poſteritatis memoriam dicari ſolent arcus.* Victorum ac triumphantium regum in vrbium ingreſſu mos. *Concordat autem imago hæc elocutionisq́ figura cum illo ab aliis Vatibus prædicto & proclamato monitu:* Isai 40. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt. *Re autem iam indicata, verborum ad eandem accommodata ratio nobis habenda.* Chriſti expectatio. Attollite portas principes veſtras] Principes *hoc loco idem quod ſupercilia vel ſumma portarũ capita ſiue limina interpretamur,* SEV SEGHARIM RASEICHEM. Attollite portæ capita veſtra: *Altiores enim atque editiores animorum aditus, vetuſtatis antiquæ correctori & nouæ naturæ nouiq́ mundi auctori Chriſto Deo homini, diuinæ bonitatis Pontifici, atque eidem hoſtium, inimicorum, ac rebellantium*

bellantium & euangelij contemptorum vindici iuſtiſsimo, auguſtiores inquam oportet patere animorum portas, quàm eidem quondam in minori longè victoria patuerant; cùm Iſraëlem, viſibilibus perditis hoſtibus, in promiſſam regionem deductum, & in ſedibus collocatum populum, conceßis ſingulariter legibus & inſtitutis, regendum ſuſcipienti, Chananæarum vrbium portæ apertæ, & regum principumq́ dedit æ conceſſere arces & regiæ: tunc enim quamquam verè, tamen futurorum agebatur imago; hac verò, quæ nunc prædicitur, pompa, veritas ipſa & res omnino cæleſtis ac diuina agenda fuit, tanto præſtantior & excellentior, quanto fluxis & caducis atque mortalibus æterna, ſolida, immortalia ac planè diuina præſtantiora iudicantur. Terræ poſſeſſio Chriſtiani regni imago. Eleuamini portæ æternales] PITHHHEI, aperturas; GHOLAM, tempus, mundum, ſæculum, & vniuſcuiuſque rei ætatem, durationem *item &* abſconſionem *ſignificat, vt iam aliàs monuimus. quæ quidem omnia pro Chriſti regis atque euangelij Dei maieſtate anguſtiora & humiliora cenſentur, ac demum vetera obſoletaq́ futura erant, ſublimioribus melioribuſq́ ſuccedentibus, ijſdemq́ in æternum ſtabiliendis & permanſuris. niſi enim illis dirutis meliores & nobiliores adornarentur aditus, regem gloriæ ingreſſurum fruſtra ſperandum fuit. atque hoc illud ſpectat:* Sæculum. Itaque fratres mei & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificemus Deo. Cùm enim eſſemus in carne [*id eſt in* GHOLAM] paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris vt fructificarent morti. Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ. *Rom. 7.* *Res quidem ipſa vna eademq́ compluribus in locis, vario tamen imaginum figurarumq́ exemplo, nunciatur prædiciturq́ expedienda, vel expedita narratur & commendatur.* Portas *itaque* GHOLAM æternales, *ſiue mundi, eleuari oportet ac ſuſtolli ad regis gloriæ ingreſſum. porrò genus ipſum humanum, cuius cauſſa expeditio illa diuina facienda prædicitur, ex admiratione rogans doceriq́ auens inducitur, ac deinde à Vatibus, ſiue à Vatum monitoribus angelis, quemadmodum res habeat docetur.*

8. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

MELECH HACHABOD, *pro quo Latinus reddit,* Rex gloriæ, *magnificentiſsimum, ampliſsimum, & ſublimem conſultorem regemq́ ſignificat: quòd illa lingua poſſeſsiuis pro adiectiuis vſurpandis nominibus plus etiam & maius quandoque ſignificet, quàm in aliis linguis adiectiuo indicetur nomine; præſertim cùm poſſeſsiuo ſingularitatis & adnotationis articulus præponitur,* Poſſeſſiua pro adiectiuis. HACHABOD *maximæ ac ſingularis gloriæ, amplitudinis, & amplificationis index: namque & actiuam & paſsiuam vim nomen* Gloria. CHABOD *obtinet, id eſt, eam gloriam, qua quiſpiam amplificatus,*

cognoſcitur, & qua quiſpiam alium ornat & amplificat. eſtq́ propriè ac præcipuè legitimum Deo vocabulum, hoc eſt, illi præcipuè tribuendum; cuius
Exod. 14. *rei complura paſſim reperiuntur exempla: vt*, Glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius: Scientq́ue Ægyptij quia ego ſum Dominus.
Indid. *& rurſum*, Ego indurabo cor Ægyptiorum, vt perſequantur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus & in equitibus illius. Et ſcient Ægyptij quia ego ſum Dominus, cùm glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus atque in equitibus eius. *Duplici autem exemplo Dei* CHABOD, *id eſt*, gloria, maieſtas *&* amplitudo *cognoſcitur; altero iudicij & animaduerſionis in eos quos propria premit culpa (qualia in duobus iam citatis conſtant locis) altero miſericordiæ, benignitatis, beneficentiæ, ac tutelæ, in eos quos credentes fidenteſq́ ſibi atque obſecutos fouere & promouere conſtituit. ad quod illud pertinet;*
Exod. 16. Veſpere ſcietis quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti; & manè videbitis gloriam Domini. *& poſt pauca*; Cumq́ue loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Iſrael, reſpexerunt ad ſolitudinem: & ecce gloria Domini apparuit in nube. Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens: Audiui murmurationes filiorum Iſrael, loquere ad eos: Veſpere comedetis carnes, & manè ſaturabimini panibus; ſcietiſq́;
Deut. 5. quòd ego ſum Dominus Deus veſter. *Et illud*: Ecce oſtendit nobis Dominus Deus noſter CHEBODO maieſtatem & magnitudinem ſuam. vocem enim eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie, quòd, loquente Deo cum homine, vixerit homo. *Idem quoque vocabulum hominibus interdum adſcribitur, iis maximè, quibus auctoritatis ius atque decus à Deo conceſſum conſtat, parentibus præcipuè.* CHA-
Exod 20. BOD ABICHAVE IMECHA. Honora patrem tuum & matrem
Malach. 1. tuam. *&*, Filius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum: ſi ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus? IM AB ANI AIEH CHEBODI. *Quocumque itaque iure, quacumque ratione, vocabulum hoc ad maieſtatem, auctoritatem, & amplitudinem referatur, Deo Domino præcipuè tribuitur, vt gubernatori, vt victori, vt iudici ac vindici, vt ſalutari, tutelari, & prouidenti, vt patri denique.* Dominus fortis & potens, Dominus potens in prœlio] GHAZEH, Robuſtus, fortis, *& quidquid in hac ſignificatione dici ſupremum poteſt.* GIBOR *verò non virtutem tantùm, ſed etiam ſpectatam ſignificat dexteritatem, bellicis in rebus ac victoriis præcipuè cognitam, ideoq́ expolitionis cauſſa repetitur* IEHVEH GIBOR MILHHAMAH, Dominus potens in prœlio, *ſiue* potens prœlij. *Hiſpanicè ex verbo*, El Señor barragan de batalla. *Geminatam verò, imò ampliſſimam hoc in carmine celebrari Dei tum victoriam in duriſſimos & contumaciſſimos hoſtes (quorum tyrannide humanum genus oppreſſum laborabat, lõgè duriore quã illa qua apud Aegyptios Iſraël quondã gemuerat) tũ etiã beneficentiã in modeſtos & pios, cunctis antiquis exẽplis maiorẽ, mãdata monitionis atq; prædictionis repetitione declaratur:*

9. Attol-

9. Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.

In magnis iiſdemq́ certis rebus aſſeuerandis atque monendis, repetitio commodè & eleganter vſurpatur; ſiue ea ſimplici & vnico verbo, ſiue integra fiat oratione: in argumentationibus verò atque ſuaſionibus eadem repetita oratio, antecedentis ſiue propoſitionis & conſequentis loca occupat. Solet etiam in ipſis monitis & iuſſis argumentatio latere, vt in illo exemplo: Repetitio.

Ite igitur iuuenes linguis animiſque fauentes, *Iuuenal. Satyr. xij.*
Sertaque delubris & farra imponite cultris,
Ac molles ornate focos glebamque virentem.

Simili autem tropo, quæ præceſſerat monitio nunc iterum repetitur, cum aſſeueratione iuris & cauſſæ iam explicatæ; videlicet oportere hominũ genus, promptum, præſens, idoneumq́ ſe præſtare, atque facile præbere venienti ad ſe regi fortiſsimo, efficaciſsimoq́ piorum beatori & gubernatori, malorum contrà vindici & vltori potentiſsimo. Eleuamini portæ æternales] *in exemplari nonnulla variatio eſt cum coniunctione* VAV *illationis habente vicem;* VSEV PITHHHEI GHOLAM, Et tollite portæ mundi: *ſignificat portas antiquas mundi nec dignas nec eſſe capaces introitus regis magni, magnifici, ampliſsimi, atq; amplificantis; qui veterem in nouum mutaturus mundũ, venire parat, cognitus quidem antea mundo ex multiplicis efficientiæ ſpectatis exẽplis, verùm illo miſericordiſsimi ſeruatoris ac liberatoris & cæleſte regnum largientis nomine nondum ſatis notus; donec ipſummet eam rem effecturum venire iuuit* in ſimilitudinem hominum factum & habitu inuentum vt hominem, *atque adeò hominem* tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, *& propterea minùs cognitum iis, quibus mundũ eodem quo antea tenore atque habitu tenere placuit:* In mundo *enim* erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. *quorum oratio, teſtimonium, atque profeſsio ſic habet:* Sapientiam loquimur inter perfectos: ſapientiam verò non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, quam nemo principum huius ſæculi cognouit: ſi enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. *Id verò cùm iterum atque iterum roget mundus, cumq́ iterum doceatur & moneatur, tamen non recipit.*

VAV, i. & illationis vice. *Philip. 2.* *Heb. 4.* *Iohan. 1.* *1. Cor. 2.*

10. Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ.

Quis eſt iſte rex gloriæ?] MI HV ZEH MELECH HACHA-

BOD quis ipſe iſte rex gloriæ? *Singulariùs ac expreſſiùs quærenti, ſingularitas etiam naturæ, auctoritatis, & efficacitatis illius, de quo quæritur, indicatur: iſte ipſe, quem vos quæritis, necdum cognoſcitis, & hominem inter homines in terris viſum, ex apparente tantùm humiliq́; ſpecie non vltra humanam vicem habere exiſtimatis; tamen idem eſt* IEHVEH Dominus ille, *à quo magna quondam & admiranda atque terribilia maieſtatis poteſtatiſq́; ſuæ, nunc verò maxima tum virtutis tum miſericordiæ ſunt edita exempla.* Dominus virtutum ipſe eſt rex *magnæ ac ſingularis atque ſibi propriæ* gloriæ. *Concluditur Pſalmus interiectione,* ZZELAH, *alacritatem, gratulationem & aſſeuerationem ſignificante, & quæ in publicis frequentabatur plauſibus. Appellatur verò* Dominus virtutum, *ſiue* exercituum, *ſuperiorum videlicet atque inferiorum, ſpiritualium & naturalium, ad nutum volentis Dei ſemper promptiſſimorum. de quibus iam aliàs nominatim dictum.*

IN PSALMVM XXIV.

GASPARI VELEZIO ALCOCERO, FRATRI IVRATO, S.

ANtiquum tuum propoſitum ſæpe (ſcis) laudaui, conatum bonis verbis identidem renouabam & vrgebam, nunc iam demum peractum tibi gratulor votum; qui poſt tot nauigatione & peregrinationibus conſumptos annos, poſt coniugij non leues moleſtias perlatas ac diuino beneficio ſuperatas, eam tandem vitæ ſortem ſis nactus, quam diu deliberatam atque prudenter optatam conſultor & fautor Deus annuit; vt in Chriſtiani ſacerdotij collegio & ordine admiſſo, tibi vitæ quod reliquum dabitur, ei exercitationi impendatur, quæ ſola Chriſtiano ac pio digniſſima viro iure exiſtimatur: hoc eſt, aſſiduo ſacrorum myſteriorum ſtudio & cultui, cum ſanctæ lectionis incomparabili oblectamento: quibus rebus agendis qui ſeſe ritè & purè ſancteque dediderint, eos cæteræ hominum penè infinitæ curæ vel fugiunt prorſus, vel rariùs & leuiùs vexant, donec ab illo ſubli-

ſublimium curarum auctore ſpiritu penitus pulſæ, in alias mutentur planè cæleſtes, & omni humana æſtimatione ſuperiores: de quibus illud verè teſtatum; *Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt, vnde etiam Saluatorem exſpectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundùm operationem, qua etiam poßit ſubiicere ſibi omnia.* Ad quam profectò conditionem non humana opera aut induſtria comparandam, ſed Dei munere ac liberalitate obtinendam, te promiſſorum fide & mandatorum obſequio animatum aſpirare iam pridem perſuaſus, omnium ſtudiorum noſtrorum operam tui continente memoria promoueo: ab ipſa iuuenta ſanctorum eloquiorum commemoratione nobiſcum delectari ſolitum, nunc verò tam longis maris ac viarum interuallis diſiunctum, animo ſalutatum, & commentarioli huius lectione ſuauiter refectum cupio. Vale, ex nota tibi ſeceſſus noſtri Rupe, x. Kalend. Octobr. cIↄ. Iↄ. XCVII. Philip. 3.

ARGVMENTVM.

PRecationem continet Pſalmus hic, Vatis vitam vitæq́ actiones & labores atque ſtudia, quidquid denique ad ſe pertinet, prouidentiæ, benignitati, atque tutelæ, & virtuti diuinæ commendantis & tradentis; cum profeßione & expoſitione partium, quibus in hac oratione fultus nitatur; hoc eſt, diuino IEHVEH *nomine: quod identidem appellat, efficacißimum & benignißimum ſua ſponte eſſe perſuaſus, & ſua ipſius fide & ſpe conſtantißima, atque animi ſimplicitate & ſanitate mentis; probitate præterea morum, quos quamquam puros & integros anteacto in tempore probare non poßit propter humanæ carnis infirmitudinem, tamen innocentes fuiſſe aſſeuerat, & à fraude & iniuria abhorrentes prorſus. quibus vitiis inimicos aduerſarioſq́ ſuos inſtructos, quamquam frequentes & potentes, tamen nihil ſibi nocituros timet, fiſus Dei iuſtitia & miſericordia ac beneficentia & clementia. qui quamquam nullius hominis peccata non improbat, tamen ſimplicibus & ſanæ mentis, præſertim ex errore peccantibus, & peccata agnoſcentibus, confeßis & corrigentibus ignoſcit; atque doctrinam, diſciplinam, & gratiam prouidet; qua ad meliora conuerſi, veniam primùm, deinde iuſtificationem ſalutemq́ impetrent: cæteris verò ſuam ipſorum peruerſitatem contumacemq́ malitiam fraudi exitioq́ eſſe ſinit. Conſtat autem Pſalmus duobus & viginti* Deus quibus ignoſcat.

Acroſticha.

verſibus acroſtichis, numero & ordine antiquo literarum eleganter digeſtis: quæ ratio canendi in iis, quæ maximè memoria ediſci & retineri oporteret, vſurpata obſeruatur.

1. Ad te Domine leuaui animam meam.

PRimo verſu, eorum quæ toto Pſalmo narranda atque peroranda ſunt, ius, pondus, & momentum totum proponitur, & tanquam fundamētum quoddam firmiſsimũ iacitur, cui cætera ſuperſtructa innituntur. Indicatur cumprimis duplex perſona, altera appellati, appellãtus altera: quarum partibus componendis argumentationis totius vis ita firmatur, vt euentum bonum ſua ſponte polliceatur. Nominis enim IEHVEH *commemoratio, miſericordiæ, benignitatis, efficacitatis, & veritatis certiſsimam ſignificationem præfert: animæ verò poſcentis ad id nomen, ſingularis, abſoluta, & integra intentio, fidem, ſpem, & conſtantem fiduciam probat: atque ita vtriuſque nominis partibus in medium productis & allegatis, optatum felicitatis fructum exſpectari opportuneq́; percipi conſentaneum fuerit.*

Mira virtutis diuinæ erga fideles exempla.

Admirabilia quippe ſpectata fuere ſemper exempla maximarum virtutum à Domino in hominibus teſtimonio fidei probatis editarum, eademq́; conſuetam naturæ vim & rationem ſuperantia, & auctorem ſuum ſingularibus teſtantia documentis: vtpote quæ ex duobus principiis ambobuſq́; cæleſtibus proficiſcantur, diuina videlicet voluntate & efficacitate, & fide, quæ & ipſa ex Dei virtute in humano animo ad ſimilitudinem Dei facto concipitur.

Fides ex diuina virtute. Dei potentia. Luc. 1. Fidei vis. Marc. 9.

Nihil enim tam arduum, nihil tam peregrinum eſt, quod diuinæ virtutis efficacitatem ſuperet: id quod hominibus per angelos affirmatum conſtat: Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. *Nihil rurſus tam factu difficile, quod fides impetrandum ſibi deſpondeat, diuino eodemq́; efficaciſsimo freta verbo:* Omnia poſſibilia ſunt credenti. *Ductum igitur à duobus nominibus exordium, Dei videlicet miſericordiſsimi & efficaciſsimi, atque animi orantis ſimpliciſsimi & intentiſsimi, fideq́; inſtructiſsimi, attentionem & gratiam voluntatemq́; ſolicitat eius qui oratur, hoc eſt, numinis vnici, ſimulq́; commendationem totius parat cauſſæ: cuius ſummam ſecundus complectitur verſus:* Ad te IEHVEH miſericordem & efficacem, leuaui animam meam]

Leuare animam.

Leuare animam, *dicendi formula in ſacra lingua eſt, cui in Latino ſermone nullam aptiùs conuenire arbitramur, quàm illa: Votorum omnium integra ſumma in te ſolo atque vnico mihi conſtat, præter quem nihil velle, imò nec cogitare quidem aliud quicquam in animum induxi meum: te itaque ſolum peto, te appello, tuam vnicè imploro fidem. Petitionis autem ſumma ad impetrandam veniam, gratiam, & ſalutem: cauſſæ enim genus mixtum eſt ex iudiciali atque ſuaſorio: colores & argumenta, ex eius apud quem agitur, & eius qui agit, & aduerſariorum perſonis, ducuntur. Apud quem agitur,* ELOHIM *appellatus, iudicis, gubernatoris, & principis nomine*

nomine & munere functus, partes ſuas integerrimè præſtiturus creditur & ſperatur; eaq́; ſpes fiduciam agenti firmat, & æquitatem patrociniumq́; conciliat; cauſſamq́; munit contra fraudes, inuidiam, & improbitatem aduerſariorum, qui non ex iure, ſed ex maleuolentia atque potentia & copia agunt: ex quibus neceſſe eſt iniuriam proficiſci. Quæſtio enim eſt, vtrùm deceat iudicem integerrimum precibus & petitionibus animi ſimplicis & fidentis conniuere, & inuidis, fraudulentis, atque improbis indulgere; quod cùm abſurdum natura ſit, meritò à poſtulante per negationem pronuntiatur: eſt itaque quæſtionis illa ſumma.

2. Deus meus in te confido, non erubeſcam*: neque irrideant me inimici mei.

Deus meus] ELOHAI, Princeps, gubernator, iudex, curatórque meus. *Suam verò ſpem, expectationem, & fiduciam omnem cum cauſſæ æquitate coniunctam, atque in appellatum iudicem patronumq́; prorſus reiectam, indignam eſſe quæ deſeratur, ait.* In te confido] BECHA BATAHHTHI. *verbum hoc deliberatam atque certam ſpem ſignificat, qualem agricolæ ante ſemen iactum concipientes, laborem & ſumptum omnem ſementi faciundæ impendunt. de qua ſpe illud:* Debet in ſpe qui arat arare: & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Spes autem non confundit. *Quod in Pauli epiſtolis legimus* non confundit, *idem ſignificat atque hoc in verſu*, non erubeſcam. *Latino ſermone fruſtrari aliquem ſua ſpe dicimus, atque etiam in eadem ſignificatione erubeſcendi & pudefiendi verbis vtimur; vt,*

Spei certitudo. 1. Cor. 9. Rom. 5. Erubeſcere

Erubuit nempe hæc ceu faſtidita repulſa. *&,*
——Mulier ſæuiſſima tunc eſt,
Cùm ſtimulos odio pudor admouet.

Spero atque confido fore, vt numquam me voti pæniteat, quinimo peracti gaudium ac lætitia exhilaret, confuſis & pudefactis iis, qui mihi inuidentes aduerſum & infelicem ſpei meæ cupiunt exitum, gauiſuri nimium, ſi qualem ipſi fingunt, ſpectarint. Neque irrideant] GHALATS *Lætari & præ gaudio geſtire atque exultare ſignificat: vt in ſuperiori Pſalmo nono:* Et lætabor VEGHALETS BACH, & exultabo in te. *In alieno autem malo & incommodo riſus, irriſio iure dici poteſt. Singularem verò rem ſuam quò rationibus & argumento firmiùs muniat, cum communi & publica piorum omnium cauſſa & re coniungit, atque ad notiſſimæ & ſpectatiſſimæ prouidentiæ frequentiſſima monumenta ſuum quoque colligi poſtulat exemplum.*

3. Etenim vniuerſi qui ſuſtinent te, non confundentur: confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacuè.

Antiquis & frequentibus quondam, imò ſemper, ſpectatum periculis

Legitima ſpe nemo fruſtratur. *riculis ait, nullos eorum qui Dei efficaciſsimum legitimè expectarint auxilium, ſua fuiſſe fruſtratos ſpe; imò contrà deſertores, inconſtantes, & vacillantes fide & ſpe, atque etiam ſimulatores & hypocritas, infelici quidem, verùm digno ſuæ fraudis erubuiſſe euentu, ac nimis tandem ſerò fruſtraq́ mali ac perperam cœpti pænituiſſe conſilij. Ex huiuſmodi itaq́ duplici vtriuſque partium exitu, conſtanter ab obſeruantibus ſpectato, ſimplicitatis probitatisq́ ſuæ cauſſam Deo probandam, fouendam, & promouendam ſe ſperare aſſeuerat.* Etenim, *idem valet quod* ſiquidem, *ſiue quod,* imò, vniuerſi qui ſuſtinent te. KAVEICHA, expectantes te (*non enim qui* Matth. 10 *inceperit, ſed* qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit) vniuerſi, *nullo excepto cuius contradictorium fuerit, aliquem huiuſmodi ſimplici & conſtante expectatione fruſtratum. cuius exemplum indicari poſſe ne-* Eccli. 2. *gat Sapiens ille:* Reſpicite filij nationes hominum; & ſcitote quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Quis enim permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt? aut quis inuocauit eum, & deſpexit illum? quoniam pius & miſericors eſt Deus, & remittet in die tribulationis peccata: & protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate. *Verba* Futuri ſignificatio. *in hoc verſu futuri temporis tam negata quàm affirmata doctrinæ rationem obtinent, atque perpetuitatem adſtruunt ſignificatæ rei, ſicut ſæpe aliàs monuimus.* Confundantur, confundentur, *nullo excepto,* omnes iniqua agentes ſuperuacuè, HABOGEDIM defectores, deſertores, & callidi ſimulatores, *& fictionum, fraudum, fallaciarumq́ artifices, qui magno ſtudio, labore & induſtria in fallendo poſitis, demúmque irritis, fruſtrantur.* BAGAD *remittere, negligere, ac deficere, & à monſtrato ſpecimine degenerare ſignificat. vt ex Iobi in mendaces amicos nota-* Iob 6. *tione obſeruare eſt:* Fratres mei BEGEDV præterierunt me, ſicut torrens qui raptim tranſit in conuallibus. *idem valet* præterierunt *atque* mentiti ſunt, defecerunt, deſeruerunt fidem, præuaricati ſunt officium. Superuacuè, RIKAM, fruſtra, vanè, mendosè, *atque id quod ab interprete noſtro in iniquè agentes verſum eſt verbum, idem ille, quem modò* Eccli. 2. *citabamus, Sapiens ita explicabat:* Væ duplici corde, & labijs ſceleſtis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs. Væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo; & ideo non protegentur ab eo. Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facient cùm inſpicere cœperit Dominus? Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius: & qui diligunt illum, conſeruabunt viam illius. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita ſunt ei: & qui diligunt Proborum & ſimulatorum diſcrimen. eum replebuntur lege ipſius. *Hoc enim probi & ſimplices ab improbis & ſimulatoribus diſtant, quòd iſti ſuis tantùm ſtudentes corruptelis, nihil minùs agunt ſeriò quàm vt diuinæ obſequantur legi; quamquam obſequij, imò & virtutis fuco vitium celent ſuum: illi verò naturæ humanæ illatum vitium peroſi, corrigere ſtudent, & corrigendi modum diligenter ſciſcitati,*

medicum

medicum ſuæ ſanitatis verum & efficacem ſolicitant, identidemq́ue appellant auctorem Deum.

4. Vias tuas Domine demonſtra mihi; & ſemitas tuas edoce me.

Aegrotantis animi ſalutem ab vno Deo IEHVEH *præſtari, vnicum & incommutabile verum eſt,* in ipſo *enim* vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet. *Verùm non ſolùm oportet medicum Deum ſeſe opportuna facientem præbere, ſed & ægrotum ipſum & aſtantes, & ea quæ exteriùs circumſtant. quæ omnia vt rectè ineantur & vſurpentur, ipſius medici doctrinam & præſcriptionem, imò & imitationem poſcunt, aliàs non legitimo & conuenienti futura vſui. Solent autem periti ac fideles medici non ſolùm quæ agenda ægroto, quæ vitanda, quæue ſumenda, aut paranda ſunt, dictare & imperare; ſed modum etiam docere, ſingulasq́ue explicare & indicare circumſtantias actionum & exercitationum, tempora ac momenta proſpicere, cauere & admonere. omnia quæ cùm rectè & adamuſſim ab ægroto curantur & obſeruantur, medico animum, voluntatem, & ſtudium ad dandam ſanationi operam incitant, diligentiamq́ue adaugent. Quam ſimilitudinem à corporis curatione ad animi exoptatam ſalutem transferens Vates noſter, ita medicum verum peritiſſimum efficaciſſimumq́ue rogat, interrogat, & deprecatur:* Vias tuas Domine demonſtra mihi; & ſemitas tuas edoce me] *Simpliciſſimum benigniſſimumq́ue medicum & vitæ magiſtrum Deum, ſimplicitas ac probitas hominum delectat, & ad gratiam & opem conferendam conciliat. ſuam autem fidem in Deum, ſuamq́ue ſimplicitatem pectoris, quas initio profeſſus fuerat Vates, iam exponendo amplificat: dixerat enim,* Ad te Domine leuaui animam meam. *quo dicto votorum ſummam ſibi in Domino conſtitutam certamq́ue declarauerat; id verò ita à ſe dictum exponit, vt non ſolùm felicitatem ipſam à Deo expectet, ſed partium à ſe felicitatis impetrandæ cauſſa præſtandarum rationem non ex ſe ipſe inuenire aut aliunde quàm ab ipſo Domino miſericorde & efficaci petere velit, doceriq́ue exoptet. Concordat autem petitio hæc planè cum documento illo:* Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita ſunt ei; & qui diligunt eum, replebuntur lege ipſius. *vtpote cuius doctrinam ſine vlla exceptione veriſſimam & vtiliſſimam verè perſuaſi fuerint. Agendarum & faciendarum ratio rerum, in ſacra lingua viæ nomine ſignificatur, vulgatiſſima ac nulli ferè ignota nominis vſurpatione, nec à Græco Latinoq́ue ſermone aliena. vt illud eſt:*

Aegrotantis partes. *Iohan. 1.* *Eccli. 2.* Via.

——Nam quæ terraque mariq́ue
Adquirenda putes, breuior via conferet illi. *Iuuenalis.*

Et apud Comicum:

Vt redeat in viam. *Ter. Andr.*

ὁδὸς μέθοδος. Hinc etiam cuiuſlibet diſciplinæ comparãdæ ars & ratio, ὁδὸς & μέθοδος dicta. Humanæ verò vitæ ad ſalutem felicitatemq́; inſtruendæ doctrina, non ex vniuſcuiuſque conſilio aut arbitrio vel opinione, ſed ex certis præceptis & inſtitutis Dei conſtat: quorum non ſolùm notitiam habere, ſed virtutem, ſtudium, exercitationemq́; præſtare oportet eum, qui ſuæ conſulit ſaluti. Præceptorum autem diſciplinam viæ nomen, virtutis & exercitationis exempla ſemitarum vocabulum ſignificat: vtriuſque autem partis peritum & compotem, doctore, magiſtro, indice ac duce Domino, ſe fieri exoptat & poſcit, qua poſtulatione idoneum aptumq́; ad præcipiendum, ac promptum & expeditum ad agendum præſtari ſe rogat. id quod ſine ſpiritus gratia non obtinetur: gratia autem nulli probo ſanæq́; mentis & auidè exoptanti riteq́; petenti negatur. Demonſtra mihi] HODIGHENI, notifica mihi, noſſe ac ſcire me fac. Sanctarum legum & ſcripturarum notitia, in ſacro ſermone ſcientia vocatur; quæ prima in diſcipulo Dei laudatur pars. vt; Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia. &, Æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam. Verùm notitia hæc non ſatis diſcipulum probat, niſi exercitatione, moribus, conſuetudineq́; firmetur; namque aliàs ſcientia ſola inflat. Si quis ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum ſcire. Hunc verò ſciendi modum, atque hanc agendi ex ſcientia rationem, ORHHOTH Vates noſter vocat; Latinus, quem commentamur, interpres, plerumque ſemitas dicit, Latiniùs & planiùs itinera dici poſſunt: quippe viæ notitia ab itineribus diſtincta eſt; illa in cognitione, hæc verò in vſura ponitur: vtraque ſimul veram definit peritiam, & boni viatoris decus rectè petit & precium. ARAHH iter facere dicimus; vnde OREAHH viator, non qui viam nouerit modò, ſed qui ingreſſus expertuſq́; teneat, quantum vnoquoque die commodè ac ritè confici poſſit, vbi conſiſtendum, vbi properandum vt nullibi ceſſandum, vt pericula cauenda & vitanda, aut quemadmodum ſuperanda, quo commeatu, quo viatico, & quatenus vtendum, & cætera quæ viatoribus neque ignorata neque neglecta eſſe oportet, atque in experiẽti viro explorata & comperta commendantur. Has legitimi OREAHH, id eſt, iter agentis, partes à Domino monſtrante doceri ſe poſcit Vates; LAMEDENI doce me, monſtrando ac ducendo, ſiue tranſlatio ad medicum, ſiue ad vitæ ducem & conſuetudinis magiſtrum referatur. nullum autem vel gradum facere, vel mouere pedem aut figere, ſine doctore ac duce Domino ſe velle ait Vates: quem tali fide taliq́; ſui ipſius deditione planè ac plenè propitium ſibi reddere ſatagit.

Salutis via. Semita. Gratia. Scientiæ vocabulũ. 2 Cor. 11. Rom. 10. 1. Cor. 8. Iter & via. Viatoris boni partes

5. Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus ſaluator meus, & te ſuſtinui tota die.

Se prorſus in Dei diſciplinam erudiendum & inſtruendum recipi, & ad ſalutis vſque finem perpetuis itineribus perduci optat, vtpote nihil aliunde aut expetere aut habere cogitantem, nec aliò vſquam reſpicientem; certum

quidem,

quidem, nec ſalutis alium ſibi eſſe auctorem, nec petendæ illius rationis ac modi alium quempiam doctorem ac monſtratorem, niſi vnicum Deum gubernatoremq́, ſibi immota mente propoſitum. Dirige me] HADRICH. *Verbum* DARACH *eſt* terere, incedere; *vnde* DERECH via *dicta, quòd calcetur ac teratur, in tertia coniugatione* HIDRICH in via aliquem ponere, *quæ ſi recta eſt & ad certum quietis locum ducit,* vera *ſiue* veritas *vocatur. Vera autem via & veritas ipſa Chriſtus eſt, ad quem lex tota, Vates omnes, & cuncta ſancta dirigunt & intendunt ſcripta. Huius cognoſcendi rationem, & modum quærendi, indicari, tradi, & monſtrari ſibi poſcit Vates; eaq́ cauſſa nec vllum in itineribus paſſum, ſine doctrina, ductu, atque gratia & voluntate Dei, conficere ſe velle ait.* Quia tu es Deus ELOHAI gubernator meus, Saluator meus. *Duobus modis duo verba hæc in exemplari codice ſine punctis deſcripto legi poſſunt; vel,* ELOHAI IESVGHI: *atque ita noſter legiſſe videtur interpres, dum reddit, Deus ſaluator Deus; vel,* ELOHEI IESVGHI, *vt hodieq́ cum punctis legimus,* Deus princeps & gubernator ſalutis meæ: *vtraque lectione idem ponderis præſtante, poſteriore tamen ſignatiùs.* Te ſuſtinui tota die] *Itineri faciundo opportunum tempus dies eſt, propter lucem, cuius beneficio ſine offenſione inceditur. S. S. E.* Ortus eſt ſol, & congregati ſunt: & in cubilibus ſuis collocabuntur *feræ.* Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam, vſque ad veſperum. *Et Chriſtus ipſe lux vera ait,* Nónne duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: ſi autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo. *Spiritualem igitur & cæleſtem lucem veræ viæ peragendæ opportunam expetere ſe ait Vates, à Deoq́ ſibi porrigi rogat. idq́ obtinendi cauſſa & ſtudio, totum huius mundi diem ſe expectaſſe ait.* Suſtinui KAVITHI, expectaui, *nequid tota hac die, ſine ductu monituq́ tuo incederem. Qua verò fiducia, quóue iure fretus, ipſe ſibi gratiam hanc & opem concedi poſcat, præoccupationis figura vſus allegat; ſola inquam bonitate, liberalitate, atque miſericordia, & beneficentiæ natura Domino (quem identidem appellat) propria & antiquiſſima, quam nulla alia poſteriori nec naturæ diuinæ conuenienti, ſed aliunde foris allato impedimento, retineri à conſueto more & curſu deceat.*

Via vera.

Itineris opportunitas.

Pſal. 103.

Iohan. 11.

6. Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt.

Antiquum obtinere, inter ſummas bonitatis & virtutis putatur laudes; optimo autem & efficaciſſimo Domino IEHVEH *virtutum omnium (quæ tamen coæternæ ſunt) antiquiſſimum editum eſt benignitatis, amoris, & miſericordiarum exemplum; quod cunctarum quæ in mundo ſunt rerum, atque adeò mundi ipſius creandi & condendi, cauſſa initiumq́*

Antiquum obtinere.

Miſericordia Dei.

Mundi viſibilis cauſſa.

primum fuit: mundum verò, præſertim inferiorem, viſibilem mutabilemq́; hunc totum (ideo GHOLAM *dictum) hominum fouendorum & ad ſummam felicitatem promouendorum ergò factum, notius eſt quàm vt argumentatione vlla inficiari quiſquam valeat. Has itaque proprias & antiquiſſimas Domino cumprimis tributas virtutes & artes, fauere patrocinariq́; ſibi exoptat, expetit, & poſtulat, ſuamq́; in cauſſam primas allegat: quidquid verò minoris aut aduerſæ oppoſitionis cenſeatur, quod illis Dei virtutibus intercedere aut refragari poſſit, excipit ac deprecatur.*

Reminiſcere] ZECHOR, memineris. *Verbum* ZACHAR *efficacem atque præſentem præſtantemq́; recordationem ſignificat; differtq́; à* PAKAD, *quòd iſtud de re aliquamdiu quadamtenus omiſſa demumq́; repetita, dicatur; hoc verò de re, quæ numquam mente excidens, opportunè*
Meminiſſe. Viſitare. *ſemper ad præſentem cauſſam allegatur: illud interpres noſter ſæpe in* viſitare, *poſterius verò in* meminiſſe *vel* recordari *ſolet vertere. alterius exemplum*, Viſitauit Dominus Saram. *Et*, Viſitans, viſitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto. *&*, Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ. *alterius*
Gen. 21. *Exod* 3. *Luc.* 1.
Pſal. 118. *verò*: Memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. *At-*
Miſerationes Dei. *qui miſerationes Domini, hoc eſt, ſummam illam ac diuinam benignitatem antiquiſſimas eſſe, ipſa Dei natura teſtatur: quæ amor, bonitas, & liberalitas, atque miſericordia, iure nominatur: nec enim diuinam ſine amore vel cogitari naturam fas fuerit. Miſerationes in ſancta lingua* RAHHAMIM *dicuntur, quæ ex verbo Latinè* viſcera *vocare eſt; nec verò quælibet promiſcuè viſcera, ſed materna, quibus nihil in humanis amantius excogi-*
Dei viſcera. *tari poteſt. talia viſcera Deo per imaginem vſurpatus ſermo adſcribit. Fieri autem nequit, vt quæ viſcera Deo tribuuntur, quocumq; modo res ipſa habeat, amare & miſerari ac benefacere vel deſinant vel ceſſent, idq́; omittant agere, quod ante orbem conditum egerant, imò & ſemper agunt.*

Miſericordiarum tuarum] HHEZZDEICHA. *Ex miſerationibus tamquam ex origine propria miſericordiæ, vt ex fontibus liquores, manant: itaque* RAHHAMIM *ad affectum*, HHEZZEDIM *verò*
Miſericordia virtutes diuinas præcedere vt dicatur. *ad effectum referuntur. vtraque autem à ſæculo ſunt, vtpote ex quibus primis* GHOLAM *(ſiue* ſæculum *ſiue* mundus *vocetur) editus fuerit: prima enim diuina bonitas in illo admirabili conſilio conſideratur, deinde verò ſapientia, cui coniuncta efficacitas; non quòd alia aliam tempore præceſſerit virtus (quippe diuina omnia æterna extra tempus conſtant) ſed quòd ipſa ordinis ratio ita diſtingui poſtulet, atque ita à Vatibus commendetur.*
Pſal. 144. Suauis Dominus vniuerſis: & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Quæ à ſæculo ſunt] *Immobilitatem, conſtantiam, æternamq́; integritatem diuinarum virtutum non obſcurè ſignificat verbum* Sunt. *verùm exemplaris lectio apertiſſimè id ac firmiſſimè adſtruit.* CHI MEGHOLAM HEMAH. Nam præ ſæculo *ſiue* præ mundo ipſæ eædem. *Ante mundum, propriæ igitur, & antiquiſſimæ, perpetuæ, &*

immu-

immutabiles ipſæmet : nam quod ex antiquo variat aut mutatur , minùs legitimè dicitur ipſummet . quæ igitur ita propria atque perpetua , ſolida integraq́; ſunt , minoribus, leuibus, vanis, futilibus, ac inconſtantibus, præſertim verò alienis, atque adeò auctori ſuo iam inuiſis ac deteſtabilibus, vel frangi, vel minui, vel quoquo modo cedere aut componi admouerı́ue minimè conuenit. Huius autem farinæ, imò & fecis ac ſortis ea ſunt quæcumque à me olim iuuene, & per ætatem naturamq́; fragili & imprudente, nequiter ſtultéue ſunt admiſſa peccata.

7. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris . Secundùm miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.

Ex rationibus ac virtutibus admirabili Dei nomini IEHVEH *attributis* Bonitas diuina. *vna eſt bonitas dicta , ad quam illa referuntur , quæ Moſis præconio & confeſſione declarata* : Cumque deſcendiſſet Dominus per nubem, ſtetit Moyſes cum eo , inuocans nomen [IEHVEH] Domini . quo Exod. 34. tranſeunte coram eo , ait [IEHVEH IEHVEH] Dominator Domine Deus miſericors & clemens , patiens , & multæ miſerationis , ac verax : qui cuſtodis miſericordiam in millia : qui aufers iniquitatem & ſcelera atque peccata, nulluſque apud te per ſe innocens eſt : qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam generationem. *Id quod ſapiens ex parte interpretatus ita exponit:* Multum Sap. 11. enim valere, tibi ſoli ſupererat ſemper, & virtuti brachij tui quis reſiſtet ? Quoniam tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum , & tanquam gutta roris antelucani , quæ deſcendit in terram . Sed miſereris omnium , quia omnia potes , & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam . Diligis enim omnia quæ ſunt , & nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti . Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes ? aut quod à te vocatum non eſſet , conſeruaretur ? Parcis autem omnibus: quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas. O quàm bonus & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus! ideoq; eos qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant, admones & alloqueris; vt relicta malitia, credãt in te Domine. *Has igitur diuinæ bonitatis ſiue rationes , ſiue artes aut partes æternas, conſtãtes, ac ſui ſemper ſimiles, peccatis delictiſq́; ſuis opponit Vates, tanquam tenebris, quæ à luce ita diuiduntur , vt nullo pacto ſimul ac pariter conſiſtere poßint. Subindicat etiam ſibi iampridem peccatorum ac delictorum agnitione perculſo vitæ in melius inſtitutam & initam correctionem , dum ſuæ iuuentutis peccata ac delicta confeſſus , à Domini memoria poſcit quàm longißimè eſſe amota (idem autem verbum* ZACHAR *in ſuperiori & in hoc vſurpat verſu , quod ad rem perpetua memoria præſentem referri adnotabamus) non conuenire enim, vt cui propriæ miſera-*

 tiones,

tiones, æternæ miſericordiæ ſemper præſentes cordi ac ſibi ſunt conſtantes:
eidem, quæ alius imprudens & impotens quondam admiſerit iuuenis pecca-
ta, & iam vir ætate & animo maturior deteſtetur; in memoria ſimul ha-
beantur; ſed id potiùs reti eatur, quod proprium ipſi, qui oratur, eſt: quód-
que in iis ipſis de quibus agitur argumentis, poni, exerceri, ſpectariq́ſo-
let; hoc eſt, in præteritis condonandis erratis, & in melioris vitæ rationibus
declarandis, tradendis & cauendis, gratiæq́ communicatione iuuandis &
commonendis: hæc enim & his perſimilia multa diuinæ bonitatis atque
miſericordiæ propria & æterna eſſe munia, nullis hominum tenebris, præ-
ſertim non contumacium, turbanda, confundenda, aut impedienda.
delicta] HHATAOTH, errata ſiue peccata, ignorantias meas]
PISGHAI. PESAGH minùs amplum vocabulum quàm HHATAH:
namque hoc, erratum, delictumq́ omne tanquam genus complectitur; illud,
Peccatum. vna ex ſpeciebus eſt, quæ non ſolùm peccatum communiter, ſed ex ſtudio
& quaſi deliberato atque certo propoſito admiſſum: pro quo Latinus inter-
Ignorātia. pres hîc ignorantiam, aliàs culpam reddit. vt MAH PESAGHI
Culpa. VMAH HHATATHI. Quam ob culpam meam & quod ob pec-
Gen. 31. catum meum ſic exarſiſti ſuper me? idem alio loco in ſcelus & iniqui-
Scelus.
Iniquitas. tatem vertit. vt, Obſecro vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum &
peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te. Nos quoque oramus
Ibid. 50. vt ſeruis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Certè tria nomina
humani vitij varium partum ſignificantia ita diſtinxit Moſes, NOSEH
GHAVON, PESAGH VEHHATAH; noſter verò interpres ita Lati-
Exod. 34. nè expreſſit: Qui aufers iniquitatem, & ſcelera, atque peccata. Itaque
tam communia ac temeraria in genere peccata, quàm certo ac ſingulari
propoſito admiſſa delicta, coram diuinæ miſericordiæ & bonitatis memoria
euaneſcere & aboleri, perpetuamq́ benignitatis lucem vincere, valere, ſibí-
que patrocinari, ac fauere poſtulat Vates. Siquidem minus maiori, breue
æterno, luci tenebras, imò quod nihil in ſe eſt & prorſus vanum, veræ vir-
tuti & ſolidæ atque efficaciſſimæ concedere par eſt. hoc itaque vt concinnum,
decens, ac verum appellat & allegat pro ſe Vates. Secundùm miſe-
ricordiam tuam memento mei tu] Recordationem & memoriam
tuam non equidem declino, imò eam aduerſum me conſtare poſco & obſecro;
non tamen vt à peccatis & ſceleribus meis, verùm à miſericordia tua exer-
citam; non propter meum vitium, ſed propter bonitatē tuam IEHVEH
Domine. Atque hæc quæ explicauimus argumenta, ex decori & æqui
atque dignitatis locis petita ſunt: quorum apud ſummos principes magna
in petitionibus habetur ad perſuaſionem efficacia. in quo dicendi genere fe-
rè totus hic verſatur Pſalmus. his autem locis conſuetudo eius apud quem
agitur, & in eadem re facilitas, proximam tenent ſedem, & multum etiam
appellatæ & allegatæ patrocinantur. Plurimum quippe fiduciæ & ſpei po-
ſtulantis adiumenti affert, præiudiciorum in eadem re factorum vel certa
notitia ac publica, vel apertum & promptum exemplum. certam autem no-
titiam

titiam etiam ſine proximo haberi licet exemplo, ſi modò eius ingenium & mores conſtent, ex quibus in præſentem rem poßimus argumentari. Si enim Deus errantes corrigere priùs quàm punire ſolet, & idipſum præcipuè poſtulat, iure ſperari poßit & orari, vt antiquis peccatis eorum, qui ad ſe reuertuntur, ignoſcat. hæc eſt argumentationis propoſitio: quam etiam aſſumptum ſuperat, illud videlicet.

8. Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Bonitatis benefacere, rectitudinis dirigere munus & officium eſt: ſuum namque ſingula rerum genera opus & ſortiuntur & fouent. Naturæ autem diuinæ, bonitas & rectitudo propriæ ſunt virtutes: neque enim IEHVEH *cognoſcitur, niſi idem bonus & rectus cognoſcatur. Bonitas igitur ac rectitudo in ſibi conſonis exercentur vltro beneficiis, & in hoc etiam concordant, vt ſimul moneant, doceant & corrigant, eos qui in vitæ ac morum via aberrant, verum locum quò via tendat oſtendendo & indicando, & quà procedendum ſit identidem monendo. id verò vt bonitatis ac rectitudinis diuinæ verè proprium eſt; ita vſu ipſo venit atque factum conſtat. quippe doctrinâ à Deo in lege & per Vates traditâ hoc ipſum perpetuò agitur. Quia igitur* TOB Bonus dulciſque Dominus ac rectus *propterea* IOREH erudit, docet, inſtruit, & informat HHATAIM, Peccantes in via. *Ex hac Vatis explicatione & argumentatione manifeſtè docemur, legem à Deo non damnationis, ſed correctionis cauſſa datam: quæ peccata quidem indicet, diſſuadeat, & corrigere ac deteſtari doceat, & morũ viam inſtruat; qua ad eum tendatur, qui ſolus peccata mundi ſublaturus in eadem prædicebatur lege; non quòd lex quempiam ad vnguem perfecerit, & abſoluerit, ſed quòd mites & ſanæ mentis homines, quemadmodum piè, innocenter, ac probè viuere oporteat, docuerit, atque abſolutam ſalutem à ſe poſcendam vouendamq; tradiderit, & qua via petere & conſequi conueniat, declarauerit.*

Errantium correctio ex diuina bonitate.

Legis diuinæ cauſſa.

9. Diriget manſuetos in iudicio: docebit mites vias ſuas.

Duplex quidem legis munus; alterum primarium & legiſlatori ipſi bono ac recto præcipuè optatum, id eſt, vitiorum notatio ac doctrina virtutis: vtraque ſalutis cauſſa propoſita & commẽdata, idq; cum promißis: alterum verò maledictio, cũ comminationibus pœnarum. illud prius, mites, probos nihil ſibi arrogantes tangit, afficit, & inſtruit: hoc verò poſterius, impios, improbos, contumaceſq; conſequitur. Priorem igitur partem vti Deo propriorem & planè gratam, ſibi verò & cauſſæ ſuæ vnicè opportunam tenet & vrget Vates. Diriget manſuetos] *Futurum verbum in natura omni, maximè verò diuina, perpetuitatem adſignificat.* In iudicio] BEMISPAT, in iure, ratione, decore, ac debito officio: *namque hoc ſignifi-*

Legis munera.

Iu dicium

ſignificat nomen MISPAT, pro quo Latinus interpres iudicium ſæpe reddit. & hoc quidem docet & agit in legis doctrina Deus; atque inſuper diſcipulorum genus, quos erudiendos & inſtruendos in iudicio ſuſcipit, viam ſuam, quæ ad veram felicitatem ducit, hoc eſt, Chriſtum, docet petendum & ſperandum. Docebit] docere ſolet: quippe qui ipſe idem ſponte ſua pacis & non afflictionis cogitationes ſemper cogitat, neminiq́ vltro infert inferréue parat, ſed neque vult, malum. Boni enim natura & ingenium bene ſemper vult & parat, libenterq́ offert: quidquid præter hoc euenerit, non ex Domini voluntate aut ſtudio, ſed ex malitia & proteruitate hominũ proficiſcitur. Qui enim amat periculum, in illo peribit. Perditio tua [ait Deus] ex te Iſraël: tantummodo in me auxilium tuum. Denique Deus, pacis, benignitatis, clementiæ, beneuolentiæ ſibi adſcribit voluntatem: hoc docere idem, monere, ſuadere, adiuuare, ac promouere amat; quidquid agit, huc ſpectat, eodemq́ tendit, quaq́ via ipſe homines quærit ſeruandos, eadem illos ad ſe venire & ſe occurſurum petere clamat. quare fidenter à ſe quæri ait, nec ſolùm fidenter, verùm etiam rectè ac ſapienter. ſiquidem

Perditio vnde.

Eccls. 3.
Oſe. 13.

10. Vniuerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas, requirentibus teſtamentum eius & teſtimonia eius.

Iter.

Dicebamus ORHHOTH itinera Latinè dici. Iter autem dicitur, totum interuallum à loco vnde proficiſcimur, ad inſtitutum vſque quietis locum vel portum; vt,

Horat.

Magnum iter ad doctas proficiſci cogor Athenas.

dicitur etiam iter, quantum viæ vna conficitur die; vt,

Hoc iter ignaui diuiſimus altiùs, ac nos
Præcinctis, vnum.

& milites longis vel breuibus itineribus inceſſiſſe narrantur. Aliquando viæ & itineris nomina ab auctoribus confunduntur Latinis; atque ita noſter interpres alterum pro altero nonnumquam vſurpat. Verùm ſancta lingua perpetuò ſibi in his conſtat verbis: ſiue igitur itinera ipſa integra ab initio ad finem vſque viarum & ſpatij interualla mente cogitationeq́ præſumamus, ſiue ſingulorum dierum diſtributas conſideremus partes, idq́ per omnem Domini doctrinam (quæ fœdere ſanciundo ac teſtimoniis & documentis exponendis traditur) examinemus, illud profectò patebit & luce clarius apparebit, Vniuerſas vias IEHVEH, miſericordiæ rationes in enunciandis promiſſis, & veritatis documenta atque exempla in iiſdem præſtandis promiſſis continere: quidquid aliter videatur aut diſputetur vel decernatur, ab eo qui non quæſierit ac tenuerit teſtamentum Domini & teſtimonia eius, ſed ad hominum doctrinas & mandata animum ſtudiúmque diuerterit. quæ profectò prauitas in meras demum tenebras atque in regionem vmbræ mortis, imò in mortem ipſam, ſui detrudit ſectatores.

Via.

Viæ Domini.

Contrà

Contrà verò iјs qui ex ſacroſancta Dei doctrina miſericordiæ fidem conceperint, eam officio & obſequio teſtati fuerint, quamuis magno ac tortuoſo errore antea palantibus, tamen ad veram redeuntibus viam, certiſsima ſpe de propitiationis diuinæ beneficio agendum ac perſeuerandum fuerit: non quidem propria ipſorum, ſed maxima nominis illius IEHVEH *virtute atque efficacitate fretis; id quod ita ſibi creditum & perſuaſum Vates pronuntiat noſter.*

11. Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.

Extremis morbis & malis extrema conuenit adhiberi medicamenta ac remedia: fuerit igitur quantumcumque grauis erroris mei prauitas, tamen diuini nominis iſtius IEHVEH *bonitas ac rectitudo tanta eſt, vt à nulla vnquam prauitatis vi, non dicam vinci, ſed nec retineri aut retardari, in moráue poni poſsit, modò errantis ipſius non obſiſtat contumacia. Mihi quidem nulla iam ſupereſt confitenti atque deprecato prauitatem, qua auerſus à recta via, id eſt, à morum rectitudine, antea vixerim, & nomen iſtud tuum appellanti magnum, & in magnis erroribus condonandis agnoſcendum. Tota hæc oratio tranſlatis pronuntiatur verbis. Namque* GHAVON, *pro quo hîc Latinè legimus* peccato, *prauitatem à recto diſcrepantem ſignificat: ſiue ea in ædificiis aut in viarum progreſſu, ſiue in moribus, qui vel praui vel recti dicuntur, ſiue in iudiciis & opinionibus, conſiliis ac ſententiis, quacumque denique in re notetur. Verbum verò* propitiaberis, *ex exemplari* ZZELAHHTHA, *quo Latiniùs quàm* ignoſces *interpretemur, non ſanè nobis nunc ſuccurrit aliud, nec vmquam in ſacris reperitur ſcriptis aliј coniunctum nomini niſi* GHAVON *vel* HHATHAH, *id eſt,* prauitati, *vel* errori, *videturq́ in rerum natura ſpectare vel pondus vel robur: namque praua impoſito pondere diriguntur, & errores ſiue tortuoſitates viatorum emendantur retractione vel reſtitutione in viam: vtrumque autem Dei nomini* IEHVEH *conuenit, pondus videlicet, cui nullum componi poſsit aliud; ac robur, vis, & efficacitas. vtrumque etiam ad miſericordiam referendum, qua Deus* RAB HEZZED, *magnus ſiue multus miſericordiæ, vocari gaudet. In exemplari verſu & ſermone, argumentationis artificium indicat coniunctio* VAV: *quæ cum aliis etiam officiis collectioni deſeruit.* VEZZELAHTHA, itaque propitiaberis *ſiue* ignoſces peccato meo, LEGHAVONI, prauitati meæ: multum eſt enim. *Quamquam Latinè* multum, *ad peccatum & ad nomen referri liceat, in exemplari lingua ad ipſum nomen refertur: namque* GHAVON *fœmineæ formationis eſt,* RAB *verò maſculinam præfert faciem, & cum* SEM *nomine eiuſdem generis conuenit. Significat autem* RAB multum & magnum; *vnde* RABBI magnus *ac* multus meus, *qui ob eam ſignificationem Latinè quoque* magiſter *vocatur.*

Hippocr. aphoriſm.

Deus multus miſericordiæ.

VAV coniunctio.

Magiſter.

tur. eſt enim argumentationis enthymema huius modi ac ponderis: Domine, tuum iſtud miſericordiæ nomen magnum ac multum eſt; ergo idem ſemper obtinens prauitati meæ ignoſces. deeſt propoſitio ad ſyllogiſmum, quæ, tametſi non expreſſa, intelligitur: id quod multum ac magnum efficacitate eſt, in multis ac magnis agendis & ferendis exercetur: id verò de diuini nominis efficacitate maxima vſque adeò verum, certum, proprium, conſtanſq; ſemper eſt, vt non modò ipſe ſibi ſperare, ſed alios etiam docere & ad ſimilis beneficij communionem vocare & adhortari non dubitet Vates, conditione propoſita pietatis ac ſinceræ ſanæq; mentis: cui conditioni diuina numquam defuit bonitas, nec vnquam defutura aſſeueratur.

12. Quis eſt homo qui timet Dominum? legem ſtatuit ei in via quam elegit.

Ex expectatore diuinæ bonitatis in ſuam ſalutem, in præconem & inuitatorem procedit, geſtitq; alios ad ſimilis beneficij cognitionem ac teſtimonium pellicere, promiſſorum diuinorum cumulata etiam declaratione: quæ non ſolùm ad ipſos, qui inuocantur, ſed eorundem poſteritatem ſint pertentura. Quis eſt homo qui timet Dominum] MI ZEH HAIS IRA IEHVEH, Quis iſte quiſpiam vir timebit Dominum. *Quamquam conditionis non exprimatur coniunctio, tamen conditionalis oratio & argumentatio eſt; artificiumq; celando, plus efficit ac perſuadet, quàm ſi palàm prætulerit. Idem autem valet oratio illa,* Quis iſte quiſpiam vir timebit Dominum, *atque illa; Da virum quempiam timentem Dominum; quem ſi dederis, illud illi præſtitum iri manifeſtis vincam exemplis:* legem ſtatuit ei in via quam elegit. *In exemplari idem verbum repetitur quod antea fuerat vſurpatum;* IARAH IORENO BEDERECH IEBAHHER, inſtruet illum in via [quam] eliget; *modò ille timeat Dominum; & colat animo ac veneretur eum qui* IEHVEH *nominatur, optetq; ſalutis viam ſuæ: cuius ineundæ, tenendæ, & peragendæ rationem ab eodem diſcet præceptore Domino, legis primùm & prophetarum oraculis inſtructus, deinde alia ſublimiore & excellentiore doctrina perficiendus, de qua Paulus:* Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro. *Nam quod ſemel Dominus cum piis & ſui timentibus egit, id in poſterum quin agat & perficiat non mutabit vnquam: atqui timentes ſe, Abrahamum, Iſaacum, & Iacobum, ipſe, vt ſcimus, deduxit; nec ſolùm incolumes per totam vitam tutatus eſt, verùm etiam diuitiis, opibus, & honore auxit & amplificauit, atque eam quam promiſerat nepotibus illorum terram, hereditatis iure addictam tradidit: igitur qui in minoribus, hoc eſt, terrenis rebus, efficacem & commodum atque tutorem ſeſe præbuit, idem in melioribus ac ſublimioribus bonis diuinæq; bonitati propioribus, atque in hereditate feliciſſima, naturæ, voluntati, & benignitati, ac miſericordiæ, & beneficentiæ ſuæ abundè profectò ſatisfaciet, antiquumq;*

1. Cor. 12.

quumq́ſemper obtinebit, vt, Qui timet Dominum, *optatam ſalutis doceatur viam; & illud vlterius, quod conſequitur, obtineat: videlicet,*

13. Anima eius in bonis demorabitur: & ſemen eius hereditabit terram.

Ex antiquo & celebratißimo diuinæ prouidentiæ, tutelæ, ac veritatis Tutelæ Dei exempla in patribus.
erga patres illos pios exemplo, certam, & vtilem, piis omnibus parat, adornat, & aſſeuerat doctrinam fidei atque ſpei de ſalute æterna ipſis eorumq́ veracibus filiis & imitatoribus præſtanda. Namque patres illos vbique locorum tutos & à Deo cuſtoditos ſacræ commemorant hiſtoriæ; illudq́ per totam huius mortalis vitæ peregrinationem obſeruatur perpetuum. Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges. Nolite *Pſal.* 104.
tangere chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari. *ita vt nullibi terrarum, gentium, ac regnorum, non ſecuri peregrinarentur; ſiue vt hoſpites diutiùs hærentes, ſiue vt viatores pernoctantes; non ſolùm hac diuina tutela ſemper vſi fuere, ſed vita demum functi cum ſumma pace & quiete atque lubente migratione; id ſignificantibus hiſtoriis:* Fuerunt au- *Gen.* 25.
tem dies vitæ Abrahæ, centum ſexaginta quinque anni; & deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, prouectæque ætatis & plenus dierum; congregatuſque eſt ad populum ſuum. Et completi ſunt dies Iſaac *Ibid* 35.
centum octoginta annorum; conſumptuſque ætate mortuus eſt, & appoſitus populo ſuo ſenex & plenus dierum. *Iacob etiam in Aegyptum proficiſcens*, venit ad puteum iuramenti, & mactatis ibi victimis Deo *Ibid.* 46.
patris ſui Iſaac, audiuit eum per viſionem noctis vocantem ſe, & dicentem ſibi: Iacob, Iacob. Cui reſpondit: Ecce adſum. Ait illi Deus: Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui; noli timere, deſcende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego deſcendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem: Ioſeph quoque ponet manus ſuas ſuper oculos tuos. *Rurſus etiam*: Factique ſunt omnes dies *Ibid.* 47.
vitæ illius centum quadraginta ſeptem annorum. *& inferiùs*: Finitiſq; *Ibid.* 49.
mandatis, quibus filios inſtruebat, collegit pedes ſuos ſuper lectulum, & obiit: appoſituſque eſt ad populum ſuum. *Quas hiſtorias, vt non obſcurè Pſalmo hoc ſignificatas, commentando nobis deſcribere minimè piguit ad huius ac ſubſequentium explicationem verſuum, in quibus diuinæ tutelæ* Diuina tutela piis promiſſa.
promiſſum pij & probi omnes exſpectare monentur aduſque extremam vitæ horam certißimum atque opportunum prorſus: nam quod Latinè legimus, Anima eius in bonis demorabitur, *ex exemplari lectione verſum eſt,* NAPHZO BETOB THALIN *ſiue* LVN. *Verbum* LVN, Quieſcere *ſiue* ceſſare *ſignificat; & ferè ſemper in hac ſignificatione ad iter facientes viatoréſue refertur, quocumque illi loco noctu ad poſteram vſque lucem quieſcant: hoc ad eam rem vſurpari obſeruamus verbum, cuius exempla ſunt:* Declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi. qui di- *Gen.* 19.

 xerunt;

Ibid.24. xerunt; Minimè, ſed in platea manebimus. Eſt in domo Patris tui locus ad manendum, *&c.* Palearum quoque & fœni plurimum eſt
Ibid.28. apud nos, & locus ſpatioſus eſt ad manendum. Cumque veniſſet
Exod.23. [Iacob] ad quemdam locum,& vellet in eo requieſcere. Nec rema-
Ibid.34. nebit adeps ſolemnitatis meæ vſque mane. Neque reſidebit manè
Leuit.19. de victima ſolemnitatis Phaſe. Non morabitur opus mercenarij tui
Iob 31. apud te vſque mane. Foris non manſit peregrinus, oſtium meum
Ioſue 4. viatori patuit. *&*, In loco caſtrorum, vbi fixeritis hac nocte tentoria. *His Latinis verbis,* remanere, quieſcere, reſidere, morari, figere nocte tentoria, *& aliis, verbi* LVN *in Latinis vulgatis verſionibus reperimus indicatam ſignificationem, quæ in eundem recidunt ſenſum cum verbo* Pernoctare. *Animam verò, quæ in ſancta lingua* NEPHES *dicitur, eam animi portionem definiuimus eſſe, qua homo viuit, qua ſentit, qua vitæ huius fungitur officiis, aut fruitur commodis, vel incommodis læditur. qualia ſunt eſurire, expleri, ſitire, bibere, moueri, quieſcere, vigilare, dormire, & complura alia. Siue igitur ſingula vitæ huius mortalis itinera, quæ interdiu aguntur, noctu verò ceſſant & intermittuntur, intelligamus: ſiue ipſum poſtremum vitæ, qui in mortem quaſi in noctem quandam deſinit, & ad clariorem lucem exſpectandam ſopitur; ſiue vtrumque coniungamus, vt certè coniungimus, pij ac Dominum timentis viri anima in bono pernoctabit, ac demorabitur diuinæ prouidentiæ præſidio vbique tuta, antiquorumq́ue Patrum inſtar habens, & perſimilis illis ergæ poſteritatem ſuam beneficij certa migrabit; quorum vt ſemen promiſſam patriam demum obtinens hæ-*
Terra promiſſa. *reditatis iure partitum narratur, ſic* ſemen eius, *quem pium & probum appellamus virum,* hæreditabit terram, *illam nouam, promiſſam, & à Io-*
Apocal.21. Matth. 5. *hanne in Apocalypſi decantatam, atque à Chriſto mitibus adiudicatam. de cuius terræ myſteriis nunc agere non arbitramur opportunum; illud tantùm contenti audire & aſſerere cum Vate noſtro, quidquid homines & quantum de diuinorum promiſſorum & ſanctis fœderibus teneant, ſiue penitus intelligant, ſiue cortice tenus ac rudi interpretatione ſuboleant, totum tamen reapſe & miris modis opportunè præſtitum iri piis ac mitibus Dominumq́ue timentibus.*

14. Firmamentum eſt Dominus timentibus eum: & teſtamentum ipſius vt manifeſtetur illis.

Patribus omnia in figura contigere. *Quidquid olim Patribus & Vatibus traditum vel præſtitum re vera conſtitit, imago tamen fuit arcani conſilij de ſalute hominum perficiendi & præſtandi. Vt illis itaque diuina ſemper adfuit & fauit bonitas, omniq́ue peregrinationum periculo ac diſcrimine ſuperato, demum bonus contigit vitæ*
Felicitas æterna quibus promiſſa. *huius animalis finis, & illorum quoque ſemini promiſſæ terræ poſſeſſio tributa fuit; ita etiam arcanum illud ſalutis & felicitatis æternæ fœdus, in illis ipſis antiquis adumbratum exemplis, integrum Domino conſtat, atque*

ijs para-

ijs paratum qui ſe timuerint, & purè coluerint; paratum inquam, ſuo reuelandum ac declarandum tempore. hoc eſt quod à Vate noſtro tanquam totius diſputationis collectio ſumma confirmatur. Itaque ZZOD IEHVEH, ſecretum arcanumque miſericordis Domini (*qui apparuit quidem* Exod. 6. *Abraham, Iſaac, & Iacob in* EL SADAI, *ſed nomen ſuum* IEHVEH *non indicauit eis*) *illud inquam* arcanum (*pro quo interpres noſter* firmamentum *poſuit*) *atque illud* teſtamentum, *ſiue pactum, ſiue fœdus cum Patribus initum*; timentibus eum *repoſitum paratumq́ manet*, vt manifeſtetur illis; LEHODI GHAM, notum faciendum illis. *Id quod verè præſtitum, ſancti læti & admirati gratulabundiq́ conteſtantur.* My- Coloſſ. 1. ſterium, quod abſconditum fuit à ſæculis & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias ſacramenti huius in gentibus, quod eſt Chriſtus in vobis ſpes gloriæ. *In huiuſmodi autem piorum atque mitiorum Dominumq́ timentium gregem ſeſe cùm numerarit Vates, eiuſdem cum illis omnibus fidei atque ſpei firmitudine fretum, beneficij ac ſecreti diuini participem euaſurum exſpectat; atque in tanti muneris demum obtinendi argumentum, vitæ quoque huius breuis incommoda & ab aduerſariis atque inimicis & inuidis ſtructas inſidias intentaq́ pericula ſuperaturum confidit ac prædicit.*

15. Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.

Ex inchoata initio theſi ad hypotheſin tranſierat, id eſt, ex ſingulari & propria cauſſa communem in vniuerſum arripuerat doctrinam, de miſericordiæ diuinæ promiſſo & veritate erga pios cunctos, de tutelæ perpetuæ opportunitate, de propria materia, in qua libentiſſimè verſatur, & præcipuè ſpectatur bonitas & clementia; id eſt, in magnis & plurimis peccatis propter pœnitentiam condonandis, de prouidentiæ ſingularis argumentis ac ſignis in maximo atque humanis viribus deſperato periculo: quæ omnia cùm rationibus diſſeruerit, atque exemplis firmarit, in ſuam ipſius vtilitatem ſigillatim deinceps vſurpans, Deumq́ rurſus compellans, ſibi fauſta, felicia, certa, & communicata poſcit, orat, ac vouet. Primùm verò cùm ſe multis vndique periculis & inſidiis vallari ac propè iam impediri in vita ſentiret, quæ nec ſolus perrumpere valeat, nec humano auxilio vitare aut euadere poſſit, auiculæ aucupis rete & caſſibus implicatæ inſtar cælum ſemper, ad Dominum intentis oculis, ſuſpicere ſe ait. Quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos] *vt via pedibus, ita vitæ curſus conſiliis & cogitationibus conficitur; illis retia, huic improba acta vel propria vel aliena præpedimento ſunt: remedium autem vtrique malo, ad Dominum Dominiq́ doctrinam mentem animumq́ ſemper habere intentum. Vt verò auiculæ retibus impeditæ querula voce laborem produnt ſuum, & auxilium ſuo poſcunt modo; ſic etiam ipſe Deum ſpectat, & ad ærumnarum ſuarum miſerationem appellat.*

 16. Reſpi-

16. Reſpice in me, & miſerere mei: quoniam vnicus & pauper ſum ego.

Deus pauperum tutor.

In lege Deus pauperiorum & afflictorum ſtudioſum ac miſericordem curatorem tutoremq́ ſeſe profeſſus erat. quas partes in ſuam ſalutem Vates citat, & ſollicitat, vt ſibi legitimè conuenientes, quòd pauper & humilis atque afflictus (namque hæc omnia nomen GHANI *ſignificat) item quòd ſolus & ſolitarius, id quod ad miſerationem commouendam validioris impulſus eſt: quippe magnanimi ac fortes principes & iudices indigniùs ferre & celeriùs propulſare ſolent iniurias à pluribus & potentioribus pauperiori & ſingulari illatas homini, nedum Deus efficaciſſimè & maturrimè*

Pſal. 10.

idem agens præſtet; de quo ſcriptum, Tibi derelictus eſt pauper. *Igitur ſic habens Vates, in ſe reſpicere primùm, deinde id quod conſecutum iri ſperat, miſereri ſui, atque hæc eodem quo poſcit, ordine agi expetit, de diuina miſeratione fidens, atque ſibi perſuaſus, Deum benigniſſimum præſentium laborum ſpectaculo commotum, ad miſericordiam & opem ferendam promptiùs & citiùs quàm ad antiquorum errorum caſtigationem conuerſum iri; vtpote cui ſemper promptior ac nullo tempore ceſſans exercendæ miſericordiæ voluntas.*

Habac. 3.

Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. *Itaque laborum ſuorum præſentis exempli ad ferendam opem, potiùs quàm prioris peccatorum ad inferendam vltionem, habiturum rationem appellat; vel vtrique parti ita conſuli expoſcit, vt laboribus & miſeriis opem ferendo præſentibus, peccatis iam præteritis ignoſcatur: vtrumque enim proprium eſſe miſericordiæ munus & officium ex legis doctrina cognouit.*

17. Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me.

Duo verba in ſacra lingua TSARAH *&* TSAKAH *angorem & preſſuram ſignificant, eo diſcrimine (nam ſæpe tranſlatione vſurpantur) vt* TSARAH *anguſtam vallationem, vnde effugium non patet, intelligamus:* TSAKAH *verò ſiue* METSVKAH *(vtraque enim forma reperitur) compreſſionem vndiquaque coactam & conſtrictam dicamus. Hiſpanicè priùs vocabulum* apprieto, *poſterius verò* entretallamiento, *interpretari licet. Eſt igitur* TSARA anguſtia, *quæ cùm ad animum refertur,* cura grauis *dici poſſit;* METSVRAH *verò ad corpus relatum* preſſura *ſiue* compreſſio, *ad animum tranſlatum dicetur* anxietas, *longè quàm* cura *durior ac difficilior affectus. Conditionis igitur extremæ, qua tenetur, imaginem duobus iſtis nominibus exprimit Vates, curarum in corde grauiſſimarum & multiplicium, tum ex peccatorum pœnitentia, tum ex corrupto illo & antiquo deprauationis humanæ morbo, atque ex laborum ſenſu profectarum; nec non & anxietatum tam animum quàm corpus prementium, propter inimicorum inuiſibilium & viſibilium frequentiam, vi-*

res, &

res,& impetum: atque ita ſe duplici hoc malo afflictum ſignificat, vt neutra pars ad cogitandum & prouidendum cauendumq́ alteri locum, ſpatium, tempus, modúmue concedat; nec niſi vtrique Deus medeatur morbo, atque ei prius, qui ſenſum propiùs premit & vexat, occurrat, actum prorſus de ſe intelligat. Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt] *Sat ſuperq́ mihi laboris ac negotij cũ multis ac magnis curis, quibus interiùs circũdatus & vallatus vexor; iis autem quo minùs intendam animum, complura exteriùs illata mala & incommoda impediunt, niſi tu iſtis maturè ſuccurras; vt ea parte alleuatus alteri quoque tecum agendæ vacem. Tota oratio tranſlata eſt ab ægrotante homine, qui cùm peccatorum conſcientia prematur, adeò tamen membris dolet, & morbi vexatur vi, vt præ dolore & anxietate minùs attentè de animi cogitet ægritudine. ſolet autem is plerumque de doloris primùm ſenſu cum Deo deprecabundus paciſci, & de animi ac morum in poſterum correctione vouere.* De neceſſitatibus meis erue me] *pro* METSVKOTH neceſſitates *reddidit interpres noſtèr: quo nomine extremam & impotentem ſignificare voluit afflictionem. A magnitudine laborum & afflictionis, quæ ſolus ac ſingularis patitur, ad miſericordiæ ciendam opem argumentatus eſt; eandem porrò argumentationem & petitionem ex comparatione perſonarum impenſiùs munit & amplificat; perſonarum, inquam, & ſuæ quæ vexatur, & eorum per quos vexatur: in qua compoſitione multa indicat, quæ ſe potiùs quàm aduerſarios iuuandum & miſericordia afficiendum commendent. Illud cumprimis pro certo ſtatuit, omnia hominum acta & facta à Deo cognoſci & curari, atque vnicuique pro rerum ſuarum ratione conſuli & prouideri, miſeris & afflictis miſericordiam impendi, iniurioſis & improbis dignas ſcelerum & iniuriarum irrogari pœnas. Hæc igitur cùm ita verè habeant, à Deo ſuis rationibus atque integro tractanda iure minimè dubitat; quare vtriuſque ſimul partis rationes, vitia, modos, cauſſaſq́ cognoſci poſtulat: quibus examinatis & perſpectis, certiſſimam ſibi diuinæ miſericordiæ opem ſperat & precatur affuturam. Præfert autem petitionis huius formula ſingulare illud adnotationeq́ dignum; quòd ſinguli qui præceſſerint, quiq́ ſubſequentur verſus, propriam alphabethi antiqui literam, vnde incipiantur vendicant: hæc verò petitio duobus eſt inſtructa verſibus, vtroque ab eadem litera* RES, *imò & ab eadem voce, inchoato:*

Aegrotantium anxietas & vota.

Prouidentiæ ratio.

18. REAEH, Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte vniuerſa delicta mea.

19. REAEH, Vide *ſiue* Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt; & odio iniquo oderunt me.

Primum igitur ſimile verſus initiũ, eodemq́ modo repetitũ, proborum atq́ improborũ cauſſas, acta, facta & cogitata, pari virtute, auctoritate, & integritate à Deo, vtpote ſapientiſſimo iudice, ſpectari & cognoſci, idq́ vno atq́

eodem

eodem ſimpliciſſimo obtutu: verùm non pari expediri iudicio; ſed aliorum cauſſas ex miſericordia decerni, nempe humilium, afflictorum & oppreſſorum, atque corrigendæ vitæ ſtudio calentium; aliorum verò, ſuperborum videlicet, arrogantium, & iniurioſorum delicta legitimis coërceri animaduerſionibus ac ſuppliciis. Quare ſibi diuinam inſpectionem & examinationem priorem poſtulat, vtpote appellanti & poſtulanti, atque adeò, ſi mora intercedat, periclitanti; inimicis deinde ſuis eodem tempore adhiberi, nimirum potentibus, frequentibus, & ſecuriùs agere opinatis, ac nihil minùs quàm de Deo diuinoq́; iudicio cogitantibus, imo pietate omni contempta, in iniurias incumbentibus, nec laborem aliis allatum vel damnum datum, nec malum à ſe illatum ex alia cogitatione quàm ex prauo nocendi ſtudio parantibus. Quoniam multiplicati ſunt, *plures & potentes ac prædualidi.* CHIRABBV, *contra vnum, humilem, & inopem: quam verò ob rem? quámue ob cauſſam? numquid, vt me nominis tui auctoritate vel iudicio ac ſententia corripiant? nihil minus. Cur autem? mala mens,*

Odium duplex.

malus animus, ex mero ac ſolo inuidiæ odio. Eſt enim duplex odium, vel ex eius culpa, in quem ſtruitur, profectum; vel ex eius, à quo ſuſcipitur, malignitate & iniuſta inuidia; aut cupiditate & prauitate; quale latronum, ſicariorum, & ambitioſorum notatur ac deprehenditur. prius illud iuſtum habetur, modò nec miſericordiam interturbet, nec æquitatis excedat fines. hoc verò alterum iniuſtiſſimum in ſancta lingua SINEAH HHAMATS, *Latinè,* iniurioſum odium *dicitur, ſiue* liuidiſſima & improbiſſima inuidia: *quæ ſi etiam in beneficos & probos beneq́; merentes graſſetur,* SINEAH HINAM, odium gratis, *vocatur. quale hominum improbiſſimorum aduerſum ſe Chriſtus incenſum notans, ait;* Quia oderunt me gratis. *Itaque illis nulla lex, nulla fauet ratio, vtpote doloſis, nec ex iure aliquo niſi mera malitia agentibus; mihi verò vna fauet ſpes, in te vnum tuamq́; miſericordiam repoſita: patrocinantur autem duæ, quæ à me ſtant, partes tibi ſemper gratæ ac defenſæ,* ſimplicitas & innocentia, *non fictæ aut ſimulatæ, ſed veræ, ac tibi, quē vnum cum illis ſuſpicio, notiſſimæ.*

Odium iniurioſum

Odium gratis.

Iohan. 15.

20. Cuſtodi animam meam, & erue me: non erubeſcam, quoniam ſperaui in te.

Petitionis totius epilogum, tribus his adornat verſibus, ſummam rei quam petit & partium quibus fulcitur complexus. Res de qua agitur, magna atque ipſi extrema eſt, nempe anima ſiue vita, qua homini carius eſſe nihil in terris poteſt: ea verò omni humana carens ope, ſola diuinæ tutelæ ſpe & exſpectatione tanquam vnico præſidio nititur; quod ſi deſit, nec certo probetur euentu, in alterum ex duobus notis incidere pronum fuerit, vel vt dicatur Deus non omnibus in ſe ritè ſperantibus & fidentibus adeſſe & opitulari, atque ita ſpes interdum fruſtrari & confundi putetur (id quod vt abſurdiſſimum prorſus diuinæ miſericordiæ magnitudo & maieſtas minimè tolerabit aut permittet: non erubeſcam quoniam ſperaui in te.

quippe

quippe hoc ſemper tibi proprium eſt ritè ac legitimè ſperantes in te nunquam deſerere) ſin verò non eueniat, nec de Deo vnquam recta ſpes & fiducia deſerta aut neglecta credatur, alterum reliquum eſt, fraudem dolúmue ei, qui perfugium præſidiumq; Dei petierat, quominus nactus demum fuerit, obſtitiſſe. Iſtiuſmodi autem exceptione depellenda, tanquam à ſe alieniſſima, ſimplicitatem probitatémq; profitetur certiſſimas ac veriſſimas, eaſq; in ſpei & fiduciæ ſuæ ſignum, pignus, & examen, atque adeò in diuinæ prouidentiæ ac veritatis argumentum producit, profitetur, ac definit.

21. Innocentes & recti adhæſerunt mihi: quia ſuſtinui te.

Solent qui honeſta orantes poſcunt, auctoritatem, facultatem, voluntatémq; diuinam cumprimis appellare, atque propoſita & præſente in re exoptare ac præſcribere comprobandam: ad quam etiam præſcriptionem, ſiquid quod à ſe ſtare poſſit officij ac pignoris in promptu fecerit, producere & allegare non dubitant: imò id ipſum pro certo vtrarumque partium examine præfigendo ſtatuunt; quod niſi ex præſcripto eueniat, alterius vel vtriuſque nominis fidem laborare conſequitur. Quam rationem olim Ezechias obtinens, innocentiam, ſedulitatem, ac ſimplicitatem allegabat propriam. Et dixit: Obſecro Domine, memento quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim. *Eodem quoque pacto ac modo Elias Deum ad certam veritatis diuinæ atque ſui ipſius comprobationem præſcripto ſigno firmandam compellabat.* Domine Deus Abraham, Iſaac, & Iſraël, oſtende hodie, quia tu es Deus Iſraël & ego ſeruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine, exaudi me; vt diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertiſti cor eorum iterum. *Ab hac etiam ratione illa Ieſu Chriſti ante Lazari ſuſcitandi ſignum gratulatoria precatio ſtat.* Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam quia ſemper me audis, ſed propter populum qui circumſtat, dixi; vt credant quia tu me miſiſti. *Certa itaque ſpes atque certæ fiduciæ ſingulari exemplo definita & præſcripta, vtrarumq; partium, ſperantis videlicet & eius in quo ſperatur, conuenientiam peculiari ac notabili argumento declarandam adornat. Huic autem ſiue ſpei ſiue expectationi vocandæ verbum* KAVAH *inſeruit, idem ſignificans quod ſingulariter, attentè, atque definita in re cuiuſquam virtutem & efficientiam vel ſidem vel aliàs officium aut beneficium expectare. Latinè autem ſi quod vocabulum huic rei affinem ſignificationem præfert, illud arbitramur eſſe,* expectare *cùm obſeruatione, ſiue* obſeruare *certo in exemplo. Igitur cùm nec diuinæ opis fidem quemquam legitimè implorantem fallere, Vates affirmet, nec ſe non purè ac ritè implorare aſſerat, idq; Deo notum, perſpectum, & probatum ſentiat, publicè, ac palàm euentu ipſo ac præſente exemplo monſtrari poſtulat.* Innocentes & recti adhæſerunt mihi] *Latinus interpres concretum quod vocatur, pro abſtracto,*

Orantes quid appellare & allegare ſoleāt.

Ezechias.

Iſai. 38.

Elias. 3. *Reg.* 18.

Iohan. 11.

tracto, ſiue adiectiuum pro ſubſtantiuo poſuiſſe videtur. THAM VEIASAR IETSERVNI: *vtrumque nomen ſingulare:* Sanum *ſiue* ſimplex & rectum cuſtodierunt me. *Olim in iudiciis moris fuit, amicos & notos partium ad vadimonia rogatos ducere, qui fauendo adeſſent; atque iſti propriè aduocati dicebantur: quorum auctoritatis & grauitatis ratio à iudicibus vel in tota cauſſa vel in parte habebatur. Plenæ ſunt oratorum actiones huiuſmodi aduocatorum compellationibus & allegationibus: in ſacris quoque hiſtoriis non obſcura ſignificatio eiuſdem conſuetudinis apud reges obſeruatur; vt in Thecoite muliere, cui Ioabus quanquam diſſimulatus aderat: & in Abſalonis ambitu, atque aliis exemplis. Eandem verò ſua in cauſſa nunc exprimens imaginem Vates, duos pro ſe præſentes allegat aduocatos, quorum ratio ſemper apud iudicem Deum grata & efficax habita: vt in Abimelechi deprecatione obſeruare eſt, cui ſanitas mentis & facti innocentia atque ſimplicitas valde ad veniam impetrandam fauerunt.* In ſimplicitate cordis mei & munditia manuum mearum feci hoc. Dixitque ad eum Deus: Ego ſcio quòd ſimplici corde feceris, & ideo cuſtodiui te, ne peccares in me; & non dimiſi vt tangeres eam. *Huius itaque allegationis inſtar Vates ad cauſſam communem, hoc eſt, diuinæ fidei ac ſuam, obtinendam non ſolùm exprimit, ſed in expectationis legitimæ atque obſeruationis argumentum definitum præſcribit.* innócens & rectum, *ſiue ſanitas mentis & rectitudo actionum,* ad hæſerunt mihi, *vt aduocati, ſiue cuſtodierunt me.* Quia ſuſtinui te] CHI KAVITHICHA Quando quidem expectaui te. *nam* KAVAH *Verbum à Latino interprete ſæpe vertitur in* expectare: *vt,* Expectans expectaui Dominum. *&,* Expectauit vt faceret vuas, & fecit labruſcas. *aliquando in* ſuſtinere, *vt in hoc loco; interdum etiam in* ſpes, patientia, munitio, mora, perfectio, præſtolari. *ita vnum idemq́ vocabulum primæuæ linguæ, certa conſtantiq́ ratione variè in alium ſermonem tranſlatum, non mirum fuerit negotium facere iis, qui primæ & exemplaris linguæ facultate fuerint deſtituti. quo labore certè carent, vel qui fontes ipſos norunt ac petunt, vel qui neſcire quàm ringi malunt; niſi quòd poſteriores iſti alio nocentiore malo hoc eſt inuidia infecti, aliorum inſidiari ſolent induſtriæ. Denique Vatis noſtri ſingularis & priuata in ſpeciem cauſſa, re vera autem in exemplo cunctorum communis piorum, firmiſſimo & vniuerſali fulcimine admoto firmata peroratur, artificioſoq́ conſtabilitur argumento; præſidio videlicet inexpugnabili propoſiti conſilij atque promiſſi Dei, qui quondam Iſraëlem à ſe ornatum, defendendum quoque & vndiquaque muniendum incolumemq́ ſeruandum receperat. Iſraëlis autem nomen non vni tantùm viro proprium, ſed compluribus, imò & innumeris commune Deus idem inditor fore voluerat, cunctis videlicet qui Iacobi inſtar vnum ſibi optarent, præponerent, atque fide conſtituerent numen, patronum, tutorem, & beatorem Deum: cuius nomini & virtuti ſe ſuaq́ commendarent omnia. atque huius vniuerſalis Iſraëlis nomine, ratione, ac iure ſeſe conten-*

tum

Aduocati propriè qui dicti.

Aduocati apud Deũ qui.

Gen. 20.

Pſal. 39.
Iſai. 5.
Ierem. 29.
Zach. 9.
2. Par. 29.
Iob 4. 7. 17.

Linguæ primæuæ vtilitas

Iſraëlis nomen.

tum affirmans, priuilegiis etiam & conditionibus iuuari ac frui poſtulat, vtpote qui & ipſe in Iſraëlis cenſu ſeſe quoque affirmet poſitum.

22. Libera Deus, Iſraël, ex omnibus tribulationibus ſuis.

Qua nocte Iacobus conſtitutum iam pridem ſibi principem, tutorem & patronum atque dominum ita compellauerat Deum: Erue me de manu fratris mei Eſau, quia valde eum timeo, ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis. Tu locutus es, quòd benefaceres mihi, & dilatares ſemen meum ſicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non poteſt. *Eadem nocte ante poſteram lucem audiuit:* Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis? *Idem verò poſt Sichimorum cladem à filiis patratam, Cananæorum inuidiæ certum periculum diuinæ tutelæ protectione ſola euaſit.* Cumque profecti eſſent, terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates. & non ſunt auſi perſequi recedentes. *id quod vnicum præſidium certum ac perpetuum ſibi paullò ante mortem faſſus, ad liberos poſteroſque ſuos tutandos pertinere, idem orabat atque vouebat.* Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea vſque in præſentem diem, angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis, & inuocetur ſuper eos nomen meum. *Igitur & ſanguinis & fidei ac pietatis iure & pacto, idem à Deo impoſitum, ornatum, atque aſſertum nomen, pro ſe quoque facere; atque ſuas cum communibus totius Deo electi populi partes coniunctas, diuinæ ſingularis prouidentiæ ac virtutis & efficientiæ præſidio, incolumes tutari & aſſeri denique poſcit, confidit, vouet, & commendat.*

Iſraëlis præſidium. Gen. 32.

Gen. 35.

Ibid. 43.

IN PSALMVM XXV.

D. IACOBO GOMEZIO MATRITIO EPISCOPO PACENSI S.

MVltis iam pridem nominibus mihi colendus ac ſuſpiciendus cùm ſis, vir præſtantiſſime, ſæpiùs etiam aliàs per literas & amicitiæ obſeruantiæque officia ſalutatus, nullo hactenus certo ac ſingulari munuſculo exceptus fuiſti: quod poſteritatis memoriæ meum erga te animum iudiciumque teſtaretur; erga te inquam pa-

tronum Præſulemque primarium meum . in cuius ego ſacrā nunc ditione, ortus, natus, & ab infantia educatus, ac frequenter in iuuenta verſatus fui: quamquam ſub aliis tunc epiſcopis; quorum tu memoriam & laudes non ſolùm repræſentas, verùm etiam notis præis ac ſuperas exemplis, pietatis in Deum, ſtudij & integritatis in commiſſo grege regendo, atque bonis inſtruendo moribus & inſtitutis; delectis præterea & egregiis curando adminiſtris, atque vnici ſummi Paſtoris animorum Ieſu Chriſti (ſi quicquam præclari corruptius hoc ſeculum admitteret) referre ſatagis & conaris imaginem. Verùm aliorum generum præſtandi muneris, cùm nec mihi conditionis qua viuo tenuitas copiam conceſſerit, nec iſtius Ordinis præſtantia egeat, eius quæ diuino beneficio me attigit facultatis, inutilem quidem ſeruum (fateor) tamen ſanæ mentis & circa pauca hæc fidelem, partem aliquam nomini tuo inſcriptam, meæque gratitudinis monumentum, vt ſpero & voueo, futuram Eccleſiæ ſanctæ, cui me totum debeo ac tradidi, tua præſulis mei manu ſacrandam conſigno; id eſt, Commentariolum in Dauidis vigeſimum quintum Pſalmum; elegantem quidem cæteroſque illius Vatis omnes referentem, & ſingulari argumento munus officiumque veſtrum præſulum piorum, iudicum, principum, ac magiſtratuum, non multis verſibus, at cōcinnis exprimentem verbis. Cuius orationi partibuſque ſingulis explicandis cùm nec mens nec mihi ſuffecerit ingenium, nec ſuſcepta ab initio operis breuitas plus veniæ, nec otij plus ætas ac tempus conceſſerint; tamen Dei, cui conatus noſtros præcipuè probari expetimus, clementia freti, & iſtius animi candore ac paterno in nos amore confiſi, munuſculi noſtri tenuitatem boni conſulturo tibi gratam ſperamus futuram. Vale, ex Rupe noſtra apud Aracenam. Nonis Octobr. cIↃ.IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

Pietatis doctrinæ ſumma.

Fidelis & pij viri oratio eſt, vitæ actionumq; ſuarum rationem ſummamq; omnem Deo commendantis; agnoſcentis quidem interim exceptiones multarum partium, quæ ad exactam naturæ humanæ perfectionem in ſe requiruntur, propter infirmitudinem & inſolentiam carnis, mortalibus Adamiq; degeneris poſteris commune

mune

mune vitium; nihilominus verò ſanitatem probitatemq́; mentis & ſceleris ac mali doli odium profeßi, morum quoque in melius correctionem ſedulò conati ac molientis, atque hoc ſtudio miſericordiæ Dei promißis fidentis & conſtanter innixi: cuius virtute & munere humanum genus ab humili, ſordida, atque impotente ſeruitute ad ſpiritus liberam ingenuitatem transferatur.

1. Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum: & in Domino ſperans non infirmabor.

TOtius orationis argumentum ſummum, verſus primus exordij vice complectitur. in quo Vates vitæ cauſſæq́; ſuæ rationem Dei iudicio examinandam primùm, deinde miſericordiæ diuinæ tutandam atque adeò promouendam & amplificandam commendat. Cauſſæ autem genus iudiciale eſt colore mixto tractatum. Quæſtio verò ſumma vnica & ſimplex eſt, Poßitne mortalis homo quiſpiam integerrimum iudicium Dei optare, adire, & appellare, idemq́; ſubire audeat, cùm ſcriptum ſit, Numquid iuſtificari poteſt homo homo comparatus Deo? aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius; quanto magis homo putredo, aut filius hominis vermis? *Quæ doctrina tanquam vera conſtituta & conceſſa, duobus nihilominus coloribus, diuinum iudicium hominibus deſtinatum, cunctiſq́; neceſſariò ſubeundum, fideli & pio cuiuis cum boni euentus præſumptione & ſpe ſubire non formidandum, imò libenter optandum, & expetendum, exemplo ſuo declarat & profitetur Vates. Alter autem color, quamuis minùs efficax, defenſio innocentiæ eſt: quæ quamquam neminem exactè iuſtum conſtituat, tamen ſi requiratur, cauſſa cadere neceſſe fuerit: ſi verò verè prolata indicetur & comprobetur, hominem quidem probum ſtatuere valet, ſeruili tamen & ingrata conditione non ſecluſum: ſicut ſcriptum eſt:* Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus. *Itaque partem iſtam hominibus communis ſenſus compotibus ad iudicium Dei afferri oportere intelligimus, non quidem vt probandæ cauſſæ idoneam, tamen vt neceſſariam prorſus, & à iudice exactam; cui ſi alterius coloris partes adiunctæ ſuffragentur, felicem & commodum iudicij exſpectari conuenit exitum. Eſt autem color alter, iſq́; efficaciſsimus, firmiſsima de miſericordia diuina fides atque ſpes. Priorem colorem fiduciam, poſteriorem verò fidelem ſpem Latinè vocare licet: vtrumque autem ad ſuas agendas partes à Vate ritè allegatum optimeq́; ceſſurum primi huius verſus propoſitio præſumit.* Iudica me Domine] *Nomen* IEHVEH *in cauſſam primum appellatum, bonum promittit omen; vtpote clementiam, miſericordiam, & liberationis ac ſalutis voluntatem, ex propria ſignificatione pollicitum. Cuius nominis præſumpta virtute ac veritate, iudicium fidelibus*

[Margin: Dei iudicium. *Iob 25.* — Innocentiæ vſus & fructus. — *Luc. 17.*]

libenter ſubeundum fuerit. A perſona itaque, munere, & officio electi iudicis, cauſſæ ducitur primum initium, & gratia atque attentio captatur ab ipſius cauſſam dicentis partibus, candore videlicet & ſimplicitate animi, maximè verò à fide & ſpe bonitatis eius, quem iterum appellat IEHVEH.

Quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum] BETHAMI
Ambulare. HALACTHI, in ſanitate mea ambulaui. HALACH *Verbum à pedum inceſſu ad animum transfertur, & vitæ ac morum conſuetudinem ſignificat, inde nomen* HALACHAH *in ſcholis pro conſuetudine & communi more vſurpatum: nec tamen vna & ſingularis actio* HALACHAH *dicitur, nec qui ſemel quicquam fecit vel boni vel mali, verbum* HALACH, *ſiue ambulare vel ingredi, arrogare iure poteſt; ſed qui diutiùs aſſueuit, &,*
Gen. 17. *ut ſcholaſtici loquuntur, habitũ contraxit. Sic illud interpretamur;* Ambula coram me, & eſto perfectus. *iiſdem duobus verbis, quibus illic Abrahamo præceperat Dominus, Vates hoc in loco ſuam communit cauſſam.* THAM, Sanitatem, ſimplicitatem, candorem animi & probitatem *Latinè ſignificat. ſæpe ab interprete noſtro vertitur in* perfectionem *ſiue*
Perfectus. perfectum. *atqui quem Latini virum bonum & ſanæ mentis dicunt, ſacra*
Iob 1. *ac primæua lingua* THAM *vocat. vt,* Et erat vir ille THAM VEIA-
Ibid. 8. SAR, ſimplex & rectus. *Et apud eundem auctorem,* Deus non proiiciet THAM ſimplicem, nec porriget manum malignis. *Innocentiam verò ſiue probitatem ſiue ſimplicitatem ſuam propriamq́ue nominat, quam verè & ex animo ſibi conſtare affirmat,* innocentia mea *non ſimulata, nec ementita, nec in ſpeciem prætexta, commodi aut gloriæ aut fallaciæ cuiuſpiam cauſſa, ſed conſilio certo & voluntate propria atque ſtudio & amo-*
Virtutum vera ratio. *re obtenta. Talis virtutum omnium vera debet eſſe ratio, vt nulla propter aliam rem niſi propter ſe ipſam expetatur & præſtetur, nec vllo mutetur pacto vel deſeratur periculo: talis enim verè propria dicitur virtus, vel innocentia, vel ſanitas, vel quæcumque indicetur alia vt iudicio probetur Dei. Talis illa commendatur ſimpliciſſimi Iobi eodem ſignificata vocabulo:*
Ibid. 2. Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens THVMATHO innocentiam? Tu autem commouiſti me aduerſus eum, vt affligerem eum fruſtra. *Prior igitur pars, quam pro ſe facere Vates ait, ſimplicitas ſiue innocentia propria, atque totis actionum vitæ exẽplis & antiqua cõſuetudine ſibi conſtans: cui cùm non ſatis virium ad iudicium Dei ſuſtinendũ & integro iure ſibi cõciliandum ſit, diuini propoſiti ac promiſſi nomine* IEHVEH *ſignificatum præſidium, ſibi pro aſylo applicat & occupat; à quo nullis aduerſæ partis viribus, argumentis, & artibus, ac dolis deiectum iri ſeſe confidit, ac ſperat, imò & aſſeuerat.*

Rupes ſiue petra nomen Domini. Et in Domino ſperans non infirmabor] *Rupem aliàs atque firmiſſimam petram ſuam, compluribuſq́ue aliis munimenti, defenſionis, ac firmitudinis & propugnaculi vocabulis, diuinum illud & efficaciſſimum* IEHVEH *nomen appellat & circumloquitur. non quidem ait ſe non infirmari aut fidere*

dere in ſimplicitate & innocentia ſua, ad cauſſam quam ſuſcipit, ſed in IEHVEH *Domino; quo fauente & protegente, ſe nec de ſimplicitate ſua pellendum vel dimouendum, nec cauſſa caſurum fidit. Eſt igitur totius orationis argumentatio ſumma, eademq́ dicendorum propoſitio, in hanc rationem concinnata. Meam tibi cauſſam Domine* IEHVEH *iudicandam committo ego ipſe & commendo, quam duabus partibus perorare inſtitui, id eſt, mea ipſius ſimplicitate ad iudicium tuum legitimè exigenda, atque à me vitæ conſuetudine & moribus præſtanda; & bonitate ac miſericordia tua, quam ego nomine iſto efficaciſſimo compellando à me ſtare confido & ſpero;* BATAHHTHI. *Plenam, planam, vniuerſalem, certam, firmamq́ fidentiam & ſpem verbum hoc ſignificat, ſine vllius certi argumenti definitione aut exceptione, eandémque fidei indiuiduam comitem perpetuóque ſequeſtrem, adeò vt altera deficiente vel laborante, altera quoque laboret: vt qui in falſo vel incerto fidem locauerit, perſimili ſpei nutet periculo, aut etiam fruſtretur. ex qua doctrina illud eſt:* Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis, Domus Iſraël ſperauit, BATAHH, in Domino: adiutor eorum & protector eorum eſt. Non infirmabor.] LO AMAGHED. MAGHAD *verbum ferè ſemper cum nominibus pedes, talos, gradum, inceſſumq́ ſignificantibus reperitur: atque vitium perpetuò ſonat, pro quo Latinè* labi, *ſiue* nutare *licet reddere, vt ex ipſis obſeruare eſt exemplis.* Dilatabis greſſus meos ſubtus me, & non LIMAGHEDV deficient tali mei. *Et ſuperiùs in hoc libro:* Dilataſti greſſus meos ſubtus me, & non LIMAGHEDV ſunt infirmata veſtigia mea. *Idem omnino hemiſtichium cum ſuperiore; ſed illud apertius,* Dens putridus & pes MOCHEDETH *(*laſſus *vertit Latina communior)* qui ſperat ſuper infideli in die anguſtiæ. *Huiuſmodi itaque ſignificatio eſt verbi,* non infirmabor, *in hoc verſu; non nutabo, ſiue minimè vacillabo. Propoſitionem rectè inſtitutam confirmatio è veſtigio conſequi debet, qua vel ratione, vel exemplo, vel vtraque ſimul re aſſumptum ſaltem comprobetur. Nam propoſitionis pars prior, quæ maior etiam ſiue præcipuo iure propoſitio vocatur, interdum vt nota & indubitabilis omittitur. Nemini autem dubium eſt, innocentiam & ſimplicitatem gratam eſſe Deo; vt vel ex illo apud Iobum, quod allegabamus, adſtruitur dicto:* Deus non proijciet ſimplicem: *item ex contrarij negatione firmatur;* Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es; neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus. *Priori itaque propoſitionis conceſſa parte, poſterior, in qua Theſis conſiſtit, formatur: hoc eſt, innocentiæ ſiue ſimplicitatis documentum, & huic adiunctum fidei atque ſpei argumentum. Simplicitatis autem probatio non tam à facto, quàm ab animi impulſu & affectu petitur: nam perſæpe accidit, vt ſimplicis & candidi hominis factum aſtuius & ſimulator*

Spes fidei comes.

Pſal. 113.

2. *Reg.* 22.

Pſal. 17.

Prou. 25.

Maior propoſitio ſæpe omittitur.

Innocentia & ſimplicitas grata Deo.

Iob 8.

Pſalm. 5.

Simplicitatis probatio.

Pſal. 77. *mulator imitetur, imò & in ſpeciem ſuperet. S. S. E.* Et dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei: Cor autem eorum non erat

Pſal. 61. rectum cum eo; nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius. *&*, Cucurri in ſiti: ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant. *Igitur cùm*

Conſiliorum examen. *non ſemper ex facto animi conſilium probandum aut improbandum veniat, conſiliorum perfectum examen ſoli diuinæ tribuendum ſapientiæ relinqui-*

Pſal. 7. *tur. S. S. E.* Scrutans corda & renes Deus. *& illud*, Nec iuxta intui-

1. Reg. 16. tum hominis ego iudico. Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. *Quod cùm ita ſit, probitatem ſimplicitatemq́ue ſuam, repetito ab internis affectibus & locis examine, pernoſcendam Domino, cui ſoli virtus & facultas iſta conſtat, committit. non qui ambigat eam notam & exploratam, ſed qui fiduciam profiteatur ſuam.*

2. Proba me Domine, & tenta me: vre renes meos & cor meum.

Ex puris ac ſimplicibus fontibus purum & ſimplicem promanare liquorem, naturæ veritas & experientia docet. Sunt autem in humano corpo-

Renes affectuum ſedes. *re officinæ geminæ, in quibus anima atque animus exercentur: altera affectionum in renibus, in quam cupiditates & appetitiones confluunt omnes:*

Conſilia in corde. *altera cogitationum, conſiliorum ac deliberationum, cor vocata, in quod tanquam in regiam aulam affectionum & cupiditatum turba conuenit om-*

Lib. de Natura hiſtoria. *nis expedienda. qua de re nos aliàs plura & exactiùs diſſerebamus. Duplex autem vitij genus in vniuerſum obſeruatur, tametſi vtrumque in varias*

Vitij genus duplex. *diducitur partes: vel enim in integritate rerum vitium notatur, vel in puritate naturæ. Nam quod à ſolido & ſano diſcrepat, vitium habere dicitur: item quod à naturæ ingenuitate alienũ quid admittit, vitioſum doloſumq́ue vocatur. Soliditas & ſanitas manuum tactu & ſenſu coniecturam ſui dare ſolet, imò & notitiam quoque. vnde ad ſenſum & ad tactum antiquiſsimi philoſophi, ac medici præſertim, naturæ veritatem examinandam reuocabant; quod quia communiſsimum examinis caput eſt, & nulli non peruium, verbi* BAHHAN *rationem præcipuè vendicauit. ſignificat verò* BAHHAN, *pondere, mole, tactu, vel pulſu tentare & examinare aliquid. Vnde*

Pollex. BOHHEN pollex *dictus, quòd in pulſu, tactu, ponderationeq́ue primas habeat partes. id quod medicis & cæcis manifeſtum eſt; illis venarum motum duobus digitis ac pollicis præſidio diſcernentibus, his verò pollicis vi & officio perſonas ac res contrectatas cognoſcere & agnoſcere aſſuetis. Ex hac autem ratione, bonus ille inter exteros auctor, magiſtrum de ſe examinando monens, aiebat:*

Perſ. Sat. 5. Pulſu dignoſcere cautus
Quid ſolidum crepet, & pictæ tectoria linguæ.

Duobus autem verbis mentis ſimplicitatem & probitatem Deo examinandam tradit, in eaq́ue petitione perſiſtit, BAHHAN *&* NAZZAH; *pro*

altero Latinus interpres noſter proba, *pro altero verò* tenta *reddit.* BAHHAN, *vti diximus, ea quæ patent, primùm reſpicit; & an quæ latent, pariter conſonent, indagat: vt quæ de pondere, mole, & ſoliditate adnotabamus.* NAZZAH *verò internam vim & virtutem, facultatem, & efficacitatem experimento comprobandam decernit: & plerumque à Latinis omnibus in* tentare *vertitur: vt,* Tentauit Deus Abraham. *&,* Egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies: vt tentem eum vtrùm ambulet in lege mea, an non. *Nonnumquam etiam* Probare *Latinus reponit.* Nolite timere: vt enim probaret vos venit Dominus, & vt terror illius eſſet in vobis. *&,* Regina Saba, audita fama Salomonis, in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus. *Igitur quod ad ſimplicitatem & ſoliditatem ſanitatemq́ue mentis attinet ſuæ, probari ſeu examinari ſe à Deo permittit, imò & petit, Vates noſter, intelligens videlicet, nihil adeò eſſe occultum & abſtruſum, quin ſenſu & pollice, vt ita loquamur, diuino non pulſetur & percipiatur. quare eodem verbo alibi dictus,* ſcrutans corda & renes Deus. *Nec verò ad abſolutam rerum examinationem & comprobationem ſoliditatis & ponderis obſeruatio ſatis eſt, nec ſi læuitas etiam accedat quæ abſolutum præſtare videatur opus; qualia in fabrefactis vaſis & arte conformatis inſpicere & contemplari ſolent homines: reliqua enim adhuc fuerit ingenuitatis exploratio, ad plenam operis & propoſito dignam iudicio ſpeciem, &, vt ille aiebat,* Nequa ſubærato mendoſum tinniat auro. *Verùm enimuerò huiuſmodi veri experientia nulla magis vel re vel arte in corporibus ſumitur, quàm ignis efficacia & virtute: qui aliena & ſordida in metallis ad ſcoriam excoquens, id quod purum reperit, ab impuris diremptum ſecernit fecibus; quod verò ſimplex omnino fuerit vel argentum vel aurum, periculo ſubito nitidius ac pulchrius relinquit. Duo autem de ſe & pro ſe propoſuerat Orator hic, quæ in ſuam cauſſam facere poſtulabat, ſimplicitatem ſanitatemq́ue mentis ingenuæ ac probæ, & fidem in Domino cum firmiſsima coniunctam ſpe: quas ita ſimul vnico nomine fidentiam dicimus. Vtramque partem, veritate ſua fretus, non modò iure & facto, ſed in ipſis etiam natiuis originibus, in ipſis fontibus diſcerni & examinari nō modò non recuſat, ſed poſcit & flagitat ipſe. id quod omni comprobationis modo & periculo peragendū offert, ſperans videlicet, cùm affectuum & voluntatis atque animæ, in hac parte quam allegat, ſuæ, tum verò conſiliorum cogitationumq́ue animi, quod ad fidem ſpemq́ue attinet, ingenuam compertum iri ſimplicitatem.* Vre renes meos; *in quibus affectus pullulant;* & cor meum, *deliberationum & conſiliorum præcipuam conclauem. Verbum* TSERVPHAH, *pro quo hîc* vre *legimus, aurificibus & argentariis atque æris fabris familiare eſt, & ad alias vel res vel artes per tranſlationē vſurpatur: Latinè* Cōflare *dicitur: Namque fuſio conflatione poſterior eſt, & illa ſola ad metallorum diſcretionem: id quod vbi peracta fuerit, illud compertū iri ſperat, quod de ſemet ipſe profitetur, nempe quod poſteriorem ſed præcipuā defenſionis partē ſuam ſpectat.*

Tentare. Gen. 22. Exod. 16. Ibid. 20. 3. Reg. 10. Deum nihil latere poteſt. Pſal. 7. Perſ. Satyr. 3. Ignis efficacia ad probationem. Fidentia.

3. Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt; & complacui in veritate tua.

Fidere & ſperare in Domino ſeſe prædixerat: fidei autem & ſpei fundamentum omne, diuinum promiſſum eſt, ex mera profectum atque editum 1. Iohan. 4. *bonitate ac miſericordia.* Non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. *Quamquam verò quæ pollicitus fuerit Deus,* Diuina promiſſa. *non omnia eueſtigio præſtentur; tamen vt ſuo tempore, cùm præſtari conuenit atque expedit, minimè fallant, ſimplicitatis ac veritatis diuinæ eſt.* Iſai. 55. *S. S. E.* Quomodo deſcendit imber & nix de cælo, & illuc vltrà non reuertitur, ſed inebriat terram, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meum, quod egreditur ex ore meo; non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud. *Semel itaque prolatum à Deo promiſſum, pœnitentiæ prorſus expers manet; idemq́ per fidem exceptum conſtanter expectari oportet, veritate demum & reapſe præſtandum.* Habac. 2. Quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo: iuſtus autem in fide ſua viuet. *Hac autem diuinæ veritatis conſtanti & firma fide atque ſpe animatum & inſtructum, ſuæ vitæ & conſuetudinis negotia rationesq́ omnes compoſitas comparatasq́ habere ſe ait, vt nequid ageretur, quod à diuinæ veritatis norma & conditione diſcreparet.* & complacuit] *Vitæ meæ conſilia, ſtudia, & operam omnem ad veritatis tuæ regulam, pactum, præſcriptumq́ direxi.* HITHHALACHTI, *reciprocum verbum, deliberatam & certā conſuetudinē ſignificās. Nam ſimplex* HALACH ambulare & cōſueſcere *eſt;* HITHHALACH *verò ſibi ipſi ambulationem* Heb. 11. In remuneratione aſpicientes quales. *vitæq́ conſuetudinem, veritatis diuinæ ergò, proponere & imperare: atque ita vnum ſe ex numero profitetur eorum, qui in remunerationem diuinam aſpicientes, nihil temeritatis aut iniuriæ & peruerſitatis admiſerit, vel fouerit, nihil boni & ſani & integri non optauerit, & quantum in ſe eſt, promouerit. Atque his in genere de vtraque ſuæ comprobationis ſiue confirmationis parte propoſitis, & poſteriore priùs aſſumpta, atque diuino examini (quod ingenuitatem fidei ſpectat) permiſſa, alteram, id eſt, priorem, de ſimplicitate vitæ & conſuetudinis tum publicæ tum familiaris, repetit, atque partitione tam rerum quàm perſonarū communit & amplificat. Du-* Vitæ genera. *plex autem genus vitæ atque morum in vniuerſum conſtat: vnum eorum hominum, qui latêre certi, ſibi tantùm ſecumq́ ſolitarij ac priuati degunt: alterum verò eorum, qui in communi hominum conſuetudine & ſocietate verſati, conſilia, & officia, atque acta & facta, negotia denique omnia, vel alij ab aliis ſuſcipiunt, vel alij aliis agenda ac tractanda partiuntur. quo in grege numerantur iudices, magiſtratus, principes, duces & reges, atque horum ſequeſtres & miniſtri, operæ aliis dandæ cauſſa delecti & conſtituti.*

ſtituti. Cùm autem varia hominum deprehendantur ingenia, varia ſtudia, ac placita, diuerſiq́ mores, neque omnium æquè probabilia reperiantur conſilia & facta; prudentiſſima ad ineundam & firmandam conſuetudinem ratio & expedientiſſimus fuerit modus, dilectu faciendo, ſuperuacaneos & inutiles atque illaudabiles, temerarios & nocentes reijcere; & eos, qui meliore ſunt mente, gnauos, agiles, cordatos, faciles, probos, & ſeueros, candidos, ſui contemptores, boni publici & alieni commodi ſtudioſos, ad familiarem conſuetudinem & ad ciuilia munia optare: id quod cùm omnibus magiſtratibus generatim, tum verò regibus & principibus ac ducibus perpetuæ & conſtanti curæ eſſe conueniet. in quorum collegio cùm ſe conſtitutum agnoſcat Vates, vtpote dux & rex à Deo creatus, quanta ſimplicitate, vigilantia, & voluntate, quanta diligentia ſimpliciſſimos quoſque, & vel domui ſuæ vel reipublicæ adminiſtrandæ idoneos conciliare & fouere ſtudeat, diſtinctionis hominum & ingeniorum atque diſcoloris vitæ aperto diſcrimine declarat & profitetur, initio partitionis ab illis, quos reijciendos & cauendos cenſeat, facto.

Vitæ conſuetudo cum quibus.

Ad ciuilia munia qui optandi.

4. Non ſedi cum concilio vanitatis: & cum iniqua gerentibus non introibo.

Simplicitati oppoſita vitia quadrifaria notantur: ex quibus duo ex defectu, duo verò ex effectu, improbitatis cenſuræ habentur obnoxia. ex defectu veritatis ac ſoliditatis damnantur nugacitas & fallacia; ſiue aſtutia ſiue mendacium illud vocetur. Qui otioſam vitam degunt, deſidiæ atque ignauiæ dediti, cùm omnino vacui eſſe non poſſint (animæ namque humanæ atque adeò viuentium omnium naturæ motum actionemq́ neceſſariò vendicant, &, vt ille docebat, ipſum viuere operari eſt) qui tamen ſeriis & honeſtis curis ac rebus non intenduntur animi, vel meris nugis, vel mendaciis occupantur, vel prauis & nocentibus impenduntur artibus. Priores illos, vt prorſus vanos, nugatores, ludis, fabulis, & ſpectaculis detentos, & attendentes, paluſtrémque lucem ranarum inſtar trahentes, numerum tantùm implentes, nihil præterea commodi vel commendationis humano generi adferentes, vt telluris inutile pondus, à ſe abalienatos ait Vates.

Vitiorum partitio.

Otij mala.

Ariſt.

Non ſedi] *Iſti enim habitu ignauo ac deſide notantur, ſeu ſoli agant, ſiue illi in apricis conſideant; nugis tantùm, vel iis colloquiis aut rebus dediti, quibus nihil ſit ſolidi vel boni.* Concilio vanitatis] METHEI SAVE, numeris vanitatis. *Hoc ſchemate ſiue hoc nomine* METHEI, *ſignificantur conuenticula, collegia coronæq́ hominum ad repentina ſpectacula concurrentium, & etiam exiguus quiſpiam ac facilè numerabilis grex; factio quoque & ſecta eodem vocari poteſt nomine: ſemper tamen cum poſſeſſiuo adiuncto. Quo primùm vſum Iacobum filios increpantem obſeruare eſt:* Odioſum feciſtis me Chananæis & Pherezæis habitatoribus terræ huius: VEANI MATHEI MIZZPAR: Ego autem MA- *Gen. 34.*

THEI numeri; *pro quo Latinus interpres,* Nos pauci ſumus. *Quod ſi vocabulum ad etyma ſolertius reuocemus, comperiemus profectò manifeſtam inter* MVTH *&* MATHEI *affinitatem; & cùm* MVTH mori *ſignificet,* MATHIM *integrum plurale nomen & abſolutum, ſiue* MATHEI *poſſeſſiuo coniunctum, idem quod apud Latinos* mortales, *valebit: atque ita quos* conſilium vanitatis, *interpres noſter nominat, explicationis atque etiam tapinoſeos cauſſa* mortales vanitatis, *interpretabimur, id eſt, qui tam viui quàm mortui cenſentur inutiles. quales ille ex Homero deſcribens breuiter & ſcitè depingebat.*

Horat. Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati,
Sponſi Penelopes, nebulones Alcinoíque,
In cute curanda plus æquo operata iuuentus;
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad ſtrepitum cytharæ ceſſatum ducere curas.

Iob 11. *Eadem prorſus formula Sophar apud Iobum vſus ait:* CHI HV IADAGH MATHEI SAVE; *pro quo Latinus noſter,* ipſe enim nouit hominum vanitatem. *ex verbo autem* ipſe enim nouit mortales vanitatis, *id eſt,* vanos, *ac* futiles mortales. *Primos itaque inutiles & vanos homines vaniſq; vacantes rebus & nugaces à ſe abalienatos ait, qui tamen minùs aliis nocentes minuſq; viuunt infeſti. His verò nequiores ſubiungit alios ſimulatores, vel diſſimulatores, bifronteſq; homines, à candore & ſimplicitate tantum diſcrepantes, quantum diſſimulatio probitate diſtat.*

Simulatores. Qui Curios ſimulant & Bacchanalia viuunt:
Rarus ſermo illis & magna libido tacendi,
Atque ſupercilio breuior coma.

Iſtorum cùm incerta ſit mens, & obſcura ſemper aut ambigua oratio, conſuetudo omnis anceps ac periculoſa eſt, numquamq; bene vertens aut cedens: quippe quorum conſilium propriis tantùm indulget commodis. hi etiam terram duabus viis ambulare dicuntur, iis, qui ſibi fidunt, cum primis infidi; quartamq; ſuſpectorum claſſem ſuo muniunt exemplo. Ecli. 2. Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis, & manibus malè facientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. *Hos poſtremos Vates ad vitandum ſibi notatos aptiſſimo vocabulo* NAGHALEMIM, abſconditos, *ſiue* occultos, *vocat: paſſiuo participio* GHALAM *facto, quod* abſcondere *&* occultare *ſignificat. vnde ſæculum, ſiue mundus iſte caducus & fluxus, quòd omnia mutet, inuertat, & abſcondat,* GHOLAM *vocatus.* Seculum. *huius autem farinæ homines, à conſuetudine, à mente, à voluntate ſua prorſus auerſos, ac ſibi omnino vitatos ait Vates, verbo vſus, quod velle, conſentire, congredi, & ambulare, vadereq; ſignificat. cui cùm negationem præponit, ſignificationem à ſe abnuit vniuerſam.* VEGHIM NAGHALEMIM LO ABO, & cum abſconditis non ibo nec volam. *Ita noſtri verſio interpretis,* & cum iniqua agentibus non introibo, *nobis explicatur. Gradatione porrò vſus, duas alias cateruas eorum hominum, quos præcipuè,*

tanquam

tanquam ſimplicitati ſuæ aduerſos, fugere ſe fatetur, ſubiungit: alteram malefactorum, qui vel aperta vi vel dolo ac fraude innocentibus & immeritis officiunt: alteram verò eorum, qui legum prætextu, aut callida iuris interpretatione, vel vafritie armati, vel gratia ac numeribus fiſi, iniuſtas lites mouent, aut ſuſtinent, atque defendunt; ſiue illi iudices, ſiue ipſæ ſint partes. Vtroſque autem regi principiq́; bono inuiſos eſſe oportet: id quod ſibi quoque declarat proprium atque antiquum Vates. Malefactores. Calumniatores.

5. Odiui eccleſiam malignantium: & cum impiis non ſedebo.

Malefactorum plerumque frequentior eſſe ſolet cætus: nec enim facilè ſingularis aut ſolitarius quiſpiam magna ſcelera indignaq́; facinora ſuſcipit, eadémue exequitur & promouet aduerſus alium vel alios, niſi ſociorum & complicum ſubſidio munitus & adiutus. dicuntur autem MERAGHIM *non qui ſemel ex errore aut repentina animi turbatione iniuriam vel malum fecerint damnúmue dederint, ſed qui prauo ſtudio & conſuetudine ac petulantia lædere alios gaudent; ideo vtrumque vocabulum* MERAGHIM *&* RESAGHIM *participij formam præferens, atque à literatis* THOAR, *id eſt formale dictum, morem, conſuetudinem, & ingenio par ſtudium notat & arguit.* Malignantes *itaque malefactores manifeſtarios, inſidiatores, & inuidentes, petulanteſq́; interpretamur, malæ mentis & mali animi homines: qui quamquam plures & frequentes fuerint, imò quò maiori numero, eò magis odio digni: tantum abeſt, vt vel re vel verbo aut ſuffragio vel alia ſint ope adiuuandi, ſed ne diſsimulandi etiam.* Odiui *(inquit)* eccleſiam] KAHAL cætum, collegium, collectionem, conuentumq́; *Latinè dicere eſt.* & cum RESAGHIM, impiis, improbis, *qui malas tuentur cauſſas, aut lites mouent iniquas, alieniſq́; hoc pacto inſidiantur commodis ac rebus,* non ſedebo] *conſuetudine, conſenſu, imò & colloquio, cum illis communicaturum negat: adeò vt nec eodem ſedere velit loco, ſiue iudicialiter, ſiue extra iudicium. namque ex loco, habitu, ſtatu, & ſimilibus circumſtantiis exceptis, voluntatis & aſſenſus atque rerum ipſarum conſequitur exceptio: ſuntq́; huiuſmodi formulæ poëtis familiares; vt,* Malignantes. Impij.

Vetabo qui Cereris ſacrum *Horat.*
Vulgarit arcanæ, ſub iiſdem
Sit trabibus, fragilemq́ue mecum
Soluat phaſelum.

Hæc verò quæ de ſimplicitate ſua profeſſus Vates, à conſortio & conſuetudine vanorum atque nocentum defendit aliena, publicè obteſtari atque ſolemni ritu coram ſacris altaribus declarare ſe poſſe atque velle ait.

 6. Laua-

6. Lauabo inter innocentes manus meas; & circumdabo altare tuum Domine.

Pij hominis mores & mens.

Iacob. 1.

Improbanda quorumdam hominum ſtudia & facta cùm moribus & conſiliis exceperit ſuis, quibuſnam artibus, inſtitutis, & modis ipſe viuere optarit ac tendat, quibus feratur perpetuò votis, eueſtigio declarat; iis videlicet, quæ fidelem, liberum, ingenuum, atque pium decent hominem; quorum ſumma eſt, immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo, & ſenſum, mentem, animumq́; in diuinis ſacroſanctiſq́; myſteriis tum audiendis, tum narrandis & celebrandis continuò exercere; ſacram viſere & frequentare ædem, ibidemq́; & vbique mala & impura deprecari acta & flagitia, & veniam pro erratis poſcere, atque integritatem optare & vouere illam, quam Deus in æternæ ac ſummæ felicitatis pignus piis ſui cultoribus demum ſuffecturum ſe pollicitus eſt. Lauabo inter innocentes] ARHHOTS BENEKIVN. Lauabo in puritate palmas meas.

Orantium habitus.

Orantium & poſcentium antiquus habitus & frequens, fuere ſupinæ cælum verſus manuum palmæ, quibus petitorum beneficiorum cupiditas & expectatio quódammodo indicabatur: interdum etiam aræ aut hoſtiæ aut vtriuſque contactus, cum certa communionis & amicitiæ ſignificatione, poteſtate quoque & auctoritate atque vice ſui ipſius ei victimæ, quæ tangebatur, conceſſa. Hæc ſanctè vt agerentur, innocentia cum primis legitimè exigebatur. qua requiſita, non ſolùm litandi & impetrandi ſpem irritam euadere, ſed etiam iram diuinam prouocari non ſemel reſponſum fuit.

Hoſtiæ cõtactus.

Iſai. 1.

Cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum ab oculis meis: quieſcite agere peruersè, diſcite bene facere, & venite, & arguite me, dicit Dominus.

Manuum lotio ante ſacrificiũ.

Hinc ille ritus lauandi manus, ſacrificantibus & munera offerentibus atque vouentibus vſitatus; non qui mera abſolueretur ceremonia, ſed qui animi & ſtudij puritatem profiteretur internam. Hunc itaque ritum non de more tantùm, ſed ex moribus ac vero ſe vſurpare ſolere Vates ait, & certo ſtudio ſacra frequentare, atque iis rebus & actionibus vacare, quæ fideli ac pio ſalutiſq́; ſuæ amatore & curatore dignæ habentur. Circumdabo altare tuum Domine, IEHVEH,

Sacrorum frequentatio.

benigniſſime & humanæ ſalutis auctor vnice. Nec verò ſacrorum frequentationem vulgarem ſibi, ac ſine ſenſu vel ad imperitæ multitudinis inſtar ſuſcipi, ſed in eum vſum, in quem inſtitutam lege & ſanctorum patrum exemplis monſtratam nouit.

7. Vt audiam vocem laudis, & enarrem vniuerſa mirabilia tua.

Atqui hæc vera conuentus & celebritatum atque frequentiæ in templo cauſſa, hoc & vnicum commeantium illuc à Vate ſignificatur negotium, vt videlicet,

videlicet, quæ illic de diuinis canuntur laudibus, attentè, ſtudioſè, & cum mente audiantur, & quæ vnuſquiſque aſtantium de diuinis beneficiis & mirabilibus factis nouit & credit, pro muneris & officij ſui ratione ac vice narret & commemoret. Vt audiam, LISMOAGH, ad audiendum, BEKOL THODAH, in voce confeſſionis. *Ex beneficio accepto profecta laus* THODAH *vocatur; quam interpres noſter* confeſſionem *ſæpe aliàs nominat. Eſt igitur hoc loco laus diuinorum beneficiorum tam publicè quàm priuatè acceptorum gratulatio: quæ ex cantoribus Leuitis & Sacerdotibus quotidie communiter, & ſingulariter ſtatis diebus, in ſancto audiebatur. legebantur præterea hiſtoriarum certa dictata, pro ſabbati atque feſti ratione: quibus admiranda Dei facta & opera ab initio vſque conditi orbis ad vſque promiſſorum veritatem in regione Chananæorum præſtitam commemorabantur, cum certa ſignificatione redemptionis publicæ quondam promiſſæ & expectatæ, & iam nunc per Chriſtum expeditæ. Quo in argumento Dauid ſuam quoque libens & gaudens profeſſus eſt operam: quippe qui bonam Pſalmorum, quos condidit, partem, in iiſdem ipſis mirabilibus Dei, tam quæ naturam rerum quàm quæ hominum ſpectant ſalutem, celebrandis, explicandis, & oratione ornandis ponit. quæ verò deſcripſerat carmina, cantoribus dictare ac tradere ſolet recitanda & canenda.* & vt narrem vniuerſa mirabilia tua. *Atque hanc ſibi occupationem piam, ſanctam, cumprimiſq; duci iucundiſſimam ait, vt qui laborum & ærumnarum atque negotiorum, quæ mortalis hæc vita fert hominibus, præſertim in publica re gerenda detentis, nullum æquè ſuaue, gratum, amabileq; leuamen experiatur, quàm ſacri templi frequentationem atque inhabitantis Domini adorationem, & gratiæ, opis, fideiq; petitionem & implorationem, cum ſumma (vt identidem repetit) ſimplicitate & immunitate malitiæq; deteſtatione.*

Confeſſio.

In templo quæ canere & recitare ſolerent.

8. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Tabernaculi ſacri materiam, opus, pulchritudinem, apparatus, & cætera, quæ deſcribuntur in lege, ornamenta, aſpectu & contemplatione iucundiſſima extitiſſe, nemo qui attentè ac diſtinctè animo luſtrauerit, ignorat: verùm enimuerò longè elegantiora, atque cognitu & admiratione digniora putabit, quiſquis in illis humanam intellexerit ſignificari naturam, propriæ ſedi atque habitationi Dei deſtinatam. cui veritati ſummæ & pulcherrimæ, moles illa ſenſibus obiecta, tanquam rudis imago & melioris exemplaris cæleſtis terreſtre & elementare exemplum, concordabat: de qua præſcriptum & imperatum Moſi legimus: Inſpice, & fac ſecundùm exemplar quod monſtratum eſt tibi in monte. *Tanti igitur myſterij, pro temporis illius ratione & ſtudij ſui modo, non ignarus Vates, in frequentando celebrandoq; ſacro loco multus erat. idq; cumprimis in vita amabat,*

Tabernaculi pulchritudo.

Tabernaculi ſacri myſteriũ.

Exod. 25.

verſari

verſari in ea parte, quæ tam ſpecie ſui, quàm lectionum, hymnorum, canticorum, & ſacrificiorum ac cæterorũ rituum, quibus illic vacabatur, auditu & aſpectu, communis hominum ſalutis, atque ſuæ inter cæteros non indignos, fide, ſpe, & voto, ac petitione inſtructus identidem reficeretur. Domine, IEHVEH, *miſericors felicitatis auctor,* dilexi, *non ex conſuetudine vel ieiuna imitatione, aut cæleſtium inani ſenſu, ſed ex mero amore, vtpote bonum & vtile atque ſanctum petere ſoleo.* Decorem domus tuæ] MAGHON receptaculum *Latinè dici poteſt, qualia leonum & ſerpentum tuta latibula ſiue antra ſunt (namque & illa hoc vocantur nomine) Deus autem quamquam cuncta luſtret, perambulet, atque impleat, proprium tamen habet locum, quò ſe recipit, in quo ſingulari & admirabili modo quieſcit, id eſt, humanum animum: quem quia tabernaculum antiquum, deinde fanum illud Ieroſolymitanum ſignificabat, ſingulari etiam quoad tempus tulit ornabat ac tutabatur prouidentia; certis etiam ritibus, moribus, & exceptionibus expiandum curabat, non admiſsis ad ſacrificia rebus quæ ex manifeſta iniuria vel impuritate peterentur, neque perſonis manifeſto notatis corporis vitio ad miniſterium cooptatis; denique mali ac publici exempli hominibus à communione ſacrorum & à templi aditu excluſis: atque iſtis omnibus ad ſignificationis arcanum reuocatis.* & locum habitationis gloriæ tuæ] MESCHAN, tabernaculum *aliàs vertit interpres. nomen factum à* SACHAN, *quod eſt* verſari, commorari, habitare. *Tabernaculum verò illud in imagine verorum fabrefactum ſanctorum, ſimulatque erectum ac ritè dicatum fuit, quemadmodum Deus viſibili probarit ſigno legimus.* Operuit nubes tabernaculum teſtimonij, & gloria Domini impleuit illud. Nec poterat Moyſes ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maieſtate Domini coruſcante: quia cuncta nubes operuerat. Si quando nubes tabernaculum deſerebat, proficiſcebantur filij Iſrael per turmas ſuas: ſi pendebat deſuper, manebant in eodem loco. Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo; & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Iſraël per cunctas manſiones ſuas. *Hunc diuinæ maieſtati ſingulariter dicatum, gratum, fotum, atque ornatum locum, ſibi impensè amatum Dauid aſſeuerat. id quod non tantum ex ſpectabili opere, quantum ex ſignificato illi placuiſſe intelligimus. Nam quamuis nubes illa & lux, quæ humanis conſpiciebantur oculis, gloria Domini ex imagine vocetur; res tamen ea cuius vel viſibilis imago admiranda fuit, id eſt, lux quæ in tenebris lucens à tenebris incomprehenſa manet, vera, pura, & mera, exornatiſsimaq; dicitur gloria; de qua ſic teſtatur Apoſtolus:* Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu. *A cuius gloriæ communicandæ beneficio & vſura, impuri, malefici, maledici, & contaminati omnes excluſi arcentur:* Beati qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine Agni, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuita-

Locorum ſacrorum frequentatio.

Diuinæ quieti dicatus locus.

Templi ſanctitas.

Tabernaculi probatio. *Exod.*40.

2. *Cor.* 3.

A gloriæ communione excluſi. *Apocal.*22.

ciuitatem. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. *A quorum forma & ſenſu ſe prorſus vt animo & ſimplicitate abhorrentem, ita etiam diuino præſidio, patrocinio, & iudicio immunem ſiſti & conſeruari, Vates orat & poſcit noſter.*

9. Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam.

Ab eorum numero & grege excipi ac ſeponi ſeſe precatur, qui ſtudioſè & cupidè libenterq́ peccare conſueuerunt: cuius interpretationis argumento duo ſunt nomina NEPHES *&* HHATAIM, anima & peccatores: *Namque nomen* NEPHES *animæ portio dicitur, in qua appetitus & affectuum turba verſatur, atque voluptas domicilium vendicat;* HHATAIM *verò dicuntur, qui conſultò & contumaciter errant: in quorum via pius vir ſtare negatur. Errare poſſe, hominis eſt; animam, id eſt, appetitionem, errori impendere, in eoq́ delectari, perditorum eſt. Poſcit itaque Vates, ne ſua ipſius anima inter eos, qui peccare auent & gaudent, cenſeatur. namque iſtiuſmodi tamquam profani à ſpiritualium arcanorum communione legitimè arcentur.* Ne perdas] AL THAAZZOPH, ne adgregato. *Namque* AZZAPH adgregare, adnumerare, colligere, *&* ad partes traducere *ſignificat. vt,* Mortuus eſt [Abraham] in ſenectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum: congregatuſque eſt ad populum ſuum. *Et illud,* Non poſſumus, donec omnia pecora congregentur. *vtrobique verbum idem* AZZAPH. *Ab iſtorum itaque nota, quibus leuis atque adeò iucunda peccandi conſuetudo eſt, excipi ac ſeponi ſe precatur Vates; & more ſuo à minoribus ad maiora argumentatus, à nocentum & iniurioſorum ex vi vel fraude viuentum participatione liberum prorſusq́ alienum duci & æſtimari poſtulat; ita vt coniunctio, &, vel ad comparationem vel ad illationem reuocanda ſit:* Et à viris ſanguinum, *nedum* à viris ſanguinum: *vel, atque adeò* à viris ſanguinum vitam meam. *Ne vt illi ex ſanguinibus viuunt, & vitam ſceleris precio ac mercede alunt ſuam, meam vitam eiuſdem conditionis vel haberi vel eſſe permittito. Quos autem* viros ſanguinum *nominet, deſcribenda explicat formula.*

Anima. Peccatores. Gen. 25. Ibid. 29. Viri ſanguinum.

10. In quorum manibus iniquitates ſunt: dextera eorum repleta eſt muneribus.

Duo præcipuè nocentium greges in hac deprecatione notantur vt ſceleſti & humanæ ſocietati peſtiferi & infeſti, malè patratorum videlicet, & male lucratorum. Malepatratores vocamus, eos qui deliberatum peragunt facinus. id quod ex Salomonis definitione pronuntiare licet, Qui

Nocentes. Malepatratores. Prou. 24.

 cogitat

cogitat mala facere, MEZAMEH vocabitur. *Eſt autem* MEZAMEH *qui facit* ZIMAH, *id eſt facinus in alterius incommodum admiſſum; qualia adulteria, furta, homicidia, latrocinia, calumniæ, inceſtus. hæc enim omnia & his affinia vbi conſultò ſuſcipiuntur, ac data opera admittuntur,* ZIMAH *vocari ſacrarum legum peritis cumprimis conſtat, ſimilia vetita*
Leuit. 19. *non ignorantibus*. Ne proſtituas filiam tuam; ne contaminetur terra,
Piaculum. & impleatur ZIMAH. *Latinus reddidit* piaculo. Qui ſupra vxorem
Ibid. 20. filiam, duxerit matrem eius, ZIMAH operatus eſt: viuus ardebit
Ibid. 18. cum eis. Turpitudinem vxoris tuæ & filiæ eius non reuelabis: filiam filiæ eius & filiam filij illius non ſumes, vt reueles ignominiam eius:
Deut. 19. quia caro illius ſunt, & talis coitus ZIMAH *eſt*. *Et illud*, Cùm diligentiſſimè perſcrutantes [ſacerdotes & iudices] inuenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddent ei ſicut ZAMAM, deliberatè cogitauit facere fratri ſuo: & auferes malum de medio tui.
Prou. 24. *Et* ZIMAH cogitatio ſtulti, peccatum, *id eſt, quidquid ſtultus deliberat, peccatum eſt. Atque iſtiuſmodi alterum ſanguinariorum hominum*
Malelucratores. *vocari licet gregem. Alter verò iudicum atque teſtium eſt, qui muneribus corrupti malorum cauſſas inuertunt: quòd enim illi impunè graſſentur & maleficiis operiantur, ideóque terra reſpublicáque laboret infamia, atque Deo reddatur inuiſa, in cauſſa illi malè faciendo, iſti verò perperam accipiendo in culpa ſunt: quorum manus occupata ac plena donis, maleficum & impro-*
Prou. 17. *bum nequit comprehendere. S. S. E.* Munera de ſinu impius accipit, vt peruertat ſemitas iudicij. *in exemplari legere eſt*, SAHHAD MEHHEIK RESA CHIVTAL. munus de ſinu improbi accipi ſolet, vt
Ibid. 21. peruertat, *&c. Et apud eundem*, Munus abſconditum extinguit iras: & SOHHAD donum in ſinu *improbi*, indignationem maximam *iudicis. contrà verò* gaudium iuſto eſt facere iudicium, *idemque* pauor operantibus iniquitatem. *Igitur vt à priuatorum malefactorum atque ab improborum moribus, ſeſe etiam vt priuatum hominem, ſeparari ac ſiſti immunem popoſcerat Vates noſter; ita hîc vt rex, iudex, & publicus miniſter, illorum deprecatur notam & culpam, qui quacumque conſultò nocent, ſiue ſcelera vltro ac deliberato animo patrantes, ſiue propter munera diſſimulantes minimeque vlciſcentes.* In quorum manibus iniquitates, *non ſolùm conſilio & voluntate nocere cogitantium, ſed facto nocentium* manibus. *aliorum verò non minùs quàm illi cruentorum*, dextera eorum repleta eſt muneribus. *Vtriſque autem ita viuentibus & exercitatis atque aſſuetis, diuinarum communicatio rerum legitimè ac meritò negabitur: ſecus verò innocentibus manu, atque animo integris & probis; quos erratorum pœnitentia ac veniæ ſpes, ſancta loca adire, & miſericordiam poſcere, & impetrandam credere commonent, & publicæ gratulationis pro venia vouere votum iubent.*

11. Ego

11. Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum : redime me, & miſerere mei.

Conditionem ſortemq́; ſuam probitate & integritate ſe perpetuò proponit & profitetur ſeruaturum ; ceterùm non ideo iuſtum vocandum, quippe qui redemptione & miſericordia Domini ſe indigere ſcit & confitetur . idq́; à Deo impetrare ſtudet & orat, vt videlicet à veteris hominis pondere & labore liber & refectus, nuſquamq́; à veritatis , iuſtitiæ, & ſanctitatis aberrans via, diuinæ virtutis & efficacitatis beneficia expertus , publicè teſtari & gratulari valeat. In innocentia mea ingreſſus ſum; BETHVMI ELECH, in ſimplicitate mea ambulabo, *viuam, verſabor, & agam. futurum pro perpetuo.*

12. Pes meus ſtetit in directo : in eccleſiis benedicam te Domine.

Votorum ſummam ſuorum in Pſalmi calce exponens, fauſtam, ratam, certamq́; peroptat. Vtitur autem præterito pro optatiuo & conditionali modis : quibus cùm careat ſancta lingua, tempora indicatiui cum conuenienti affectu ac præcipuè cum fide vſurpare ſolet ; præterito autem certitudo tribuitur. Quando, inquit, pes meus in directo ſteterit , *tum verò non ſolùm in templo vel in tabernaculo iſto , quò nunc hæc oraturus venio , ſed vbique paßim publicè ac palàm gratulabundus inter frequentes cateruas laudibus vacabo tuis ,* Domine , IEHVEH, *maximi illius mihi beneficij auctor prædicande . Concordat cum voto illo alibi nuncupato :* Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſiui. *Votum illic potiùs quàm teſtimonium intelligimus :* Quando mandata tua exquiſiuerim, ambulabo in latitudine. *id quod aliàs idem explicat.* Tunc non confundar, cùm perſpexero in omnibus mandatis tuis . Stetit in directo] CHAMEDAH BEMISOR firmus in plano ſtetit . *Namque à* IÁSAR, *rectum eſſe , compoſitum* MISOR *locum planißimum & æquabilem atque læuem ſignificat , in quo nullum excipitur offenſionis periculum .* In eccleſiis] BEMEKAHALIM. KAHAL *pro congregatione , cætu , & eccleſia , ſæpißimè occurrit legentibus, & laudandis atque improbandis cætibus citra deſcrimen tribuitur . vt ,* Odiui eccleſiam malignantium. &, Confitebor tibi in eccleſia magna. *In hac verò forma,* MAKAHAL, *bis tantùm apud hunc Vatem obſeruatur , inſtar habens participij in coniugatione tertia , quæ efficaciam plerumque adſignificat : ita vt ſelectißimam eandemq́; probatißimam & ſtudioſißimam ſignificet concionem : hoc præcipuè loco vbi maſculinam obtinet formam,* KAHALIM: *namque in altero Pſalmo* MAKAHALOTH *fœmininum ſonat, non ſine myſterio vtribique . vt ,* In eccleſiis benedicite Deo Domino de fontibus Iſrael.

[Margin notes: Quibus verborum cõiugationis modis Hebræi careant. — *Pſal.* 118. — *Pſal.* 118. — *Pſal.* 25. — *Pſal.* 34. — Eccleſia. — מקהלות — *Pſal.* 67.]

IN PSALMVM XXVI.

D. FRANCISCO ARIÆ BOBADILLÆ, COMITI PVNNIROSTRI, PRÆFECTO HISPALENSIS CIVITATIS, MILITI FORTI AC DVCI STRENVO S.

QVòd tibi, corruptorum auaritiâ & fraude omni graſſantum hominum turbæ, ac præſertim redemptorum improbitati, ac cæteris ciuitatis iſtius malis mederi ſtudenti & ſatagenti, quorundam, quos ex munere & officio minimè decuit, ſeſe oppoſuerit inuidia, & negotiũ etiam per calũnias facere curauerit; nec mirum nec arduũ vſque adeò videri debet, vt propterea à propoſito deterrearis, vel ab inſtituto deſiſtas publici & cõmunis cõmodi efficaciſſimo opere. Scis enim humanam vitam omnem ferè

Bellorum cauſſæ.

militiæ habere inſtar, compluraque eſſe bellorum genera, quibus mortales alij ab aliis infeſtantur hominibus; omnium verò præcipuam cauſſam eſſe cupiditatem & libidinem, duas

Iacobi 2. Bella gerẽtium turba duplex.

auaritiæ turpiſſimas proles: eorum autem qui bella gerunt duplicem eſſe turbam, alteram aperta vi, ferro, armiſque agentem, alios ſubiiciendi ac diripiendi animo & pertinaci communiq́ue ſtudio; alteram verò non tam hoſtibus quàm conciuibus & vicinis, atque etiam ſodalibus, imò & cognatis ac neceſſariis, per fraudem, iniquitatem, ſimulationes atque improbandæ induſtriæ arteis & commenta innumera, familiari re & pecunia exſpoliandis inhiantem. Vtrumque nocentiſſimum genus: verùm poſterius hoc tanto improbius & audacius magiſque pernicioſum, quanto minori graſſatur periculo; non vulneribus aut plagis, ſed legum atque iuris decretorumq́ue ſanctitate violanda, & periuriorum contemnenda religione: vbi hi pulſant, & ij cum quibus agitur, tantùm vapulant. In quo illud

extremæ

extremæ nequitiæ ac deteſtabilis iniuriæ & improbitatis cenſendum, ſi qui malum ac damnũ innocentioribus ac tantummodo pati coactis moliuntur, magiſtratuum aut procerum & potentiorum, quorum vindicare intererat, præſidio potiùs ac patrocinio nitantur, & certa recipiantur tutela: certiſſimum enim hoc indicium prouocatæ nimium atque iam inſtantis iræ Dei, cùm nemine ordinem ſeruante ſuum, nec officium legitimè faciente, verè illud commemorari licet; *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* Gen. 6. Neque vllum profectò grauius ac nocentius ciuile dici poteſt bellum, quàm quod ex auaritia ortum, per fraudes geritur; & quocumque reipub. vtilitatis prætextu, tamen priuato ex commodo, per magiſtratus auctoritatem fouetur. Vtramque enim partem, tam fraudulentorum, quàm fraudem fouentium, aperto Dei damnatam reſponſo, niſi legitima intercedat & excipiat correctio, in diras incidere neceſſe eſt. *Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij?* Iſai. 1. *iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: vinum tuum miſtum eſt aqua. Principes tui infideles, ſocij furum: Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non iudicant; & cauſſa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Iſraël: Heu, conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Id ne in ciuitatem iſtam tibi ad regendum commiſſam eueniat, quantum potes tu, ſtrenue aliàs dux, age & ſatage; atque talem in expugnandis & vindicandis auaritiæ fraudibus militem fortem, ductorem prudentem, inuictum bellatorem, ſtudioſum proborum tutorem, denique publicæ calamitatis procuratorem deprecatoremque te præbeto, qualis in hoſtibus vel pacandis vel fugandis & vincendis permulta antea & continua ſtipendia præſtitiſti. Propoſito, conſiliis, conatibuſque tuis, pij Regis & ſanctarum legum ſtudioſi aſſertoris gratia & auctoritas non deerit: præcipuè verò diuina propitiatio fauebit, pari mente atque ſtudio à te inuocata & ſolicitata, qua ab optimo paſtore, milite, duce, gubernatore, ac rege Dauide inuocari ac peti ſolet; tum perſæpe aliàs, tum ſingulariter in Pſalmo, *Dominus illuminatio mea.* Cuius tibi tenuem à nobis explicationem,

Pp 3 amanter

amanter & officioſè iam pridem rei à te geſtæ foris teſtes, & ſub eodem imperatore commilitones, à patriaque peregrini; nunc verò reipub. domi adminiſtrandæ arbitri & gratulatores, inſcribimus. Vale, ex Rupe noſtra apud Aracenam. Idib. Octobr. cIↃ.IↃ.XCVII.

ARGVMENTVM.

PRopoſitum ſuum de commiſſarum ſibi partium præſtanda fide atque integritate ſeruanda, inuidentia & calumniis multorum & potentia, ac potiùs tyrannide paucorum, peti, circumueniri, & interturbari ſentiens Dauid, vni diuinæ prouidentiæ atque iuſtitiæ commendat: cuius ope & auxilio ratum firmumq́ʒ euaſurum confidit: cùm præcipuè ſe non ſuam priuatè, ſed pietatis atque publicæ rei cauſſam curare profiteatur coram Deo: quem hac in actione ſibi propitium & tutorem, patronum, aſſertoremq́ʒ appellat; illiusq́ʒ vnici ac ſingularis voti ſui arbitrum citat. quo nihil optatius vnquam ſibi fuiſſe declarat, quàm ſecurum, tutum, & alacrem ſacroſanctam frequentare ædem, in eaq́ʒ perpetuò diuinis laudibus vacare & operam dare, commemoratione & gratulatione beneficiorum atque ſalutis & incolumitatis, ceterorumq́ʒ exemplorum miſericordiæ & benignitatis in ſe Dei: quibus pij & probi omnes edocti & inſtructi, ad fidem, virtutem, & pietatem ſtudioſè & conſtanter colendam admoneantur & animentur.

Pſalmus Dauid priuſquam liniretur.

1. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

MAximam, certiſſimam, & efficaciſſimam piis ac probis omnibus eſſe diuinam tutelam, ſuæ fidei, ſpei, atque incolumitatis etiam exemplo docet: qui cùm nihil in vitæ muneribus ex propria libidine vel ex humano conſilio egerit, ſed quidquid ſuſceperit ac tractauerit, luciſſima & clariſſima Domini voluntate & auctoritate occeperit; atque ita nihil aberrans ad ſalutarem felicemq́ʒ euaſerit exitum, nihil contrà inuidentum & maliuolorum peruerſitate, fraude, calumnia, ac potentia conficere ac perturbare valente: quippe cùm quæ ab aliis agebantur, omnia in tenebris & mera ignorationis & errorum atque malitiæ caligine, hoc eſt, in humanarum cupiditatum cæcitate, tractarentur & obuerſarentur; ſibi verò nihil præter luciſſimam Dei doctrinam vel cogitatum fuerit. Dominus, IEHVEH, *Benigniſſimus & amantiſſimus vnicuſq́ʒ verus & efficaciſſimus totius vitæ ductor & magiſter, ipſe eſt* illuminatio mea: *qui me ſibi obſequentem ex promiſſo & pacto ſeruandum ſuſceperit.* quem

timebo?

timebo? MIMI AIRAH, à quo metuam. *Ex quo enim relictis ouibus primùm ſe in hominum notitiam protulit Pſalmi huius auctor Dauid, immo & ex quo paternum ſeruare iuſſus eſt pecus, nihil vnquam cœpit, quod vel ex lucidiſſima fide non proficiſceretur, vel expreſſo Dei reſponſo, vel diligente mandatorum ac legis notitia & obſeruatione. quæ omnia cùm auctorem laudent Deum, rectè ac verè illa enunciantur orationis atque affirmationis formula;* Dominus illuminatio mea. *Prætendentis autem lucem Dei quiſquis partes fuerit ſecutus, idem inoffenſo pede ingreſſus, periculis atque ſalebris declinatis ac ſuperatis cunctis, promiſſæ ab eodem conferendæq́ ſalutis dubio procul euadet compos. S. S. E.* Si quis am- *Iohan.11.* bulauerit in die, non offendit; quia lucem huius mundi videt: ſi autem ambulauerit in nocte, offendit; quia lux non eſt in eo. *Huius autem optimi ſucceſſus eundem quem lucis auctorem, benigniſſimum Dominum propoſitiq́ tenaciſſimum & promiſſi fideliſſimum, ſibi atque ſui ſimilibus declarat, nominat, laudatq́ Vates.* Dominus, MAGHOZ, Pro- מעון tector vitæ meæ. MAGHOZ *enim vocatur firmiſſimus & inexpugnabilis locus, qui nulla tormentorum vi frangi aut commoueri turbaríue poteſt: qualem ad ſacrificium faciendum Gedeoni quondam indicabat angelus.* Et ædificabis altare Domino in ſummitate MAGHOZ petræ *Iud.6.* huius, ſuper quam antè ſacrificium poſuiſti. Dominum IEHVEH *cùm credat & experiatur munimen eſſe vitarum ſuarum, neminem præterea ſibi reſtare pauendum affirmat: Vitarum, inquam, namque in ſacra lingua* HAIAI *idem valet quod* geminæ vitæ *ſiue* duarum vitarum mea- חיי rum. *Iam inde ab illius linguæ inſtitutione prima, nomen hoc duali pro-* Hominis vitæ duæ. *nuntiatum numero, duplicem homini præcipuè tribuit vitam, ſublimeq́ aliàs myſterium communi etiam ſermone prodit.* A quo trepidabo] אפחד APAHHED, pauebo. *eodem verbo Deus animantibus cunctis terræ ho-* *Gen. 9.* *minis pauorem ſe immittere pronuntiauit, veluti præſtantioris naturæ & periculum creare valentis. atqui ſe Domini præſidio tutum, nullius potentioris vim de cætero formidaturum eſſe ait; id quod periculis iam identidem ſuperatis certo certiùs credenti ſibi conſtare declarat, argumento ex comparatione ducto. Nam quem hominem ſingularem, ſiue priuatum, ſiue potentem, pauebit, qui non ſemel ex frequenti hoſtium & inimicorum caterua, coniuncta manu & infeſto ſimul inuidenteq́ animo & rabie iecur incendente ſeſe petentium, variisq́ modis, artibus, dolis, ac multa vi perdere molitorum, ſaluus incolumisq́ vnius diuini præſidij virtute atque ope euaſerit? illis mentem, ferociam, prauitatem, conatumq́ tantummodo prodentibus, cæterùm irrito cõſilio, atque adeò mole malitiaq́ ſua pereuntibus.*

2. Dum appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas: qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt & ceciderunt.

Extremam animorum ſæuitiam & contumaciam ſummæq́ iniuriæ ſtudium

dium hæc oratio indicat, cùm inimicos non tantùm diripiendi aut occidendi ſed humana carne propter inimicitiam veſcendi propoſito & auiditate congregatos inuaſiſſe atque obſediſſe, oppreſſumq́ ſe vndique vallaſſe, ait. quo facinore nec inhumanius nec ferocius excogitari poteſt aliud, vt in alicuius inimici, nedum in complurium coniurata mente, pares ac ſimiles ira atque fames fuerint. quæ ſi quando in priuato quopiam notarentur, expiandi prodigij damnaretur infamia: in pluribus autem pariter ſpectatum nefas, diuinam communiter commeritum eſt vltionem. Verba ipſa ingentem ſignificant malitiam, ac tragicum ſpirant ſonitum. Dum appropiant] BEKAROB. *Ab iis, qui ad epulum accedunt, ſumpta eſt verbi tranſlatio. tanta videlicet alacritate, auiditate, & obſtinatione aduerſum me agebantur, vt ad paratum & expoſitum accedere viderentur epulum.* Super me] *tanquam in menſa aut patina poſitum; vnicum quidem ac ſingularem, ſimplicem, nihil in ipſos commeritum; ipſo itaque habitu ac geſtu auiditatem prodebant ſuam; animam verò & impulſum nomine ipſo notare eſt,* MERAGHIM, malefactores manifeſtarij; *quibus maxima voluptas maximo capitur ſcelere.* Vt edant carnes meas] *Amplificatio eſt immanitatis malæq́ mentis: vt illud,* Et citò rapturus de nobilitate comeſa, Quod ſuperet. *vt protinus me perdant quàm poſſint crudeliſſimè, quod ipſis gratiſſimi epuli inſtar ducebatur.* Qui tribulant me inimici mei] TSARAI VEOIBAI LI, anguſtiatores mei mihi. *Emphaſin habet illud,* mei mihi, *in me vnum & contra me vnum: nihil præterea appetentes quàm me perdi vnicum ab omnibus coniuncta manu. tamen eo ipſo incepto & conatu ſibi communiter ac ſingulariter, me nihil impellente vel dimicante, exitium ipſimet moliti ſunt; iiſdem, quibus me vallabant retibus & inſidiabantur foueis.* Ipſi, HEMAH ipſimet, infirmati ſunt, CHASALV præpediti ſunt, offenderunt. *Vnde* MICHSOL offendiculum. *vt illud,* Nec coram cæco pones offendiculum. *Leuit 19.* & ceciderunt, *tandem corruerunt. Tales omnium Dauidis inimicorum ſacras legentibus hiſtorias deprehenduntur exitus, tales etiam multoq́ grauiores Chriſti euangelij aduerſariorum omnium ſpectati quondam hodieq́ ſpectantur; tantùm ſpectatoribus ne deſint oculi. Igitur ex coniuncta multorum inimicorum vi, collata fiducia & compari mente fruſtra aduerſum ſe coniuratorum, certis iam ſuperatis exemplis; non modò ſingularem quempiam ſibi minimè pertimeſcendum credit & aſſeuerat Vates, ſed neque integros hoſtium exercitus quamuis inſtructiſſimos & impetu iam facto imminentes, tamen eodem, quo vſus eſt, diuino præſidio fultus nihil prorſus trepidaturum ſe ait.*

Inimicorum Dauidis, & Chriſti, exitus.

3. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.

Solidam conſtantemq́ fide mentem ſuam, quamquam ſingularis viri, nullis

nullis viribus, nullis humanis apparatibus, nullis conſiliis & artibus, quaſſum, dimotum, aut labefactatum iri ait: imò eò magis confirmatum, quò præſentiori ſe in periculo ac maiori poſitum viderit; nempe intelligentem, in ipſo periculo ac diſcrimine præſentiſsimum eſſe Deum ſuæ cauſſæ atque rei, quæ ſola ſibi agitur, propugnatorem & aſſertorem. Si conſiſtant aduerſum me] IM THAHHANEH GHALAI MAHHANEH. Si caſtra metentur aduerſum & circum me caſtra. non timebit cor meum. *intrepidum quippe diuina perſiſtet fide. Nam timor & trepidatio futuri inſtantíſue mali eſt: quo corda primùm pulſata, vel in varias diſtrahuntur curas, vel animo deſpondent. Nihil horum noſtrum turbabit cor; quin etſi iam magno me adoriantur & petant impetu, me inquam ſolum,* in hoc ego ſperabo: BOTEAHH, fidens, firmus ac ſecurus. *hoc ſignificat participium præſens verbi* BATAHH. *præſente, immoto & ſecuro ſum animo, inſtar eorum, qui fulgura, tonitrua, & procellas impauidi ſpectant, audiunt, ac ferunt. Duobus autem præcipuè fundamentis fiduciam ſuam inniti declarat, altero præſentis Dei fide, quam iam profeſſus eſt, & ſimplicitate innocentiaq́ſ ſua votorumq́ſ ſumma probitate ac religione: quippe qui nullius alterius rebus inuideat, nec ambitione feratur, tantumq́ſ pacem atque otium tempuſq́ſ expetat, quod vni pietatis ac diuinarum laudum ſtudio & negotio impendat.* Timor.

4. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: vt videam voluntatem Domini, & viſitem templum eius.

Votum ſuum cumprimis pium, iuſtum, ac nulli hominum inuidendum vel improbandum exponit, ſibiq́ſ numquam pœnitendum & vrgendum ait; vtpote qui nemini vel curam ſui imponere aut commendare vmquam curauerit, ſed cum Domino ſibi agendum propoſuerit; à quo ſecuritatem, opportunitatem, & facultatem popoſcerit, atque adeò ſemper in poſterum ſit quæſiturus, adeundi videlicet ac frequentandi ſacratam Domini ædem, idq́ſ perpetuò per totam vitam ſingulis diebus agendi, quòd nulla dies argumentis diuinarum laudum vacet: demum vt hoc ſemper delectatus ſtudio, myſteriorum ratione indies inſtructior, veritate tandem ex eiuſdem Domini munere fruatur. Vnam petij] *Sancta lingua fœmininum nomen vſurpat pari commodo atque Græcus Latinuſq́ſ ſermo neutrum.* Vnam petij, SAALTHI, optaui. *namque in optione, verbi huius frequens eſt vſus: vt,* Poſtula à me, & dabo tibi gentes. SEAL MIMENI. *optionem cura, & proſecutio conſequitur. nam optare multorum eſt, optata ritè & conſtanter perſequi paucorum. Ego verò Dauid optaui, nec optare deſinam:* vt inhabitem, SABTHI, ſedere me, in domo Domini, *non temerè, nec tumultuariè, ſed ſeriò & quietè atque attentè agere; idq́ſ non ſine ſenſu, ſed contemplaturus pulchritudinem illam & concinnitatem ſuauiſsi-* Fœminina pro neutris. Pſal. 2.

uiſsi-

uiſsimam partium ac totius ædis, magnorum ſignificantiſsimam arcanorum. Vt videam] LAHHAZOTH, *animo magis atque attentiùs & propiùs, quàm corporis oculis proſpicere & perſpicere ſignificat verbum. ex quo illud* HHAZON IESAGHIAHV Viſio Iſaiæ. Voluntatem] BENOGHAM in pulchritudine & ſuauitate. *Suſpicari nobis liceat Latinum verbum à ſcribis immutatum (id quod ſæpe aliàs ſanctus notat Hieronymus) & pro* voluptatem, *quod patuit ab interprete ſcribi, repoſitum* voluntatem, *affinis literaturæ alluſione. Quæ enim par animo pio voluptas eſſe poteſt, quàm diuinorum myſteriorum certa & exacta cognitio & efficax comprehenſio, concinnitatiſq; illius, quam ſacri tabernaculi partes, ornatus, ritus & apparatus omnes adumbrant: Veteris enim legis antiquorumq; ſæculorum ſummam hiſtoriam, rationem, facultatem, atque vſuram, tota illa continet imago; & promiſſæ ſalutis portendit veritatem, incomparabilemq; felicitatis efficaciam. Siquidem dum peruerſitas, malitia, & importuna veri ignorantia, inter homines graſſarentur, ſub legis tutela, doctrina, atque cuſtodia, latêre humanum genus potuit, quoad victoriæ tempus extitit; quo po ta & collocata in Sione rupes, fidelibus cunctis in diuino latentibus præſidio ſaluti ac victoriæ fuit. Magnum arcanum, ſed quod modò pluribus aperiri commentationibus inſtituti operis modus non ferat: ſatis autem fuerit, magnæ ſibi vtilitati atque tutelæ eſſe tabernaculum aduerſis temporibus à Vate ſignificatum, plenamq; deinceps cum victoria & amplificatione promiſſam expectari ſalutem.*

Iſai. 1.

Sacri tabernaculi ſignificatio.

5. Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo: in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui: in petra exaltauit me.

Hactenus verſus integer; cuius enarrandi hiſtoria illa vera tum fuit, eademq; in poſterum plena myſterio, quando venit Dauid in Nobe ad Achimelech ſacerdotem, & obſtupuit Achimelech eò quòd veniſſet Dauid, *&c. Apertiſsima namque diuinæ erga ſe tutelæ argumenta ex eo etiam tempore Dauid obſeruauit, quo incolumis primùm ſacro receptus tabernaculo atque ad ſancti panis communionem admiſſus, deinde Goliathi gladio cum ſacerdotis elogio redonatus, ad patientiæ, continentiæ, fortitudinis, fidei atque ſpei exercitationem dimiſſus fuit. id quod probè intelligens ipſe nunc, quod hiſtoriam attinet, agnoſcit & confitetur: ſignumq; ſibi fuiſſe ait expectandæ in poſterum ſalutis, quietis, & ſecuritatis:* Quoniam abſcondit me] IETSAPENENI, latêre me fecit. *Fugatum atque inimicorum maleuola rabie ſectatum, in tabernaculo ſuo me exceptum tutatus eſt: namque* TSAPHAN occultare, ſeruare, ac tutari, ſeponereq; *ſignificat: Vnde animali* TSAPHAN *factum nomen, cuniculo apud nos vocato. Non enim ſecùs ille ab inuidis & calumniatoribus vexabatur, quàm à venatoribus & aucupibus præda. id quod*

1. Reg. 21.

Coniculus.

ſentiens

ſentiens regi obijciebat, imò & iure exprobrabat : Et nunc non effundatur ſanguis meus in terram coram Domino : quia egreſſus eſt rex Iſraël, vt quærat pulicem vnum, ſicut perſequitur perdix in montibus. *Illam verò tempeſtatem* IOM RAGHAH, diem malam, *ſiue* diem malorum, *nominat. quam in eadem illa ſui defenſione indicabat.* Si Dominus incitat te aduerſum me, odoretur ſacrificium : ſi autem filij hominum, maledicti ſunt in conſpectu Domini : qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hereditate Domini, dicentes ; Vade, ſerui Diis alienis. *Illud* Hodie *à ſe tunc temporis indicatum, nunc* diem malorum *ſiue* malam diem *vocat.* In abſcondito tabernaculi ſui] *vbi numquam illum receptum comperiſſet Saul, niſi vnus Doeg Idumæus prodidiſſet.* Vidi, *inquit*, filium Iſai in Nobe apud Achimelech filium Achitob ſacerdotem : qui conſuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei : ſed & gladium Goliath Philiſthæi dedit illi. *Eundem itaque Dominum, quem temporibus illis tutorem & receptorem habuit, ſalutis, victoriæ, & ſecuritatis firmæ ac perpetuæ ſe habiturum ſperat auctorem.* In petra exaltauit me] IERVMEMENI. extollet me. *Futurum verbum certam rem credenti promittit, quam præterito noſter interpres affirmat etiam : id quod ad perfectam, ſperatam referimus felicitatem & amplificationem. Quod verò ad præſentis tempeſtatis labores & ab aduerſariis intentata pericula facit, ſe nunc etiam liberatum iri ſperat ; atque idem beneficium ſacro in loco publica confeſſione gratulaturum vouet :* 1. Reg. 26. Ibid. Ibid. 22.

6. Et nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos : circuiui & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis : cantabo, & pſalmum dicam Domino.

Huius verſus iam ſuperiùs explicata ſententia, verborum breuiter habenda eſt ratio. Coniunctio ET *certitudinis atque aſſeuerationis vim hoc loco obtinet, cum illationis etiam ſenſu; valetq; apud Latinos* ita, igitur. Nunc] *cùm ab inimicis vndique obſideretur, hæc dicebat, ſperans videlicet & vouens liberatum ſe & incolumem ſacram ædem identidem reuiſurum, atque dicatis carminibus Dei beneficia celebraturum. quæ omnia futuri temporis pronuntiantur verbis ; ab interprete autem noſtro partim vt habent, partim verò præterito redduntur, quòd tempus illud certiſſimum apud Latinos habeatur.* Exaltauit] IARVM, exaltabit. Circuiui] *paſſiuè exponendum,* à quibus circumdatus ſum. ZZEBIBOTHAI, circumdantes mei, *ſiue* circuitus mei : *quem ego ſuſtineo circuitum.* & immolaui in tabernaculo eius] VEOBEATHA BEOHELO, & deferam *ſiue* offeram in tabernaculo eius, ZIBHHEI THERVGHAH. ſacrificia clangoris : *qualia in ſupplicationibus & gratulationibus offerri ſolent, certo buccinarum concelebrata ſono, modo, atque ritu procul etiam audientibus dignoſcendo, eodemq; in legitimis cere-* ET coniunctio.

moniis definito. quem etiam ſibi cantu ac voce diuinas laudes reſonante atque exponente alternatim ſociandum eſſe ait. Cantabo & pſalmum dicam Domino. *id verò votum vt ratum certumq́ ſit, piè, ſtudioſè, atque inſtanter precatur.*

7. Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te: miſerere mei & exaudi me.

Id quod apud Deum ſine vlla partitione fit (apud quem ſumma eſt ſimplicitas) naturæ ordine diſtinctum poſcitur: prima enim eſt attentio, quæ aurium præſtatur officio; deinde clamantis vox, quam affectus concitatus & motus eueſtigio ſequatur: affectum verò miſericordiæ ſiue gratiæ exoratio conſequitur. Qua clamaui ad te] AEKRA, clamabo. Miſerere mei] HHANENI, miſeretor mei, *gratioſumq́ me efficito, rerum mearum ſpectator integer & benignus, atque clamoris mei auditor attentus.* & exaudi me] GHONENI. *concedendo atque indulgendo audire, ac verbis vel facto reſpondere, ſignificat verbum* GHANAH. עָנָה *Precationis verò ſuæ gratiam, & boni euentus conceptam ſpem, ex veritate, ſimplicitate, atque certa pietate ac fide commendat: item etiam ex honeſtate petitionis, vt qui verè & ex animo id in votis habeat identidem ſancta reuiſere, cum Deo, de Deo, de diuiniſq́ agere rebus, totumq́ ſeſe huic vni curæ ac ſtudio dedere.*

8. Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

Prima Deo debentur animi ſtudia, quæ eueſtigio conatus conſequitur Dei ſedes. *ſedulus. Sciebat quidem Vates noſter vbique eſſe Deum; ſciebat cordium animorumq́ arbitrum præſentiſſimum, atque adeò vicinum, proximum, ac tanquam propriæ ſedis obſeruatorem; quare & in corde ipſo primùm* Deut. 30. *quærendum & conueniendum. S. S. E.* Iuxta te eſt ſermo valdè, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. *Nihilominus etiam certum quendam* Externi cultus locus, & vtilitas. *ſæculis illis ab ipſo Deo delectum nouerat locum, in quo præcipuè veræ pietatis doctrina exercebatur; & illius doctrinæ ritibus, myſteriis, ac ceremoniis frequentandis, animalis hominis pars (prout illa ætas ferebat) detinebatur, & ad maiorum arcanorum expectationem inſtruebatur, ita vt internæ animorum fidei externa ſenſuum occupatio & exercitatio concordaret: donec plenitudine accedente temporum totum extaret illud, quo, quæ* 1. Cor. 13. *tunc ex parte erant, euacuarentur. Illud etiam in comperto erat, ſingularibus diuinæ prouidentiæ beneficiis locum foueri & ornari ſacrariúq́ illum, in quo verus tunc Dei conſtabat cultus: cætera verò inter nationes diſtributa loca, vt vanis ſuperſtitionibus hominum errore dicata, minùs præſentem ac ſingularem agnoſcere prouidentiæ fauorem. Quas quidem ob res homo ipſe cùm eſſet, atque ætatis illius figuratiuam conditionem tueretur, animo primùm vbicumque verſaretur, cum Deo agebat, atque etiam corpore ac*

ſenſu

ſenſu præſens veri cultus ac ſacrorum rituum communionem ſtudioſè expetebat; vt qui interiùs verè pius erat, externa quoque conſuetudine pietatem profiteretur & exerceret ſuam, exemploq; ipſo alios in doctrina iuuaret: demumq; ijs frueretur ſtudiis & gaudiis, quæ verè pium hominem delectare pro tempore poterant, feſtorum lætitia, myſteriorum notitia, concionum ſacrarum copia, diuinorum ſpectaculo & ſanctorum locorum conſpectu, fidelium communione ac participatione. quæ omnia figurato ac tranſlatitio elocutionis genere Faciei diei *nomine comprehenduntur, ex illius reſponſi doctrina:* Hæc ſunt præcepta atque iudicia, quæ facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus eſt tibi, vt poſſideas eam cunctis diebus, quibus ſuper humum gradieris. Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas poſſeſſuri eſtis, deos ſuos ſuper omnes montes excelſos, & colles, & ſubter omne lignum frondoſum. Diſſipate aras earum, & confringite ſtatuas, lucos igne comburite, & idola comminuite: diſperdite nomina eorum de locis illis. Non facietis ita Domino Deo veſtro: ſed ad locum, quem elegerit Dominus Deus veſter de cunctis tribubus veſtris, VT PONAT NOMEN SVVM IBI, ET HABITET IN EO, venietis. Et offeretis in loco illo holocauſta & victimas veſtras, decimas & primitias manuum veſtrarum, & vota atque donaria, primogenita boum & ouium. Et comedetis ibi in conſpectu Domini Dei veſtri: ac lætabimini in cunctis, ad quæ miſeritis manum vos & domus veſtræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus veſter. *Hanc diuinæ ſingularis benedictionis vſuram ſibi inimicorum dolo deſideratam apud Saulem, Dauid, vti iam citauimus, querebatur.* Qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hereditate Domini, dicentes: Vade, ſerui diis alienis. *Igitur non modò animo (quod primum exigitur) ſe adiiſſe, petiiſſe, & inuocaſſe Deum, Vates ait:* Tibi dixit cor meum: *ſed etiam locum requiſiſſe & expetiſſe, in quo cum piorum Eccleſia diuini cultus iucunditatem & vtilitatem opportunitatemq; communicaret. adeò autem ſibi hanc expetitam affirmat ſortem, vt nihil præterea magis formidet, quàm vt illa ob ſuam culpam Deo ita decernente, ſit carendum, hoc eſt, vt propter crimen aliquod meritò à ſanctis exulet locis, indignuſq; habeatur, qui Dei conſpiciat faciem: nam ſi tali conſolatione meritò priuatum ſe intellexerit, conſequẽs fuerit intelligere diuinæ ſingularis prouidentiæ gratia ſeſe eſſe abalienatum. cui malo nullum ipſe æquale pertimeſcere poßit ac debeat. Contrà verò ſi Deum ſibi habeat propitium, nullius præterea animi & voluntatis à ſe abalienatæ incommoda curet aut metuat, etiam ſi neceſſariis omnibus deſertum ſe ſentiat. itaque vt omnia vndique aduerſa ſibi ab hominibus inſtent, tamen vnam diuinam faciem & gratiam ſibi non negari aut abduci ſi intelligat, nihil amplius optandum animo conſtituerit. Quare illud deprecatur ſolum, quod ſolum maximum putat malum, id eſt, diuinæ propitiationis, gratiæ, & indulgentiæ carentiam.*

Facies Dei.

Deut. 12.

1. Reg. 26.

Diuinæ faciei auerſio.

9. Ne auertas faciem tuam à me: ne declines in ira à ſeruo tuo. Adiutor meus eſto: ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus.

Diuinam à ſe auerſionem deprecatur & excipit (namque exceptiua oratio eſt eademq́ quadripartita) omnia ſiquidem humana incommoda & mortalium inſolentias, auerſiones, atque abalienationes omnium, ſe animo ferre æquo atque fortiter pati poſſe ſignificat; illo tantùm excepto, quod grauiſsimum ducit malum, vt non ſe Deo vlla ratione infenſum inuiſumue ſentiat: amplificatur autem exceptio per partitionem, repetita vbique exceptionis ſiue deprecationis nota, Ne, Ne, Ne, Ne: *cuiuſmodi repetitionis magna in conditionibus explicandis vis & efficacia eſt, ſtudiumq́ orantis, animiq́ attentionem vehementer exprimit. Hoc itaque ſchemate Vates noſter indicat, nihil in rebus humanis à ſe egregiè expetitum præter faciei diuinæ conſpectum, nihil incommodorum formidatum, dummodo* ne auertas faciem tuam à me. ALTHEZZATHER, ne abſcondas. *dixerat ſe requirere Domini faciem, cuius viſendæ copia ab hominibus fraudabatur; tamen illud humanum impedimentum, vtpote natura ſua infirmum, & propter inuidiam & iniuriam demum futurum irritum, ſibi non adeò timeri, modò illud non ex Dei indignatione fuerit profectum: namque illud vehementer, imò & ſummè dolendum, faciem Dei vltro ac ſingulariter à ſe celari & abſcondi. Quod ſi tantùm maleuolentia, iniuria, & contentione hominum, quaſi nubis cuiuſpiam interiectu, celetur atque abſcondatur diuina facies, id breuiter euaneſcendo cum auctoribus etiam ſuis diſsipatum iri ſperat: id quod perſimili quoque ſententia apud Saulem Dauid idem prædixerat* (1.Reg.26.): Si Dominus incitat te aduerſum me, odoretur ſacrificium: ſi autem filij hominum, maledicti ſunt in conſpectu Domini; qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hereditate Domini. *Secundum exceptionis membrum*, Ne declines in ira à ſeruo tuo, *non modò ne omnino abſcondat faciem precatur, ſed ne vel tantillum iratus declinet; inſtar heri in ſeruum aliquando ſtomachati, quo geſtu bonis & fidelibus ſeruis nihil videri poteſt acerbius.* AL THET BEAPH GHABADECHA, ne declines in naſo ſeruum tuum: *faſtidientis ac terrefacientis habitum & geſtum deſcribit, ac deprecatur. quanquam ſit iſtud minus quàm faciem abſcondere, nullo tamen modo vel minimam Dei offenſionem ſe poſſe ferre ait: quare & omnino horrore vti probum ſeruum; quo nomine ad familiam domumq́ Dei pertinere ſeſe profitetur, atque in eadem perſeuerantem curatum iri à Domino ſuo ſperat. Tertium verò exceptionis caput*, Adiutor meus eſto; ne derelinquas me. *Duobus prioribus membris culpam deprecatus eſt ſuam, quam in cauſſa eſſe nolit auerſionis atque indignationis Dei; ſed ſi vlla notatur, vt veniæ ac miſericordiæ beneficio aboleatur. duabus poſterioribus exceptionis partibus,*

bus, benignitatem atque gratiam ipſam fidemq́; Dei appellat & ſolicitat: cuius virtuti ac veritati, vt aliàs perpetuò, plurimùm fidere ac niti ſeſe declarat. Non ſolùm mea rès, inquit, ſed virtutis tuæ auctoritas, fides, & honos, inter homineſq́; exiſtimatio agitur, cùm duobus nominibus me tibi ſuſceptum iam declaraueris, multiplicíq́; exemplo indicaueris: altero nomine, ADIVTORIS in omnibus periculis ac diſcriminibus vel contemnendis vel frangendis ac ſuperandis; altero verò, Salutis ſiue SALVTARIS, cuius ad extremum compos ſim tua vnica virtute euaſurus. Adiutor meus eſto, vt fuiſti videlicet. in exemplari lectione apertiùs, GHAZARATHI HAIITHA ALTHITASSENI. auxilium meum fuiſti, ne faſtidias me. NATAS negligere ſignificat: idq́; vel ex tædio, נטש
vel ex alia maiore cura, vel defectu facultatis, in eo qui antea curauerat. quæ omnia, vt minimè diuinam virtutem decentia, deprecatur atque excipit Vates. Poſtremum verò illud, vt qui ſalutis ſuæ iudicem, aſſertorem, & auctorem hactenus egerit, propoſitum beneficij ſalutaris opus non deſerat aut remittat. Neque deſpicias me] VEALTHAGHAZABENI. Et ne me deſerito deinceps, qui hactenus fueris Deus ſalutaris meus, ELOHEI IESVGHI, gubernator, iudex, princeps ſalutis meæ. id quod cùm ex diuina bonitate ſperet, & confidens petat, nihil præterea quod metuendum vel horrendum vereatur, ſibi in humanis rebus formidari ait: non ſi ab neceſſarijſsimis etiam deſertum ſe intelligat; atque adeò ab ipſis parentibus, qui inuidiæ & offenſionis metu ſibi cauentes (vt aduerſis & procelloſis temporibus non rarò euenit) fauere aut opem ferre propriis etiam gnatis metuunt. à quo exemplo nec Dauid etiam fuit immunis, tamen ſe vni Deo miſericordi & efficaciſsimo protectori ac tutori curæ futurum credit, ſperat, ac prædicat: id quod potiſsima tranſlatione & imagine pronuntiat.

10. Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.

Et ſi adeò à cunctis mortalibus, etiam propinquis atque vtroque parente deſertum ſeſe ſenſerit; à Domino tamen miſericorde ac benigno receptum, fotum, curatumq́; iri credit & ſperat. Vtraque autem dicti huius pars duabus enuntiatur ſimilitudinibus, altera negligentiæ & crudelitatis extremæ, altera verò miſericordiæ & humanitatis ſiue miſerationis maximæ indice. CHI, Quoniam, quando, ſiquidem, & ſi maximè. Harum conditionum omnium vim exprimit vox CHI. Pater meus, & mater mea, quorum vtrumque nomen extremam naturæ lege caritatem promittit, nihilominus tamen GHAZABVNI deſeruerunt me. Tranſlatio ſumpta ab ouis vel pullis potiùs, quos apud nidum vel extra patres reliquerint volandi adhuc inſcios, locorum ignaros, ac ſeſe alere vel tueri minimè valentes, quali nonnumquam periculo coruorum recèns nati pulli exponi narrantur. Dominus autem aſſumpſit me] IEEZZAPHENI,

Matth. 23. NI, colliget, congregabit me. *eodem tropo dictum atque illud,* Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas. *Prius verbum præteriti temporis eſt, ſiue indicatiuo ſiue conditionali apud nos reddatur; perinde enim vtroque modo valet, & certitudinem facti adſignificat. Hiſpanicè eadem tranſlatione dicimus.* mi padre y mi madre me aburrieron. *Poſterius verbum futuro tempore & indicatiuo modo, conſtantem rem, ſaltem firmam futuri ſpem aſſerit. Hiſpanicè,* Pues el Señor me recogera. *id quod cùm per fidem atque Enthuſiaſmon iam ſibi certum propoſuerit; cæterorum omnium, etiam parentum, de ſe curæ valedicens, vni Deo ſui collectori & protectori ac tutori, in eadem quoque perſiſtens tranſlatione, regendum, deducendum, educandumque ſe tradit, atque ad vitæ ſalutiſq; rationem inſtrui exoptat & poſcit; in eaq; re ſuas obſequij & fidei profitetur partes.*

11. Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos.

Deſertis pullis, niſi certus cuſtos, tutor, & viarum locorumq; doctor atque index adſit, manifeſtum à venatorum inſidiis & ferarum auiumq; rapacitate paratur periculum: quale ſibi nullo pacto declinari poſſe intelligit, Dei via. *niſi edocto viarum & ſemitarum, quas inſtruit, tenet, commendat, atque frequentat vltro Deus; hoc eſt, virtutum & probitatis, pietatis veræ ac ſimplicitatis. quas cùm nemo improborum perambulet, nec infeſtare etiam valet, cùm propter regionis imperitiam, tum verò propter itineris aperti & anfractibus carentis expeditionem tutam, tum porrò maximè propter ſin-* Pſal. 1. *gularem Dei prouidentiam, erga eos qui rectam inſiſtunt viam.* Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit. *Hoc itaque tutelæ ac protectionis certæ beneficium iuſta de cauſſa poſcit Vates, nempe vt à ſuſceptore ſui Deo viam inimicis ſuis non temerandum terendámue inſtruatur.* Legem pone] THORENI IEHVEH. Doce bis me Domine viam tuam. *Doceri primùm poſcit: namque doctrina mores & conſuetudinem ritè antecedit: nec verò didiciſſe ſatis eſt, niſi experientia & mos diſciplinam comitentur. hoc etiam orator poſcit.* & dirige me in ſemitam rectam. BEORAHH MISOR, in iter planum מִשׁוֹר & æquabile ac rectum. *omnia hæc ſignificantur voce* MISOR. *Quæ verò hoc modo inſtrata conſtat via, nullum planè inſidiatorum latibulis relinquit aut concedit locum.* Propter inimicos meos] LEMAGHAN SORERAI, Propter obſeruatores mei. *Namque vna ex* שֹׁרֵר *rationibus verbi* SARAR *eſt* obſeruare, *ſiue* notare, *Hiſpanicè,* por mis aſſechadores. *quorum propoſitum, mens, & artes, e veſtigio notata indicantur.*

12. Ne

12. Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.

Non veritate nec virtute, ſed calumniis, mendacio, dolis, atque vanis
commentis ad manifeſtam iniuriam excogitatis, premi & circumueniri ſe
ait. quæ omnia aduerſus probitatem, ſimplicitatem, & veram pietatem
ſuſcepta, diuina ope ac tutela doctrinaq́ue, quam poſcebat, irrita demum
euaſura ſperat & poſtulat. In animas, *in libidinoſum arbitrium (nam* Anima.
nomen animæ *pro appetitu vſurpatur)* tribulantium, TSARAI, pre-
mentium me vndique. *tranſlatione ab indagine & ambitione venato-*
rum atque aucupum in verbo TSAR *vſus eſt. Quo autem pacto, quo in-*
uento ſeſe premere intenderent iſti, exponit; mendacio, calumnia, atque fictis
criminibus. Nam inſurrexerunt in me teſtes iniqui] GHEDEI
SEKER, teſtes mendacij, *ſiue* falſi mendaces; *qui ad iniuriam promo-*
uendam inſtructi atque exercitati ſunt. & mentita eſt iniquitas
ſibi] *ex exemplari,* VAIIPAHH HHAMAZZ, *falſorum teſtium*
mens & promptitudo notatur ad iniuriam augēdam inſtructa. teſtes quon- Teſtes.
dam pro teſtimonio ſtantes dicebant, vt in legitimis ritibus legere eſt: ideo
ait, inſurrexerunt in me. *Quod verò additur* mentita eſt iniquitas, *id*
ſignificat quod explicuimus; expolitio enim eſt mentis & operæ teſtium
VAIIPAHH HHAMAZZ. IAPAHH, *verbum,* meditari, profer- יפח
re, & pronuntiare *ſignificat; & in calumniatorum falſorumq́ue teſtium no-*
tis vſurpatur: ſic Salomon, IAPAHH CHEZABIM GHED SE-
KER, *quod interpres noſter ita vertebat,* Proferentem mendacia te-
ſtem fallacem. *idem aliàs eandem prorſus notam ſic:* Profert autem *Prou. 6*
mendacium doloſus teſtis. *& alibi.* Profert mendacia verſipellis. *rur-* *Ibid. 14.*
ſus alibi: Et qui mendacia loquitur non effugiet. *Itaque idem valet* *Ibid.* [?]
hoc loco, & mentita eſt iniquitas ſibi, *quod,* & prodiit *ſiue* pronuntiata *Ibid. 19.*
eſt iniuria. *id quod tanto aduerſum ſe ſtudio ſuſceptum, tanto molimine*
& conatu inceptum ait, vt niſi diuinæ virtutis opitulatio obſtitiſſet, de ſe
iam prorſus eſſet actum.

13. Credo videre bona Domini in terra viuentium.

Firma tantùm fide & certiſſima conſequenti ſpe diuini fauoris fultum ſe
ait: cuius virtute, ope, & auxilio, non ſe ab inimicis & calumniatoribus
perditum iri metuit; ſed potiùs viuentem atque ſentientem, Domini IE-
HVEH *benigni & efficacis promiſſo bono fruiturum expectat: in eaq́ue fide*
atque expectatione animum ſuum firmare conſtituit. Credo videre]
in exemplari lingua LVLO HEEMANTHI. Niſi credidiſſem vide-
re bona Domini, BETOB IEHVEH, in bono Domini, *quod ſum-*
mum bonum eſt ac donum perfectum, deſcendens à Patre luminum, *Iacob. 1.*

Videre. apud quem non eſt tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio. Videre *autem pro* ſentire *atque* frui *hoc loco ſumitur; namque videndi ſenſus omnium eſt iucundiſſimus & plerumque certiſſimus.* In terra viuentium] *viuum, inquit, atque ſentientem ſanumq́ ſe illo beneficio efficiendum, non in terra mortua ſiue mortuorum, quæ maledicto & ſterilitati obnoxia eſt, ſed viuentium.* Non enim mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum. Sed nos qui viuimus, benedicimus Domino. *Magnum hîc illud myſterium æternæ vitæ in vtroque homine præſtandæ tangitur, quod aliàs ad multorum Pſalmorum calcem libenter Vates repetit; quodq́ expectandi ac præſtolandi cauſſa, ſeipſum & ſui ſimiles vnà ſecum pios omnes ad fidem & patientiam obſeruantiamq́ adhortatur.*

Terra viuentium. *Pſal. 113.*

14. Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.

Si moram fecerit *(ait apud Habacuc Deus)* expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo: iuſtus autem ex fide viuit. *Et Chriſtus præceptor:* In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. *Conſtantiam itaque in fide & ſpe, & patientium temporum, atque doctrinæ ac virtutis certum ac ſedulum ſtudium indefeſſamq́ operam, diuini promiſſi veritas poſtulat.* Expecta Dominum] KAVAH EL IEHVEH. *Iam aliàs docebamus verbum* KAVAH, obſeruanter ac certè expectare, *Latinè dici. id quod cum adiuncto ſuo bis in hoc repetitur verſu: priori quidem loco ad fidei certam attentionem, quod ad cauſſam attinet, hoc eſt, ad bonum Domini obſeruandum: poſteriori verò ad exactam boni operis patientiam, à ſancto Paulo ſic vocatam; cuius promouendæ facultas & vis atque alacritas, etiam ab eodem petita & expectata Domino præſtatur. Itaque prius illud,* expecta Dominum, *ad præſtolationem boni crediti, & in terra viuentium videndi, pertinet; poſterius verò,* & ſuſtine Dominum, *quod eiuſdem formulæ eſt,* KAVAH EL IEHVEH, *ad partes à ſe ex diuina etiam gratia & ope præſtandas refertur. Partes autem ſunt,* viriliter age. HHAZAK VEIAMATS LIBECHA. confortare, & roboretur cor tuum. *Prius verbum animi offirmatam conſtantiam, poſterius laborum tolerantiam & patientiam reſpicit. in his enim omnibus verè pij, propter eum qui ſe dilexit, ſuperant victoreſq́ euadunt; non quòd in ſe tantum agnoſcant virium, ſed quia etiam in ea re Dominum ſuſtinent, atque inuocant.*

Habac. 2. Diuina promiſſa expectantium & quærentiũ partes. *Luc. 21.* *Rom. 2.*

IN PSALMVM XXVII.

FERDINANDO XIMENIO EQVITI FLORENTINO. S.

VIam Domini non vulgariter edoctum te, atque
mihi impensè carum, ad gratulationem citare li-
bet bonitatis, miſericordiæ, iuſtitiæ, & ſapientiæ
Dei. quarum appellandis partibus, muneribus,
& exemplis, totus Pſalmus, *Ad te Domine clamabo*, à Dauide
contexitur & exornatur. Namque diuinæ prouidentiæ in ijſ-
dem præſtandis partibus te non ſolùm cum piis multis com-
munem ſpectatorem, ſed in tua etiam tuorumque cauſſa ſin-
gularem poſſumus appellare teſtem: vtpote quem candore ac
probitate animi inſtructum, ex vanæ, mendacis, & iniurioſæ
atque pernicioſæ vulgi opinionis iudicio & cenſura exceptum,
inter melioris atque æquioris tum ſententiæ tum cõſuetudinis
conciues ac vitæ ſocios Deus locauerit: eoque conſtituerit in
ordine, vnde quis verus virtutis honos, quàm obſcura, impu-
ra, & inconſtans vulgaris mentis & inuidæ atque iniurioſæ
factionis gloria ſemper fuerit, diſpicere atque cernere valeas;
ab illiuſque mali contagio ſemotus ea quàm expeditiſſimè &
ſtudioſiſſimè cures, quæ probo pioq; homine ac ſincero Ieſu
Chriſti diſcipulo, veræ ingenuitatis ac nobilitatis ornamentis
prædito, digna ſunt: hoc eſt, attentam & aſſiduam ſanctorum
ſcriptorum lectionẽ, qua valde ſemper delectatus es quocumq;
loco fueris, frequentem cum bonis ac pijs conſuetudinem, pau-
periorum ac miſerorum ſolamen & conſolationem (quibus
non verbo & oratione tantùm, ſed familiaris quoque rei com-
municatione proſpicis) atque interdum etiam cæleſtium arca-
norum contemplationem, conſtituto & opportuno petendam
ſeceſſu: quorum omnium facultatem & vſuram nemo qui re-
ctè ſentiens optarit, non tibi & amanter gratuletur, & purè

atque officioſè inuideat. Nos verò, tibi qui propria ſemper ac perpetua atque iſtis etiam ſublimiora magiſque beantia vouemus, interim dum præſentem ſalutare & alloqui non poſſumus, quàm verè quamque ſedulò abſentem animo conueniamus, ſæpe aliàs per literas teſtati ſumus; & nunc exiguo, ſi induſtriam ſpectes noſtramque operam, pignore, ſi verò materiam, tibi magni muneris inſtar futuro confirmamus. Vale, & quotquot iſtic tibi notos vtriuſque ſexus verè pios ac ſincera commendabiles religione intellexi, & animo ipſe diligo atque in Chriſto Ieſu veneror, meo nomine quàm ſtudioſiſſimè ſaluta. Ex Rupe noſtra apud Aracenam, decimo Kal. Nouemb. cIↃ. IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

MAgnam humanæ fallaciæ ac perfidiæ experientiam Dauidi inimicorum obſtinata malitia peperit: magnum item ad pietatis cultum atque ad fidei robur & patientiæ exercitationem contulit ex occaſione adiumentum; dum variè ac ſæpius vexato & inſectato, ſola de diuino præſidio petendo non modò ſuperfuit ſemper, ſed etiam valuit & excreuit cogitatio, & adaucta eſt diligentiâ & curâ: dumque, per ſæpe reconciliationis, concordiæ, ac pacis ab aduerſariis mentita promiſſio, diuinæ veritatis concepta ab initio fides & ſpes animum ad patientiam addidit, & ad poſtulandum iudicium cauſſæque ſuæ commendandam rationem, conſilia, argumenta, ac verba, qualia res ipſæ pro tempore exigebant, ſufficit. Cuius quidem obſeruationis exemplum frequens compluribus aliàs in Pſalmis elucet, tum verò ſingulariter in iſto, quo veritatem, probitatem, atque innocentiam defendenti ſuam, contrà verò aduerſariorum verſutiam & fraudem notanti, iudicij & victoriæ à ſe conſtituræ concepta ſpe, gratulationis publicæ ac perpetuæ diuinæ laudis certum nuncupatur votum.

1. Pſalmus ipſi Dauid.

Ad te Domine clamabo, Deus meus ne ſileas à me: nequando taceas à me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum.

Dei auxilium accelerantia. *Pſal. 9.* *Pſal. 9.*

DVæ ſunt res, quæ diuinæ propitiationis opem præcipuè accelerant, fidelium vehementior vexatio, & attenta eorundem per preces ac vota ſolicitatio. S. S. E. Non eſt oblitus clamorem pauperum. *& rurſum alio in loco, Deus* adiutor in opportunitatibus, in tribulatione; *laudatur.*

laudatur. Dauidis autem vita & ſalus inimicorum contumace inuidia non rarò in extremum diſcrimen adacta, ipſo eodem quoque conqueſto, narratur. Quinimmo viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantùm (vt ita dicam) gradu ego morſque diuidimur. *Huius etiam ſententiæ & illud eſt:* Anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuam non ſum oblitus. Poſuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erraui. *Temporibus itaque ſuis omnibus nullum aliud conſilium adhibuit, niſi vt fideli & conſtante animo diuinæ ſeſe commendaret miſericordiæ ac prouidentiæ; quam, dum viueret, expertus antea, experturum ſe porrò credebat, ſperabat, ac perpetuò poſcebat, ſolam ſibi ſalutarem ſoſpitalémque intelligens: aliquando verò vehementiùs vexatus & oppreſſus, ardentiùs etiam flagitabat & præſto ſibi eſſe poſtulabat, cùm aliàs viribus non fideret propriis, quin periturus eſſet, niſi maturiùs liberaretur. Solent autem pij & fideles acrioribus querimoniis & vehementiore prece Deum compellare, atque humanis affectibus inuocare vt moueant; vtpote quem ſuorum credant amatorem, & amorem illorum atque fidem erga ſe incendere gaudentem; quare illi quouis ſermone in ſuam ſalutem celeremq́ opem, benignitatem eius prouocare minimè parcunt; iam querimoniis, iam incuſationibus, plerumque appellationibus, prece ſæpius, frequenter deprecationibus vſi. quibus modis omnibus, vtpote à fideli ac deuota veraceq́ mente profectis, non modò decor, ſed gratia atque efficacia tribuitur. Sic hoc loco, vnicum præſidium ſibi conſtitutum, atque certiſſimum, Vates ait, clamore aſſiduo Deum compellare, ſurdas vel tardas ceſſanteſq́ eius deprecari aures; aliàs breui ſe periturum, atque ad eos, qui nec orare nec poſcere aut clamare poſſunt, migraturum, communiq́ futurum & ſtatu & loco, vt dignoſci nequeat quid inter fideles & ſperantes atque vota nuncupantes, & eos qui nihil horum curant aut agunt, interſit.* Deus meus] TSVRI, Rupes mea, *ſiue* præſidium meum. *Hoc nomine modò appellat, quem ſibi vnicum tutorem ac protectorem propoſuerat Deum; petram autem viuentem, cognitione valentem, & efficaciſſimam.* Ne ſileas à me] *eum, qui numquam ſurdus eſt numquámue ceſſat, ſui vnius cauſſa & ope ſurdeſcere ac ſilere deprecatur.* AL THAHHARES. HHARAS, *ſurdum ſilentemq́ eſſe vel ſe præbere ſignificat. inde* HHERES *vocatur* Surdus. *vt in illo vetito,* HHERES non maledices. *Precatur igitur, ne ita ſileat, vt ſurdus eſſe, vel ſurdum videatur agere. id enim in diuinam non cadit prouidentiam; præcipuè aduerſus eos, qui purè, iuſtè, ac ritè clamant, diuinamq́ fidem & opem implorant: alioquin verò certiſſimum ſibi mortis & exitij periculum in procliui eſſe, ſi parua interijciatur cunctatio.* Nequando taceas à me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum] PEN THAHHASEH MIMMENI. *vox* PEN *ab interprete noſtro aliquando in* nequando, *ſæpe in,* ne fortè, *interdum in,* ſi fortè, *vertitur. vtcumque reddatur, pronam eius rei, quæ ſubiungitur conſecutionem continet. vt,* Nequando iraſcatur Dominus, & pereatis.

Dauidis diſcrimina.

1. *Reg.* 20.

Pſal. 118.

Piorum querimoniæ & preces ad Deū.

Leuit. 19

Pſal. 2.

Gen. 27. &, Timeo, PEN, ne fortè putet [*pater meus*] me ſibi voluiſſe illudere. *Hoc autem loco idem valet, atque*, Si à me ſiles, profectò aſſimilabor deſcendentibus in lacum. Taceas] HHASA *conſultò ſilere vel diſsimulare ac data opera ignoſcere, apud Latinos exponi poteſt. Si, inquit, à me vel mihi vel pro me non reſpondendo ſilueris, pronum eſt, me ita*

Occiſorum in bello ſepultura. *perire & aboleri, vt à nemine prorſus deinceps requirar aut curer. Olim in bello vel aliàs publica pereuntibus clade, ſepulturæ honos vel minimè vel rariſsimis decernebatur; ſed vel inſepultis paſsim, vt hodieq; fit, relictis, præcipuè hoſtium cadaueribus, ferarum aeque auium ventres pro ſepulcris erant: interdum tamen commilitonum atque ſociorum cadauera, ob huma-*

Commune ſepulchrũ. *nitatis rationem ac ſenſum, vel in fortuitum puteũ aut lacum vel antrum, vel commune aliquod effoſſum barathrum temerè ac promiſcuè conÿciebantur, nemini poſtea ſuorum vel dignoſcenda vel curanda.*

Matth. 27. *cuiuſmodi cippum ad peregrinorum ſepulturam, Ieſu Chriſti venundati pretio à Iudæis emptum & conſtitutum legimus.*

Supplicio affectorũ ſepulchrũ. *In antiquis etiam iudiciorum hiſtoriis reperimus, eos, qui ſupplicio affecti ceciderant, ad patrium familiaréue ſepulchrum deferri non eſſe permiſſos; verùm in communes atque ea paratas cauſſa certas deÿci cauernas, ſiue ciſternas, quæ* BOR *vel* SEOL *vocabantur, ibidemq; communiter putreſcere ad carnis vſque & neruorum conſumptionem. Sed nunc hoc Pſalmo communem tantùm foueam in bello pereuntibus conceſſam notat Pſaltes: qualem conditionem ſi ab inimicis interficeretur, expectare poterat, humanius præterea atque honeſtius nihil habiturus. eſt itaque pathetica hæc & vehemens deprecatio. Ne, inquit, ita ſileas vt me patiare in communem occiſorum proÿci lacum, vbi quis pius, quis improbus, quis tibi gratus, quis contrà inuiſus fuerit, à nemine dignoſcatur homine: quin potiùs vti viuentium diuerſa ingenia, diuerſus mos, diuerſum quoque diſtinguitur ſtudium; ita diuerſa apud te ratio haberi dignoſcatur, piorum videlicet ac proborum ad tutelam & ad ſalutem; improborum verò atque impiorum ad correptionis iudicium: vtrorumque corda ac mentes Deum non latere, ſigna verò & argumenta, quæ ſtudium conſequuntur, manifeſta etiam apud homines eſſe: ſiquidem altera pars viuens & ſentiens de ſuis vel ſecundis vel aduerſis rebus ad ſolum refert Deum, altera nihil minus quàm Dei curam cogitat: ſe verò in priorum numero Deum orare, precari, expectare, vitæq; actiones in hoc ponere & conſilio & ſtudio.*

2. Exaudi Domine vocem deprecationis meæ dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum.

Nondum mortuum eſſe, ſed viuere ſe ait, tamen non longè à mortis diſcrimine abeſſe, ad tot pericula, ærumnas, & labores ab aduerſariis adactum atque impulſum; vtrumque verò, hoc eſt, viuere ſe, & oppreſſum viuere, manifeſtis indicari argumentis, gemitu videlicet atque manuum verſus tem-

templum ſanctum ſublatione, qualis eſſe ſolet auxilium atque opem implorantis nimiumq́; oppreſſi & vox & habitus. Exaudi vocem deprecationis meæ] *quam gemitu pronunciatam & miſeratione dignam duo declarant vocabula*, THAHHANVNI, miſerabilis querimoniæ meæ; *&*, Dum oro ad te, BESIVGHI ELECHA. in gemendo me ad te. Dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum. EL DEBIR KODSECHA, ad adytum ſanctitatis tuæ. *Tabernaculum in duas diuidebatur partes, velo tantummodo interſecante: prior pars, quam ſacerdos quotidie viſens ingrediebatur,* HEICHAL, *id eſt*, palatium, *dicta: interior verò ſemel tantùm quotannis adeunda* DEBIR, *quod Græcis ἄδυτον, arcanorum ſacrorum ſacroſanctus locus, in quo Deus Cherubinis inſidens canebatur.* Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare coram Ephraim, Beniamin, & Manaſſe. Excita potentiam tuam, & veni, vt ſaluos facias nos. *In illam itaque regionem ſe ſuas extollere manus auxilium petendo, ait. Non dicit* CHAPHAI, *id eſt*, palmas meas, *vt aliàs: namque ille habitus dona ac munera beneficiaq́; alia poſcentum; ſed* IADAI, manus meas, *quod opis implorationem ſignificat. Igitur ſe in ſummo conſtitutum periculo, & neminis alius auxiliatoris opem vel optātem vel expectantem ac poſcentem, opportunè in ipſo diſcrimine iuuari ac ſeruari poſtulat; atque in ea re ab illis diſcerni, quibus vel ad agnitionem vſque ſui & correctionem diuinum protrahitur auxilium, vel etiam dignum ſupplicium pœnitentiæ & mutationis cauſſa & expectatione differtur.*

Tabernaculi partes.

היכל Palatium.

דביר ἄδυτον.

Pſal. 79.

Tollere palmas & tollere manus.

3. Ne ſimul trahas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me: qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum.

Diuina cura neminem mortalium viuentem, quamlibet improbum & peruerſum, negligit: quippe nullum imaginis ac ſimilitudinis Dei expertem reperit. verùm hoc intereſt inter probos ac ſanæ mentis, & improbos atque impuros; quòd illis vel iuuandis & ſeruandis vel corripiendis quàm maturrimè præſto eſt, iſtis verò ad vtramque partem tempus ſpatiumq́; producit. S. S. E. Clamauerunt, & non erat qui ſaluos faceret; ad Dominum, nec exaudiuit eos. *& iterum.* Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri. *de prioribus verò ſcriptum,* Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. *Et rurſum*, Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum: quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine. *Vtrumque cùm Dauid probè noſſet, alterum deprecatur, hoc eſt, curæ & ſubſidij prolationem, inſtar eorum, qui à pietate & virtute aberrantes tamdiu interdum expectantur, vt neglecti vulgò putentur.* Ne ſimul trahas] AL THIMASECHENI, ne differas me. MASACH *Verbum*, producere, trahere, differre, moraſque nectere *ſignificat. Cuius exemplum.*

Dei erga probos & improbos qualis cura.

Pſal. 17.

Iſai. 30.

Pſal. 9.

Ibid.

משך

Spes

Prou 13. Spes MESVCHAH quæ differtur, affligit animam: Lignum vitæ deſiderium veniens. *Duobus autem peruerſorum generibus excipi ſeſe poſtulat;* RESAGHIM, improborum, *qui iniuſtas vel ſuſcipiunt vel defendunt cauſſas, aliisq́ hoc pacto nocere ſtudent: &* POGHALEI AVEN, operantium vanitatem *ſiue* iniquitatem: *nugacium videlicet ac vanorum, qui ſua tantùm commoda quærentes, alius verba dare & imponere ſolent, nemini prodeſſe curant; imò contrà ceteris inuident, ſimulandi atque diſsimulandi artifices.* Qui loquuntur SALOM, pacem, *ſalutationem, beneprecationem, gratulationem,* cum proximo ſuo, *omni. Namque in exemplari pluralis numerus, morem conſuetudinemq́ fallendi cunctos arguit; non ſolùm hoſtes vel aduerſarios aut inimicos, quod etiam ab ingenua ſimplicitate abhorret; ſed* cum RAGHEIHEM, ſociis & ſodalibus, *quos naturæ ius amore dignos conſtituit. Alter grex conſultò nocet, iniuriamq́ faciendam litibus & actionibus iniquis promouet: alter verò ſibi tantùm proſpicit & cauet, cæteros ſermone atque eloquio lactat, fide verò & officio fallit, promiſſa cauſſando in longum ducit, aut inficiando eludit; demum ſe ſibi tantùm proximum, neminem præterea curat. digni prorſus perſimili ſuis moribus iudicio.*

Peruerſorum genera duo.
רשעים
פועלי און
Operantes iniquitatē.

4. Da illis ſecundùm opera eorum, & ſecundùm nequitiam adinuentionum ipſorum: ſecundùm opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipſis.

Homines non ſolùm ad virtutem, ſed ad officium quoque præſtandum natos diuina doctrina tradit. Virtutis prima & præcipua ratio in animi ſanitate & rectitudine conſiſtit, cuius vnicus arbiter ac iudex eſt Deus: officium in re & facto hominibus etiam cognoſcendo ſpectatur. Vbi vtrumque rectè ſibi concordat, vera definitur probitas: vbi alterum requiritur, quod conſtare tamen potuiſſet, vanitas notatur ſiue iniquitas: iam verò vbi vel vnum vel ambo produntur, improbitatis crimen ſubitur. Atqui nulla, quæ ab hominibus conſultò ſuſcipitur, actio certo cauſſæ propoſito vacat; in quo vel bonitas verſatur vel malitia: id verò quod propoſito ſtatuitur, præmium vocatur incepti & conſilij. Porrò opus à facto differt, eò quòd opus in executione & exercitio eſt, atque idem opera dicitur: factum verò abſolutum iam opus ac ſuis conſtans partibus nuncupatur. Vt autem factis à conſilio profectis & ad finem deductis præmium, ſic etiam merces operi ſiue operæ impenſæ debetur. Quæ omnia ſi rectè inita & acta fuerint, boni fructus emolumento auctorem ornant ſuum; ſin verò perperam, contrà malo conſummantur fructu. Hæc igitur ita diſtincta partitus Vates, Deo examinanda, iudicanda, & dignæ cenſuræ euentu expedienda committit, non minori diuinæ prouidentiæ argumento futura, quàm opportunum ac maturum proborum ſubſidium & leuamen. Da illis ſecundùm opera eorum] CHEPOGHALAM. *conatus, laboris, & operæ*

Hominum virtus & officium.
Probitas.
Vanitas.
Improbitas
Propoſitū.
Præmium.
Opus.
Factum.

operæ poſitæ mercedem illis reddi poſtulat. id quod legitimis cauetur inſtitutis, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, liuorem pro liuore, *&c. Verùm hoc tametſi ſatis ad damni dati iacturam ſarciendam fuerit, tamen ad iniuriam vindicandam non ſufficit. Si quis enim alterius ædes non caſu ſed nocendi ſtudio incenderit vel diruerit, non ſatis pro merito damni dati impenſis atque reſtitutione mulctatur, niſi etiam iniurioſi conſilij pœnas luat. S. S. E.* Reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit. *Iſtiuſmodi conſilia & cogitationes* MAGHALELIM *in ſancta lingua vocantur, quæ interpres noſter* adinuentiones *nominat.* Secundùm nequitiam adinuentionum ipſorum] *idem valet atque* ſtudiorum ſuorum. Secundùm opera manuum eorum tribue illis] *Pars hæc operæ poſitæ dignam reſpicit mercedem; quantum, inquit, conatu & labore fecere, tantumdem ferant, accipiant, & patiantur. Reſtat quartum partitionis membrum, quod in agendo primum eſt, & cauſſa, ſiue finis, ſiue propoſitum vocatur: id quod vel gloriam, vel tyrannidem ac dominationem, vel auaritiam opum, diuitiarumq́ copiam & incrementum ſpectat; aut etiam vltionem inimicitiæ, vel cæterorum votorum, quæ iniquè ſuſcipiuntur, vnumquodlibet. quod Latinè rectè* præmium *dicitur. Damnandi igitur voti dignum præmium diuino iudicio reddi poſtulat. in ſancta lingua* GAMVL *ab interprete noſtro plerumque* retributio *vocatur. vt,* Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet tibi retributionem, quam retribuiſti nobis. *Atqui Deus à Ieremia* EL GAMVLOTH, retributionũ *ſiue* præmiorum potens *vocatur.* Quia venit ſuper eam, id eſt, ſuper Babylonem prædo, & apprehenſi ſunt fortes eius, & emarcuit arcus eorum: quia fortis vltor Dominus [EL GAMVLOTH, Deus retributionum] reddens retribuet. *Eſt autem nomini huic plerumque familiare verbum* HESIB, reddidit *ſiue* rependit. *id itaque demum ex diuino iudicio expectandum poſtulat Vates,* Redde retributionem eorum ipſis. *Huiuſmodi autem exacti & ſingulariter obſeruandi iudicij cauſſam, ſacra oracula ad prouidentiæ certum argumentum & certam aſſeuerationem reuocant. Nam cùm vulgus ferè hominum, atque improborum præcipuè greges, humanas res in caſu vel fortuna ponant, à Deoq́ gubernari vel inficientur, vel ambigant; dummodo forenſia iudicia & publicas leges aut hominum exiſtimationem fallant, quodlibet ſcelus concipere, ac ſæpe etiam ſuſcipere, non verentur. id quod ſi ex animi ſententia peragant, ſibi, dexteritati induſtriæq́ ſuæ, vel etiam felicitati, quam in aſtris collocant, vel fortunæ gratulantur: ſin verò optatis fruſtrentur, infortunium, vel conſilij inopiam, vel auxilij defectum, vel ſociorum fraudem, vel quiduis aliud culpant potiùs, quàm Dei gubernatoris agnoſcant vel vim vel correptionem. id quod ita habere, aliis vel exemplo vel cauſſatione plerumque perſuadent; præcipuè ſi vel idem proborum atque improborum ſpectetur exitus, vel horum felicior euentus, vel vtrorumque inconſtans & incertus. Iſtis verò ſi mundi atque cæli certa ſibiq́ ſemper ſimilis gubernatio,*

Exod. 21. Iniuriæ vindicta. Deut. 19. Adinuentiones. Cauſſa, fini, ſiue propoſitum. Præmium. Retributio. Pſal. 136. Ierem. 51. Atheorum conſilia & mens. Prouidentiæ aſſertio.

ſuis diſtincta vicibus ac diuiſa temporibus, naturæ initiis certis momentis progreſſa, certisq; finibus maturata, & congeneribus abſoluta modis & fructibus atque effectis conſummata allegentur; quæ omnia non niſi auctore atque rectore Deo conſtare poſſunt, nec cum fortunæ caſibus vllo conuenire pacto; nihil minus, quàm hæc animo intento capere, aut ſententia factisq; ſibi credita comprobare, curant. Verùm enimuerò cùm eodem quo quiſquam deliquerit, exemplo vel corripi aut puniri notatur, tum verò diuinæ prouidentiæ fides vel inuitis extorquetur; quibuſdamq; ad mutationem confert; aliis verò, id eſt, obſtinatis & propoſitum vrgentibus, ad manifeſtam iudicij diuini oſtenſionem & vindictæ grauitatem pondus adijcit. Cuius rei cauſſam Vates, cùm voto atque ſtudio defendendam curet & commendet, criminis explicatione & aſſeueratione perorare ſatagit.

5. Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum eius deſtrues illos, & non ædificabis eos.

Peruerſitatis & contumaciæ exitium.

Quicunque lucis noctisq; vices, cæleſtium corporum ac ſiderum ordines, motus & progreſſus, anni tempora & horas, cæteraq; naturæ genera, munera, & effecta, quamquam certis partibus diſcordia, tamen ad vniuerſi conſeruationem concordia & conſona, identidem proſpectans, auctoris certi atque imperatoris omnium Dei numini & voluntati parêre atque in bonum ſemper obſequi non intelligit, intelligereq; negligit; is dignus eſt, cui nihil ſuccedat, aut in melius procedat & vertat, ſed quidquid propoſuerit, conſuluerit vel egerit, in ſui ſuarumq; rerum tendat exitium, atque in perpetuas detrudatur tenebras; & tanquam cæcus atque inſaniens in deterius ſemper prolapſus, demum ſentiat, iis qui malæ & peruerſæ ſententiæ contumaces eſſe perrexerint, exitiales prorſus, & ſtudiis, factis, conſiliisq; ſuis conſentaneum decretum eſſe exitum. Atque ita nihil caſu, aut fortuitò; ſed certo omnia iudicio fieri & euenire, ſuo magno contumaciq; diſcent malo. Namque aliàs eiuſmodi ingenia ac mentes ſi interdum rectè agant, ſecundisq; fruantur temporibus, quamquam aliàs etiam aduerſi quid patiantur, ſuam tamen ſententiam retinentes à maleficio non ceſſabunt; quod aliquando, imo ſæpe, vtile experti, rurſus vrgendò, augendo, & callidè fouendo, vtilius experturos ſe ſperabunt; illis & ſimilibus, vti ſolent, vulgaribus inſtructi ſententiis & animati monitis, Omnium rerum viciſſitudo eſt: Hac non ſucceſſit, alia aggrediamur via. *Igitur vt his omnibus deluſi & opinione fruſtrati, prouidentiæ diuinæ demum iudicio cedant, & victi ac fracti ſuccumbant,* deſtruet illos, non ædificabit eos. *In exemplari lingua tertiæ perſonæ verba cum ſuperiori verſus parte concordant:* Dominus *rerum auctor & moderator efficaciſſimus, cuius* opera non intellexerunt, *nec intelligere voluerunt (namque hactenus pertinet futurum negatum* LO IABINV, non intelligent) *idem, inquam,* Dominus deſtruet illos, *cum rebus ſuis omnibus euertet, numquamq; vel interim vel*

poſtea

poſtea in perpetuum inſtaurari ſinet. Atque ita diuini aduerſus improbos & impios iudicij & veritas conſtabit & auctoritas. Huic argumento perſimile illud apud Malachiam adnotare opportunum fuerit: Eſau odio habui, & poſui Seir montes eius in ſolitudinem, & hereditatem eius in dracones deſerti. Quòd ſi dixerit Idumæa; Deſtructi ſumus, ſed reuertentes ædificabimus, quæ deſtructa ſunt: Hæc dicit Dominus exercituum: Iſti ædificabunt, & ego deſtruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus eſt Dominus vſque in æternum. Et oculi veſtri videbunt, & vos dicetis: Magnificetur Dominus ſuper terminum Iſraël. *Namque Iſraël ſecundas res felicitatemq́ ſuam omnem, & quidquid hoc Iſraëlis nomine nactus fuerit, vnius Dei miſericordiæ ac benignitati referre ſolet acceptum. id quod Vates noſter ſibi quoque eadem Iſraëlis fide fulto certum perpetuumq́ profitetur, vt quæcumque bona antea habuerit, quæq́ in poſterum ſeſe aſſecuturum ſperet, omnia ad diuinam liberalitatem ſingularemq́ erga ſe prouidentiam cum laudibus reuocet.*

Malach. 1.

Iſraëlis felicitas ex Deo.

6. Benedictus Dominus, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ.

Omnibus antea temporibus, quibus opem à Domino ſe in ſuam ſalutem poſtulaſſe recordatur, exauditum ſemper fuiſſe gratulatur, idq́ opportunè; atque ita manifeſtam in ſe rebuſq́ ſuis auctoritatem efficientiamq́ diuinam ſenſiſſe ait. Benedictus IEHVEH, Dominus *miſericors & efficax.*

Vocem deprecationis meæ] THAHHANVNI, implorationis meæ: *à verbo* HHANAN, *quod miſerari & gratè benigneq́ agere ac ſuſcipere ſignificat. vnde Deus* RAHHVM VEHHANVN, miſericors & miſerator; *appellatur ſæpiſſimè. Opitulationis autem expetendæ & implorandæ duplex cauſſa duplexq́ opportunitas eſſe ſolet, vel ad aduerſariorum ſuperandam & frangendam vim victoriaq́ domandam, vel ad certum & inſtans periculum ſuſtinendum & cum incolumitate euadendum. ad illud robore & viribus atque firmitudine opus eſt; ad hoc tutela, protectione, ac defenſione: illius imago gladio, haſta, & ceteris ad plagam inferendam habilibus armis; iſtius verò parma & ſcuto ſiue clypeo depingitur: ad vtramque rem, victoriam videlicet & euaſionem ſiue incolumitatem, vnicum ſibi certiſſimumq́ in Domino ſolo conſtare munimen aſſeuerat.*

חנן

Opitulationis opportunitas.

7. Dominus adiutor meus, & protector meus: in ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum: & refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor illi.

Quæ hoſtibus aduerſariiſq́ ſuperandis euertendiſq́ ſufficitur virtus, GHOZ *vocatur: quo nomine in priori hemiſtichij huius membro laudatur Dominus* GHVZI, adiutor meus, *fortitudo mea ad victoriam; ad periculum*

culum verò vitandum MAGEN, clypeus meus; *idem nomen aliàs ab*
Pſal. 3. *interprete noſtro redditur* Suſceptor meus: MAGEN BAGHADI, Tu autem Domine ſuſceptor meus es: *hîc*, protector meus. *rei ipſius explicatio tranſlationem tenentibus facilis eſt.* In ipſo ſperauit cor meum] *deliberatam, certam, & ex animo verè firmatam, fideq́ fultam fiduciam cordis nomen vſurpatum ſignificat, à quô cogitationes exeunt omnes; fiduciæ verò conſonans, euentum reſpondiſſe ait:* & adiutus ſum. *Neque verò diuinum adiutorium vel negligente vel ingrato aut obliuioſo exceptum fuiſſe animo (quo vitio vtinam non multi laborarent hominum!) imò potiùs alacriter & gaudenter atq; hilariter agnitum, atque decreto ſupplicationis carmine dicando & celebrãdo, à ſe publicatũ refert.* & refloruit caro mea] *Carnis nomen cor ipſum hîc ſignificat, vtpote carnis imperium obtinens. id quod ita explicandũ exemplaris lectio monet.* VEIAGHALAZ LIBI, & exhilaratum eſt cor meum. & ex voluntate mea confitebor illi] *Confeßionem dicato carmine intelligimus: namque illud* ex voluntate mea *ad indicandam vim coniugationis* ITHVADENV *à Latino interprete fuit adſcriptum:* HITHVADAH, *ſponte, vltrò, & ex voluntate laudare ſiue confiteri ſignificat. ex verbo autem,* VMISIRI ITHVADENV, *ita ſonat apud nos,* & ex cantico meo ſponte libens atque lubens confitebor illum. *Iam verò ex ſingulari ac priuata ſua re & cauſſa, quam peroratam ducit, ad publicam ex more tranſiens, diuinæ benignitatis conſtantiam prædicat, & voluntarium propoſitum de publica hominum ſalute promouenda ac demum conſummanda & præſtanda commemorat: cuius propoſiti argumenta, perpetua fuerint beneficia piis & fidelibus cultoribus opportunè ſemper collata. id quod proprium perpetuúmque Domino eſſe, quare & numquam omittendum defecturúmue eſſe ait.*

8. Dominus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſaluationum chriſti ſui eſt.

עוז Dominus fortitudo] GHOZ, firmitudo. *cuius vnica & efficace ſoliditate pius innititur & firmatur populus.* & protector ſaluationum chriſti ſui] *Qui vncto ſuo regi virtutem ſufficit & cumulat ad ſalutis victoriam, atque adeò ad multa ſalutis exempla, tam ſpectata antea quàm & ſpectanda in poſterum. Suæ enim quoque miſericordiæ, benignitatis, & auctoritatis partes Dominus agit, dum omnibus in temporibus ei, quem ipſe delegerit regem, delectumq́ vnxerit, præſentem, efficacem, promotorem, amplificatoremq́ ſe præbet;* MAGHOZ IESVGHOTH.
עזה *Ab eodem verbo* GHAZAH, *quod eſt* firmare *&* firmum eſſe, *nomina duo in hoc verſu vſurpata ducuntur,* GHOZ, firmitudo *ſiue* firma fidu-
מעוז cia, *&* MAGHOZ, corroboratio *ſiue* fortificatio, *& murimen atque columen. Prius illud à Salomone quoque ſæpius vſurpatum: vt,* Turris

GHOZ

GHOZ firmiſſima nomen Domini: ad ipſam currit iuſtus, & exaltabitur. *Poſterius etiam*, MAGHOZ, fortitudo ſimplicis via Domini: *contra verò*, & pauor iis, qui operantur malum. *Vt autem hoc proprium, gratum, & carum Domino, propoſitum illud videlicet de populo ſibi ex omnibus gentibus deligendo, curando, ſeruando, fouendo, & amplificando (ad quod vniuerſale & ampliſſimum conſilium beneficia omnia priuata ac ſingularia referuntur) ita communi cum piis omnibus voto à Vate noſtro etiam in ſuæ partis & petitionis fine commendatur.* Prou 18. Ibid. 10. Dei propoſitum de ſalute hominum.

9. Saluum fac populum tuum, & benedic hereditati tuæ: & rege eos & extolle eos vſque in æternum.

Communem publicamq́ hominum ſalutem votum hoc reſpicit; alluditq́ ad antiquam imaginem Iſraëlis Aegyptiaca olim ſeruitute oppreſſi, atque diuina liberati virtute. & benedic hereditati tuæ] *benedictione illa Abrahamo promiſſa*; Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ; *eademq́ ab Apoſtolis demum agnita & prædicata:* Vobis primùm Deus ſuſcitans filiũ ſuum, miſit eũ benedicentẽ vobis; vt conuertat ſe vnuſquiſque à nequitia ſua. Et rege eos & extolle eos vſque in æternum] *Magnum myſterium tangit ſingularis curæ atque benignitatis & prouidentiæ, qua Deus à ſe per Chriſtum ſeruatos, & in filiorum conſcriptos ius, afficit, exornat, & promouet; vtpote* non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, *verùm* ex ſe Deo natos. *Hos enim ipſe vt proprius bonúſque paſtor ac Dominus regit, & ſuſceptos extollit vſque in æternum: iuxta id, quod prædictum promiſſumq́ eſt,* Oues meas nemo rapiet de manu mea. Rege eos] ROGHAM, paſce eos: *à paſtoribus tranſlatum verbum ſicut ſæpe aliàs.* & extolle eos] VENOSAM. NASAH, tollere, ſuſcipere, ſuſtentare, amplificareq́ *ſignificat. Cum quo loco ac voto & illud Apoſtoli conuenit:* Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto IESV, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum in ſuſtentatione Dei [*id eſt, vt ſuſtententur à Deo*] ad oſtentionem iuſtitiæ eius in hoc tempore, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui ex fide eſt IESV Chriſti. AMEN. Gen. 22. Act. 3. Singularis Dei erga ſanctos cura. Iohan. 10. Rom. 3.

IN PSALMVM XXVIII.

GABRIELI PALÆOTTO S. ROM. ECCLESIÆ CARDINALI SALVTEM PLVRIMAM.

TE multarum diſciplinarum peritiſſimum, cum primiſque pium atque pietatis commendatorem ſtudioſiſſimum, complura tua teſtantur ſcripta, doctè & accuratè elaborata, ac per antè acti æui tempus continuatis operibus edita ad felicem vſque ſenectam iſtam; quam pulcherrimis De ſenectutis bono libris ita adornaſti ac decoraſti, vt ætatis huius incommoda, quæ plurima ab aliis improbantur & horrentur ſcriptoribus, nobis iam quoque ſenioribus commoda & optanda te diſſerente putentur, imò & foueantur, libentiuſque deinceps ferantur, quæ tantis reperiuntur permixta bonis ac laudandis meliorum in vita rerum vſibus. Hanc autem, quæ iam nunc potior à ſenectute ſtare debet, ſententiam, ingenio atque doctrinæ iſti, præcipuè verò pietati & ſacrorum oraculorum lectioni & cognitioni, cui bonam diutinam dediſti operam, acceptam referendam arbitror: quippe quorum oraculorum luce atque ope, quæ rectè, quæ perperam, quæ mediocriter in omnibus diſciplinis atque ſcriptis aliàs dicta offendere eſt, diſtinctè & clarè ſuis quæque diſcreta momentis & ponderibus diiudicata cernuntur, quantoque ſingula ad bonum humanæ vitæ vſum vel pretio vel vilipendio digna fuerint, definiuntur. Macte igitur virtute ſenex optime eſto; & quantum ſtudiis, exemplis, & auctoritate Chriſtianæ doctrinæ amatoribus profuiſti, tantundem quoque bonarum artium & ſimplicitatis virtutiſque Chriſtianæ ſtudioſis patrocinio fauere ac prodeſſe perge: in quorum numerum ſanctæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ beneficio me receptum & conſcriptum, tibi etiam gratum conſtare gaudeo, ac mihi gratulor: huiuſque ornamenti pignus à te nominatim acceptum.

acceptum, hoc eſt, librum aureum De ſenectutis bono, inter amicorum pretioſiſſima monimenta conditum ſeruo, identidemq́; repetendo amplector & relego. Cuius apophoretum, tametſi magnitudine atque ſcribentis ingenio nullo pacto comparandam opellam noſtram commentariolum tibi obſeruando ſemper nobis Patrono deſtinamus, quod in Pſalmum *Afferte Domino filij Dei*, in receſſu meditabamur noſtro, perpetuæ tui, vbicumque ſimus, memoriæ teſtimonio, & obſeruantiæ erga dignitatem tuam futurum argumento. Vale, ex Rupe Aracenenſi, v. Kal. Nouemb. cIↃ. IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

HVmanum genus poſt vitium ex primorum parentum improbitate acceptum, in duas tantùm ſummas diuiſum proceſſit partes: vnam potentiorum, alteram verò humilium ac tenuiorum hominum: prioris varij ordines varijq́; habentur gradus, Regum, principum, præfectorum, magiſtratuum varijs ornatorum titulis, procerum, diuitum, opulentorum: poſterioris verò duæ tantùm factiones in ſumma cenſentur, modeſtiorum, & inſolentum. Prioris partis illi omnes à poſteriore ſe ſuſpici, obſeruari, & coli, interdumq́; tamquam Deum adorari debere contendunt: id quod ſi ſponte ac libenter factum non obtineant, vi & potentia extorquere ſtudent, nec raro extorquent. Hæc in eiuſdem naturæ ac formæ animantibus perpetuò ferè notata & ſpectata inæqualitas, cauſſas dedit ad controuerſiam atque diſputationem de cura, prouidentia, atque gubernatione diuina erga humanas mortalium res: ex quibus variæ ſententiæ diuiſæ, varijq́; exorti mores, diuerſaq́; extitere ſtudia: potentioribus plerumque per ſtultitiam, honoris & ſublimitatis prærogatiuam vel ſanguini vel factis proprijs ac geſtis vel felicitati ſingulari tribuentibus: humilioribus partim eadem ductis ſiue ſeductis opinione; partim verò contrà ſentientibus, & ſe peregrinantum in terra nomine vocantibus, atque ex conſequenti Deo ductori permittentibus, & certis quidquid erit pati potiùs quàm à vera virtute & probitate deficere, melioris demum vitæ atque ſortis fide animatis & ſpe fultis expectationéque attendentibus. Atqui illorum priorum ſententia ſapientiæ prætextu eò proceſſit erroris, vt quamquam Deum minùs inficiaretur, tamen vt animum & ſpiritum à corporum natura prorſus ſeiunctum, crederet nec in res corporeas duriores ac ſolidiores vim efficacitatemq́; ſuam exercere, nec voluntatem curamq́; velle impendere. Solida & firma ac dura à tenuiſſimis & leuiſſimis liquidiſſimisq́; nec moueri nec affici nec pati. Nullam autem naturam quæ corpus habeat, cum ſpiritus animiq́; diuini tenuitate poſſe comparari, quare neque

Humani generis partitio.

Potentiorum factio.

Proborum mens.

De Deo prouidentia quorũdam error.

confige-

confligere nec ex conflictu ſuperare. Firmitudinem & infirmitudinem in rebus quidem eſſe, tamen corporeis, & hanc illi ſuperatam cedere; eandémque iudicij rationem in rebus hominum tenendam eſſe, vt qui minores humilioresq́; ſint, maiorum & ſublimiorum vim & ſeruitutem vel ſubeant vltrò vel metuant, & quamuis inuiti experiantur. Ideo enim potentiſſimos ELIM, *id eſt*, fortes, potentes, valenteſq́; *vocari: Dei verò & ſublimium ſpirituum nomina, alia atque alia in aliis eſſe linguis; Iſraëlitas, qui Deum ſuum in cælo habitare dicebant,* IEHVEH *nominare ſolitos;* IEHVEH *verò vocem merum repræſentare & purum ſpiritum, tenuem, ſuauem, blandum, à corpore alienum: idq́; in illorum arcanis eſſe ſignificatum, Deum videlicet illum* IEHVEH *non impetu nec vehementia, nec viribus & fragore definiri, ſed leniſſimæ auræ imagine vtcunque deſcribi. Se verò* ELIM fortes, *virtuti, nobilitati, atque felicitati ſuæ gloriam & laudem tribuere oportere. Huiuſmodi excogitatæ ſententiæ rationes, argumentis ex eodem ferè loco productis, in hoc Pſalmo euertit Vates; & potentiorum greges omnes ad vnius* IEHVEH, Domini, *cognoſcendam veritatem, virtutem, & fortitudinem: & non in ſublimes & vltramundanos tantùm ſpiritus, verumetiam in omnia maxima, duriſſima, firmiſſima, & robuſtiſſima corpora efficacitatem, iuſſu & nutu ſuo, atque leuiſſimi & molliſſimi corporis obſequio & opera, aſſiduis experimentis manifeſtam, atque ex conſequenti humanarum rerum certam curam & gubernationem: quorum certa doctrina inſtructos etiam potentiſſimos quoque, ſeſe Deo* IEHVEH *ſubdere ac regendos tradere, & omni obſequio parêre, atque communibus in vniuerſum cum tota mortalium gente laudibus dicare oportere concludit. Cuius à nobis indicati & à Dauide ſublimi ſtylo perorati argumenti ratio, ab huius Vatis filio Salomone in breuiſſimam coacta fuit, ſed ſignificantiſſimam ſummam.* Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & ſubuerti iuſtitiam in prouincia, non mireris ſuper hoc negotio: quia excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alij, & inſuper vniuerſæ terræ rex imperat ſeruienti.

Potentiores ELIM dicti.

Eccls. 5.

I. Pſalmus Dauid.

Inſcriptionum in Pſalmis ratio.

P*Rimi verſus prærogatiuam inſcriptio in Pſalmis occupat: quæ cum cæteris verſibus vnà canebatur. id quod ex numeris & accentibus comprobare licet. Continent autem inſcriptiones auctoris nomen plerumque, interdum etiam argumentum ſiue occaſionem Pſalmi: quæ vt ne prætermiſſa aut neglecta exciderent, & numeris pedibuſq́; concinnari, & accentibus ad canendum diſtingui conſultum fuit. Hîc auctor tantummodò indicatur.*

Afferte

Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum: afferte Domino gloriam & honorem.

Potentiſsimus quiſque in primæua lingua EL *vocatur: namque nomen ipſum vim, robur, facultatem, præſtantiamq́ſignificat. atque ita oratio illa,* IESLAEL IADAI, *idem valet atque, robore, manu, virtute & facultate præſto. ita præſtantiam ſuam Iacobo genero Labanus olim iactabundus laudabat.* IESLAEL IADAI LAGHASOTH GHIMACHEM RAGHA. Valet manus mea facere vobis malum. *Potentiæ itaque vel* VALENTIAE *ſignificationem nomen hoc ſibi arrogat: atque optimo iure Deo, cùm eiuſmodi poſtulat ratio, tribuitur. Idem verò nomen ad arietes, non quoſlibet promiſcuè, ſed gregum patres, transfertur ſignificandos, & ad portarum ſupercilia ſiue epiſtylia, quæ limina etiam ſuperliminariáue dicuntur: in qua ſignificatione frequens apud Ezechielem reperitur. Ex quibus rationibus duas in hoc verſu interpreti noſtro Latino commodè vſurpatas accepimus, qua Deus, & qua ſignificatur aries, atque vnam eandemq́ orationem ad vtrumque relatam ſignificatum. Atqui potentiorum hominum concepta ſuperbia, accedente etiam, quæ illis inſeruit, palponum & adulatorum aſſentatione, eò vſque perſæpe dementiæ inflatur & intumeſcit, vt nihil ſibi arduum arbitrata cælum ipſum quoque audeat petere, pro Deoq́ duci, coli, & adorari ſe ab hominibus poſtulet.*

אל — Gen. 31. — Potentiorum inſana ſuperbia.

Præſenti tibi (*inquit ille*) maturos largimur honores,
Iurandaſque tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum aliàs, nil ortum tale fatentes.

Horat.

Plenæ ſunt complurium ſcriptorum chartæ iſtiuſmodi inſaniæ argumentis ac notis. Qui verò modeſtiùs iſtis agere optarunt, non ſeſe ELIM, *id eſt,* Deos fortes *vocari patiebantur; verùm* BENEI ELIM, *id eſt,* Deorum filij, *audire gaudebant. vnde illud Heroum permagnificum confictum nomen:* L, *in* R, *affinem tranſeunte literam,* EL ΥΙΟΣ, ΗΡΩΣ *dictum. Hinc illud,*

Deorum filij. Heroum nomen.

Seu Deos, regeſque canit, Deorum
Sanguinem: per quos cecidere iuſta
Morte centauri, cecidit tremendæ
Flamma Chimęræ.

Horat.

Vtcunque demum res habeat, quæ ſua ſponte vanitas mera eſt, vſque adeò proſperitate dementatos complures conſtat homines, vt poteſtatem à Deo aliorum hominum regendorum & fouendorum atque in humanæ ſocietatis officio continendorum cauſſa inſtitutam & traditam, nomenq́ ipſum poteſtatis EL *vel abſolutè vſurpare ac ſibi proprium iactare, vel cum Deo ex æquo communicatum defendere non dubitauerint; illiuſmodiq́ aſſentationibus aures aſſenſumq́ præbuerint:*

Poteſtas omnis à Deo.

Diuiſum imperium cum Ioue Cæſar habet.

Vſque adeò nil eſt, quod credere de ſe
Non poſſit, cùm laudatur Diis æqua poteſtas.

Iſtiuſmodi igitur morbum ex amore ſui natum, artibus & incantationibus adulatorum adauctum, veris ac melioribus verbis & carminibus lenire, curare, pellere, & ad ſanam & firmam valetudinem deducere ſtudet hoc Pſalmo Vates; eos omnes, qui patiuntur patíue poſſunt, exhortatus admonenſq́, dignitatem auctoritatemq́ ordinis ac muneris vniuſcuiuſque vni ſoliq́ adorando, colendo, metuendo, amandoq́ Deo acceptam tribuere; atque illius maximam præſtantiam confeſſione, ſupplicatione, atque laudibus celebrare: & quoniam poteſtatem tanquam Dei inſtitutionem obſeruare, atque Rom. 13. *honeſtè compellare fas æquumq́ eſt,* (cui honorem, honorem: cui tributum, tributum) *principes, reges, duces, ſublimiorisq́ inter homines ordinis omnes, quos oratio, admonitio, & ſuaſio hæc præcipuè tangit, nomine ſuo ritè appellatos & ad audiẽdum dicentiq́ placidè auſcultandum ſibi primùm conciliare intendit. In ipſo autem exordio, totius carminis argumentum breui proponit ſumma; & orationis indicat ſuaſorium genus, dum ab imperatiuo ſiue exhortatorio verbi modo dicere ac pronunciare incipit. Eſt autem dicendorum propoſitio illa; Potentiſſimos hominum, potentiæ, auctoritatis, ac dignitatis prærogatiuam ſuæ vni Domino vt excellentiſſimo concedere ac tribuere propriam, & eidem reſignare, ſeſeq́ totos, quidquid ipſi ſint, illi vni acceptum tribuentes tradere. Huius verò agnitionis argumento ac ſigno & pignore ſiue feudo (vt vtrique interpretationis Latinæ formæ ſatisfiat)* Filios ELIM, *quos alloquitur, aliorum, qui eodem funguntur nomine,* ELIM, *id eſt,* arietum filios afferre, *ſiſtere, & mactare Domino adhortatur.* Vos filij ELIM, Dei *ſiue* Deorum, (*nam plurale nomen eſt) ſiue* fortium *vel* valentium Domino IEHVEH; *quem germana nominis ratio mitem, benignum, miſericordem, efficacem beneficij potiùs quàm vehementem, robuſtum, aut minacem, ſignificat. tamen vt reuera potentiſſimo eidémque valentiſſimo, ac præſtantiſſimo,* ELIMq́ *omnium auctori, principi, & imperatori,* afferte *debitum confeſſionis & conceſſionis munus ac præconium & encomium.* Afferte] HABV. *Verbum* IAHAB, *quod variè ab interprete noſtro vertitur, interdum* venire, *interdum* dare, *nonnunquam, vt hîc,* afferre *explicante, hoc* נתן *differt à* NATHAN, *id eſt,* dare *vel* donare, *quòd hoc commune magis & generale eſt, & quocunque modo præbere ſiue dare ſignificat: illud verò* IAHAB *dare etiam ſiue afferre, ſed id præſertim, quod ipſius, qui dare* Gen. 11. *poſtulatur vel dat, intereſt. vt illud,* Venite, & faciamus nobis ciuitatem ac turrim. *&,* Venite, & ſapienter opprimamus eum. *Vtrobique idem verbum* HABV *eodem pronunciatur modo, quo nunc à Vate noſtro. Si* CEDO verbum. *quod apud Latinos huic affinem ſui præbet vſum, id fortaſſis fuerit* CEDO. *Quid verò Domino benigno, clementiſſimo, & mitiſſimo, ac patientiſſimo afferendum cedendúmue exigat & conſulat, è veſtigio exponens adiungit;* afferte Domino gloriam & honorem. *Duas res afferre & cedere monet:*

KABOD,

KABOD, gloriam *ſiue* amplitudinem & maieſtatem: *quæ propriè ac germanè Domino tanquam ſupremo debetur; ſecundo loco parentibus legitimè adſcribitur:* KABOD ABICHA VEIMECHA, Honora patrem tuum & matrem tuam: *atque ex horum analogia regibus ac principibus, tanquam à Deo miſſis, & communibus ceterorum hominum patribus. Hinc illud:* Dominus ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium KABOD, gloriæ, teneat. *Altera, quæ cedenda exigitur, res dicitur* GHOZ, fortitudo, robur, firmitudo, *& incomparabilis virtus atque præſtantia. de quo nomine eiuſdemq́ coniugato* MAGHOZ *in ſuperiore proximo diſſerebamus Pſalmo. Solent autem huiuſmodi ſiue confeſſiones ſiue agnitiones & conceſſiones vel ad gratulationem & ſupplicationem exigi; vt,* In templo eius omnes dicent gloriam; *vel etiam ad ſingularis cuiuſpiam ſupplicis culpæ manifeſtationem: vt quod à Ghachamo anathematis reo Ioſue poſtulabat:* Fili mi da KABOD, gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere atque indica mihi quidquid feceris, ne abſcondas. *Vtrouis autem iure ac pacto vtramque rem, hoc eſt, gloriam & honorem,* KABOD *&* GHOZ, *Domino* IEHVEH *debita, à Principibus reddi poſtulat Dauid; vel, quod optimum fuerit & ſaluberrimum, ex agnitione auctoritatis ab illo acceptæ, vel certè, quod in procliui eſt, ex metu ac pauore ſupremæ maieſtatis & validiſſimæ virtutis illius; quæ vel ſola edenda ac vehementiùs intonanda voce, maxima & ſuperbiſſima quæque terrâ ac mari turbare & euertere poteſt, nedum variis, quos habet, inſtructiſſimis immittendis exercitibus, ac ſuæ voluntatis miniſtris inuictiſſimis, quidquid velit vertere & conuertere poſſit. vtcunque verò velint aut agant homines, gloriam Domino deberi ait: quam vt agnoſcentes concedant, vel ſponte, vti par eſt, vel ex metu, quod non perinde laudabile tamen neceſſarium fuerit, identidem monentur.*

[Margin: כבוד — *Exod. 20.* — *1. Reg. 2.* — עֹז — Confeſſionum cauſſæ. — *Pſal. 28.* — *Ioſue 7.* — Gloria & honor Deo debita.]

2. Afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio ſancto eius.

Quamquam enim IEHVEH *numen, quo præſertim apud Iſraëlitas indigetatur Deus, lenitatem, bonitatem, & amorem atque beneficentiam præcipuis complectatur ſignificandi rationibus, tamen poteſtatis ac virtutis & efficacitatis auctoritatiſq́ omnis in cælo & in terra numen ac decus omne ſibi vendicat: id quod, cùm opus eſt, & iuſtitiæ ac ſapientiæ maieſtatiſque vſus poſtulat, vel ſola declarat voce. Huic igitur nomini* IEHVEH afferte gloriam SEMO, nomini eius. SEM, nomen *Latinè dicitur: verùm in ſacra lingua illud propriè dicitur* SEM, *quod rei, cui inditum fuerit, naturam, ingenium, vim efficacitatemq́ declarat, vel ſui definitione continet. Atque ita de Adamo narrans Moſes,* Omne, *inquit,* quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. *Atqui Dei*

[Margin: שֵׁם — Nomen. — *Gen. 2.*]

Nomen Dei. *nomen illud ab eiuſdem natura non diſtinguitur, nomen, inquam, quo ſeſe Deus appellat: non quòd illius virtus ex literis conſtetur elementaribus, ſed quòd ex virtutis gloria & magnitudine nominis illius ratio profecta, ſignificationem mortalibus labiis non pronunciabilem illis arcanis literis vtcunque adumbrat; exactè autem, & vt in ſe habet, ab ipſo Deo ſpiritu, humano ſpiritui, hoc eſt, imagini ſuæ, communicandam. Cui nomini non tantum vt lingua proferendo, quantum vt animo ac mente ſuſpiciendo, decus, gloriam, & adorationem, vtpote ſanctiſſimæ ipſius naturæ, decet atque etiam oportet exhibere ac tribuere.* In atrio ſancto eius] BEHADERETH KODES. in pulchritudine ſanctitatis, *ſiue*, in decore ſanctitatis. Sanctum *ſiue* KADOS *dicitur id, quod vulgaribus & communibus ita præeminet, vt nullam ſecum comparationem vel compoſitionem concedat: idq́ Latinè* ſanctum *ſiue* ſegregatum *ſiue* ſecretum *nominatur.*

קדש Sanctum.

Sanctitas Dei. *Summam verò ſanctitudinem, id eſt, ſummam in omni laude præſtantiam cum nulla alia natura componendam Domino tribui, ſua ipſius Maieſtas postulat, & cæleſtium ſpirituum ſupremi confitentur ordines:* Clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum; plena eſt omnis terra KEBODO, gloria eius. *Quod Latinè dici poteſt*, ſummum ſanctitatis decus, *in primæua & exemplari lingua dicitur*, HADERETH KODES, pulchritudine ſanctitatis. *Eſt autem nomen* HADERETH *non parum voce ſimile nomini* HHEDER *interiorem domus partem ſignificanti: pro quo interpres noſter aliquando* cubiculum, *interdum, vt hic* atrium *reddidit, intelligens omnes quotquot ſunt principes* Dominum in atrio ſancto illius adorare debere.

Iſai. 6.

חדר

Adoratio Deo debita. *Adorationem autem, quæ verbo* HISTHAHAVAH *ſignificatur, reuerentiæ & obſeruantiæ atque pietatis cauſſa Deo tribuendam, diuinæ præſtantiæ ratio iuſq́ exigit: quamquam idem verbum & in maiorum aut principum aut communitatum ſalutationibus vſurpetur. Monet itaque principes omnes, diuinæ maieſtatis pulchritudinem, decus, & ſanctitudinem non ſolùm animo ſuſpicere, obſeruare, ac reuereri, ſed corporis etiam geſtu atque habitu procumbentes ac ſupplices adorare; vti natura ſublimem & potentiorum omnium potentiſſimum imperatorem, potentia non tyrannica, ſed pulcherrima atque decentiſſima ſanctum, id eſt, ab omni comparatione ſemotum. Et quidem nomen ipſum* IEHVEH, *pronunciatum, lenitatem potiùs ac tenuitatem ſpiritus elementis ipſis præferre videtur: conſtat enim Iod litera minima ac tenuiſſima, He merè leni priore, & Vau conſonantum blandiſſima, & poſteriore He leni etiam. atque ita quod ex his conflatur nomen, ſummam lenitudinis in eo, cui ſignificando tribuitur, vltrò promittit. id quod proprium ſpiritui eſt omni, & huic maximè, qui ſpirituum omnium, vt ita loquamur, ſpiritualiſſimus in ſe ipſo eſt. Nihil igitur duritiæ, nihil rigoris in ea videtur eſſe natura, cuius vel ipſum elementare nomen nulla pronunciandi parte ſui durum, tardum, rigens, aut notanter ſolidum quid ſonat. Quæ profectò argumentatio, quatenus duritiem,*

Dei potentia.

Nomen יהוה

Dei lenitas.

ritiem, rigorem, moleſtiamq́ à nomine pariter & à ſignificato excipit, conſentaneis rationibus apparet inſtructa; verùm enimuerò contra vim, efficacitatem, ac vehementiam, & inſuperabilem impetum, nihil prorſus agit, nulloq́ pacto, quam inſtituimus reſoluit literæ. Namque vt duritiem ac denſitatem reliquis literarum concedere liceat elementis, tamen ſpiritus prærogatiuam quatuor illa ſacra vendicant elementa, IHVH, *vnà cum primo ceterarum literarum fundamento & principio, quod eſt Iod. Continet* Spiritus diuini prærogatiua. *itaque nomen illud ſacroſanctum & principium omnium primum, & ipſam ſpirituum omnium originem: nullum enim aliorum ſine ſpiritu proferri, pronunciari, aut ſonare, quicquámue valet efficere. Atque ex conſequenti nomen ipſum ritè pronunciatum, rerum omnium, quæ ſignificari per litteras poſſunt, principium atque etiam ſpirituum omnium originem, theſaurumq́ ampliſſimum & inexhauſtum illum eundem eſſe indicat, cui ſignificando nomen hoc traditum conſtat. Ex qua ratione atque auctoritate illud non ſemel Domino eidem tributum celebratur.* Prouideat EL *Num. 27.* ELOHEI HARVHHOTH LECHOL BASAR. Fortis Deus ſpirituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire & intrare ante eos, & ducere eos vel introducere: ne ſit populus Domini velut oues abſque paſtore. Dixitque IEHVEH ad eum, *&c. Principium itaque rerum omnium Dominum, eundemq́ ſpiritum, atque adeò ſpirituum cunctorum theſaurum eſſe, vel ipſa nominis pronunciatione ſignificatur. Præterea nihil in rerum natura ſine ſpiritu aut mouere, aut moueri, aut efficere quicquam poſſe, diuina cumprimis docet philoſophia, & manifeſta perpetuaq́ commonſtrat experientia. Quòd ſi efficacitas omnis ac dexteritas propriè ac legitimè ſpiritibus tribuitur, id, quod in ſpirituum natura præſtantiſſimum & ſummum fuerit, iure optimo efficaciſſimum ſtatuendum eſt. Summus autem ſpiritus atque excellentiſſimus declaratus eſt Dominus, quare & ſummæ efficacitatis vendicat laudem, qualem à præſtantiſſimo antiquorum quondam Vate iterum audiebat.* EL ELOHEI RVHHOTH. FORTISSIME Deus ſpirituum *Ibid. 16.* vniuerſæ carnis, num vno peccante, contra omnes ira tua deſæuiet? *Operæpretium verò fuerit antiquæ Iſraëlitarum religioſæq́ meminiſſe conſuetudinis, quæ adhuc apud illorum ſcriptores obſeruatur, videlicet nominis illius diuini* IEHVEH *non paſſim vel temerè vel vulgaribus in* IEHVEH nomen ineffabile apud Hebræos. *ſermonibus proferendi. quæ religio ex illo nata eſt vetito,* Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. *Inde autem factum & in vſum atque morem conſtat receptum, vt frequentiſſimè loco illius arcani nominis* *Exod. 20.* IEHVEH, *generale vocabulum* SEM, *id eſt,* NOMEN, *vſurparetur. Vocatur itaque Deus per excellentiam* SEM, *id eſt,* nomen, *vtpote cu-* SEM .i. Nomen pro IEHVEH. שם *ius natura & proprium nomen idem ſit; & verè ac germanè abſolutéque* SEM *idem ſolus Deus & nihil præter Deum ſit, ac dici iure poſſit. Vox verò hæc* SEM *ex proprio etymo naturam, virtutem, efficacitatem, veritatem, locum, capacitatem, certamq́ conſiſtentiam ſignificat. quæ omnia*

proprio ac ſupremo iure vnus Deus eſt: cetera verò quidquid ex his habent aut ſunt, ab illo vnico ſortiuntur. Latina lingua vocabulum SEM *quo interpretaretur, nullum commodius quàm* NOMEN *habuit, quamquam vt non ex pari ſimiliue ratione, ita nec ex ſimili origine ductam vocem: ſiquidem* NOMEN *ab* ὄνομα *Græco traditum vſurpauit.* ὄνομα *verò à Cymbrico verbo* nemen, *quod* accipere *&* participare *ſignificat, deductum habetur: quòd vnaquæque vel natura vel res, quam ſortita eſt vniuerſi partem, eam nomine illo contentam & inuolutam ſignificet. Longè verò diuerſa hæc & vox & ratio ab etymologia* SEM: *quia* SAM *verbum iiſdem elementis conſtans,* ponere, dare, firmare, *potiùs quàm* accipere *&* participare *ſignificat. id quod ſingulari iure ſolus vendicat ac tuetur Deus, diſtribuens ſingulis prout vult: cetera verò ſuas vnumquodque ab eodem acceptas partes in commune ac medium vniuerſi certis ac definitis conferunt & ponunt vicibus; ex eoq́ participato iure, vocabuli quoque* SEM, *id eſt (vt Latinè interpretari licet)* nominis, *participatione fruuntur: ex eademq́ ratione illud eſt;* Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. *Itaque vocabuli* SEM *prærogatiuam vni Deo propriam, frequenti & abſoluta nuncupatione Iſraëlitæ celebrabant, hodieq́ celebrant. id quod in alias verſum linguas, non aliter ſonat quàm vocabulum commune illud quod vnoquoque ſermone ad rem in genere ſignificandam vſurpatur. vt apud Græcos* ONOMA, NOMEN *apud Latinos,* NAMEN *apud Cymbros. Et quidem nominis vocabuliq́ cuiuſcunque genus apud Chananæos eſt,* KOL, *quæ Latinis* vox *dicitur. Namque in definitione* nominis *primas partes* vox *habet: dicimus enim,* Nomen *eſt* vox *rem quampiam ſine temporis notatione ſignificans. Igitur vt humanæ ſapientiæ ſtultitia ſuo in foro atque in ſuæ generationis cauſſis ingenioſa & acuta eſſe ſolet, qui principes huius mundi habebantur & eſſe volebant, cùm ea quæ ſub cæli continentur ambitu, ſui proprij vel hereditate obtenti vel induſtria parti iuris eſſe contenderent, ac perſuadere ceteris conarentur, corpora omnia à ſpiritu differre & corporeæ potentiæ obnoxia ac ſubdita eſſe parereq́ oportere aiebant: ſpirituum verò naturam vt à corporibus longè diſiunctam ſeorſum agere, & alicui ſpirituum ſupremo obtemperare numini, quiſquis ille ſupremus fuerit ſpiritus; vt qui ab Iſraëlitis celebraretur & aſſereretur præſtantiſſimus, qui vel ipſis appellationis vocabulis merus indicabatur ſpiritus; ſiue ille, vt iam diſſeruimus,* IEHVEH *audiret, ſiue, vt vulgò nuncupabatur,* SEM, *id eſt,* NOMEN *quod etiam* vox *ſiue vocis quædam forma dici poſſit. Atqui vocem nihil aliud eſſe quàm ſpiritus ex animalis ore prodeuntis ſonum ſiue ſonitum & ſtrepitum quẽdam: ita ſiue rei ipſius natura ſiue nominis ratio & prolatio vel vtrumque ſpectaretur, Deum ſpiritum eſſe declarari; ideoq́ nunc* IEHVEH, *nunc verò* SEM, nomen, *atq; ex conſequenti* vocem *appellari; quòd ſi vtrumq́ coniungeretur* IEHVEH SEM, Domini nomen *ſeu* Domini vocem *dici. Iſtiuſmodi bicipitem humanæ ſapientiæ atque ſuperbiæ oppugnationem,*

[Margin notes: Nomen. ὄνομα. *Nemen* Cymbricũ vocabulũ. שם — *Pſal.*146. — קול Vox. Nominis definitio. Potentiorum inſana ratio de Dei potentia.]

nem, aduerſus Dei maieſtatem, auctoritatem, decuſq́; initam, potentiſſimè retundit ac diſſipat Pſaltes, ſuiſq́; ipſorum oppugnantium commentis euertit, ambobus primùm admiſſis atque arreptis argumentis; deinde verò in eos, à quibus iactata fuerint, fortiſſimè ac dexterrimè retortis. Prius argumentum ex nomine IEHVEH *fuerat, quod ſpiritum præferre ac ſonare dicebatur: quod vt auctoritate præſtans & ſuſpici, atque coli digniſſimum, ita conſtanter inſtanterq́; à principio repetitum, laudatum, & ad laudem reuerentiamq́; commendatum eſt. Namque in primis duobus verſibus quater repetitum legitur:* Afferte IEHVEH filij ELIM, afferte IEHVEH gloriam & honorem. Afferte IEHVEH Domino gloriam nomini eius, adorate IEHVEH in atrio ſancto eius. *Poſterius verò argumentum ex vocabulo* SEM *ab induſtriis petitum, & ad nominis genus, id eſt,* vox, *reuocatum, in ſecundo verſu receptum atque à Pſalte aſſertum eſt,* gloriam NOMINI eius. *Eſto, inquit auctor, vtrumq́; nomen ad ſignificationem ſpiritus referri; eſto etiam, quod vt veriſſimum accipimus, credimus, ac defendimus, Deum noſtrum dici atque eſſe* SPIRITVM, *eundemq́; natura leniſſimum ac ſua ſponte mitiſſimum, imò & ſuauiſſimum ac iiſdem nominibus celebrandum cumprimis prædicari, atque talem ſeſe mitibus, modeſtis, & humilibus ac manſuetis præberi; verùm enimuero eundem efficaciſſimum, & aduerſus omnem animorum ſuperbiam, duritiem, & contumaciam, vehementem terribilemq́; affirmamus; idq́; iiſdem iſtis, quæ contrà intenduntur, argumentis euincemus; atque illius arcanum & ſacroſanctum nomen, imò &* NOMEN *quo* SEM *dicitur, atque adeò nominis genus, hoc eſt,* VOCEM *ex illius auctoritate profectam, aduerſariis & impiis atque cæleſtium ſpirituum contemptoribus formidabilem vel inuitis & reluctantibus, reapſe tamen confeſſis, luce clariùs demonſtrabimus. Hæc itaque totius deinceps cõnectendæ & contexendæ diſputationis propoſitio ſumma eſt, qua Dei ſacroſanctum nomen* IEHVEH, *& id, quod illius loco proferri ſolet,* SEM, *id eſt,* NOMEN, *atque huius genus, nempe* vocem *ad ipſum relatam Deum, efficacitate & vehementia valere propter ſignificati ſpiritus numen, virtutem, atque poteſtatem. Efficacitatem verò illam potentibus atque ſuperbis & inſolentioribus terribilem, peruicacibus autem & contumacibus exitialem: contrà verò mitibus, modeſtis, ac piis lenem, benignam, ſalutarem, & ſoſpitalem, ac denique feliciſſimam. Vt verò argumentationis pondus ac vim commodiùs atque expeditiùs teneamus, ſpirituum diuinorum diſtinctionem opportunam huic arbitramur loco. Namque Dei ſiue* ELOHIM *ſpiritus bifariam indicatur; vno modo ille Dei ſiue diuinus dicitur ſpiritus, qui verè purè & eminenter ſpiritus eſt, nihilq́; cum corpore commune aut congener habet: idémque æternus, immenſus, atque adeò Deus ipſe vocatur & eſt, puriſſima natura ac ſanctiſſima puritatis & ſanctitatis omnium aliorum ſpirituum origo & auctor, idemq́; efficaciſſimus, vtpote cuius numine & voluntate quæ ſunt, extitere, cuiuſq́; nutu conſtant omnia. De illo autem ſpiritu multa* Dei ſpiritus.

Pſal. 103. *multa in hanc leguntur ſcripta ſententiam:* Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Sit gloria Domini in ſæculum, lætabitur Dominus in operibus ſuis. *Idem ille etiam ſpiritus* ani-
Animus. mus *apud Latinos dicitur, idémque ita à* IESV *Chriſto appellatus,* Deus
Iohan. 4. ſpiritus eſt. *Altero modo Dei ſpiritus tenuiſsimum omnium in natura corporum vocatur, quod auditu quidem ac tactu ſentiri ab animalibus conceſſum, viſu verò percipere prorſus eſt negatum. Hic, vbi tenuiùs ac pror-*
Aura. *ſus placidè leniterq́ ſpirat,* AVRA, *vbi verò denſiùs vehementiusq́ flat,*
Ventus. VENTVS *Latinis vocatur. Quamquam verò corpore conſtet natura hæc, propter tenuitatem tamen & propter perſpicuitatem ac negatam humanis oculis videndi ſui ſpeciem, commune cum cæleſtibus animis atque etiam cum ſupremo ipſo Deo, non ex naturæ communione, ſed ex quadam rationis atque efficientiæ imagine, nomen obtinuit; vt in antiquiſsima lin-*
רוח *guarum* RVAHH, *in Græca* ΑΝΕΜΟΣ *&* ΠΝΕΥΜΑ, *in Latina*
ἄνεμος *diceretur* SPIRITVS. *quam & imaginis rationem & nominis commu-*
πνεῦμα. *nicationem ita diuinus indicauit Magiſter:* Spiritus vbi vult ſpirat: &
Spiritus. Iohan. 3. vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat. ſic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu. *Eandem vocis in vtroque ſignificato commu-*
Gen. 1. *nionem ad conditi mundi hiſtoriam vſurpauit:* Et ſpiritus ELOHIM
Spiritus vis. ferebatur ſuper aquas. *Vtrumque enim ſpiritum indicare voluit, increatum, æternum, & purum animum, atque alterum creatum ad animandas*
Aquæ duplices. *alteras, hoc eſt, creatas etiam aquas. Namque duplicem quoque in ſacra Philoſophia dignoſcimus appellatam liquorum ſiue aquarum naturam, æternarum ac diuinarum videlicet, & elementalium ſiue naturalium atque in mundi huius initio editarum. Itaque vno eodemq́* Spiritus *nomine duas vocari naturas reperimus, æternam alteram & planè diuinam, imò Deum ipſum corporis prorſus expertem; creatam verò alteram corpore præditam eandemq́ ab auctore, poſſeſſore, & imperatore, Dei quoque appellari* ſpiritum. *Vtrumque igitur ſpiritum Deo ſacræ diſciplinæ tribuunt, diuerſo tamen iure & foro, priorem quidem puriſsimum & æternum incorporeæ compotem ſubſtantiæ identitatis (vt cum dialecticis loquamur) nomine ac ratione: poſteriorem verò creatum & corpore præditum, inſtrumenti*
Dan. 3. *ſiue miniſterij & obſecundationis lege. de quo ſcriptum eſt,* Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.
Spiritus notitia. *Vt autem diuerſa vtriuſque ſpiritus conſtat natura, ſic etiam diuerſa apud homines cognitio: nam qui verus, purus, ac præſtantiſsimus, corporis expers, idemq́ Deus dicitur & eſt ſpiritus, ille ab hominibus Adami veteris*
Animalis homo. *conditionem non excedentibus nullo cognoſci poteſt pacto. S. S. E.* Anima-
1. Cor. 2. lis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi,
Spirituales. & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur. *Cognoſcitur autem ab iis, quibus ipſe ſeſe ipſum donans & inſinuans, cognoſcendi ſui facultatem atque etiam orandi & prædicandi copiam liberali conceſsit beneficio. De vtrorumque hominum diſcrimine ac loco ſic ab Apoſtolo pronunciatum:*

nunciatum: Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes. Vos autem chariſſimi ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei, in Spiritu ſancto orantes. *At verò poſterioris naturæ ſpiritum, vtpote corporeum, non modò ſanctis & corde mundis, verùm impuris & vulgaribus atque iis omnibus, qui animales vocantur, hominibus cognoſcere & audire, ſentire, atque teſtari conceſſum datúmque eſſe, vel illa, modò quam citauimus, à Chriſto ſimilitudine declaratur:* Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis. *Vtriuſque autem ſpiritus apud vtrumque genus hominum diuerſam efficientiam & cognitionem vno cumprimis inſigni exemplo animaduertere, obſeruare, atque exiſtimare, ad interpretationis noſtræ opportunitatem retulerit.* Et cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes [*diſcipuli*] pariter in eodem loco, & factus eſt repentè de cælo ſonus tamquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes: & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Erant autẽ in Ieruſalem habitantes viri Iudæi ex omni natione, quę ſub cælo eſt. Facta autẽ hac voce [*ſpiritus vehementis*] conuenit omnis multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat vnuſquiſq; lingua ſua illos loquẽtes. *Multis autẽ variiſq; modis, corporeus iſte ac ſenſibilis naturaliſq; ſpiritus Deo ad nutũ ſeruit; quos nũc numerare ac perſequi longa magis eſſet quàm benigna materia. ſatis autẽ in genere fuerit affirmare, huiuſmodi ſpiritus nunquã ſine mente ac voluntate Dei nunquam ſuperuacaneum eſſe vſum: quinimo ſemper vel mortalibus opportunã vſurã vel conuenientẽ afferre correptionẽ & animaduerſionem. Vnum autem huius naturæ miniſteriorũ genus, eſt natiua habilitas & promptitudo ad omnes recipiendas, conformandas, ac reddendas vocum formas: vocum, inquam, ab animantibus edendarum, vel ab iis, quibus animantũ inſtar, ſoni, cantus, aliiq; animæ formantur ac referuntur motus: ad quam etiam rationem crepitus & ſtrepitus rerum omnium reuocantur. Namque vniuerſis miniſterij huius formis communem, facilem, & commodam ſufficit ſpiritus materiam. Nec verò animantum ſolummodo vocibus & colliſorum vel alliſorum corporum ſonis recipiendis ac reddendis ſpiritus inſeruit; ſed ipſi etiam Deo Deiq; miniſtratoribus animis, quos angelos vocamus, ad allocutiones habendas, ad reſponſa vaticiniaq; interdum edenda, fingendum formandumq; ſeſe, cùm fuerit opus, præbet. atque id quod effatum vel aliàs inſonuerit ſermo, dictum, locutio, verbum, vel etiam vox Dei ſiue vox Domini appellatur. Cuius rei exemplorum ſancta ſcripta plena ſunt, antiqui præſertim fœderis; in quo, nulla re ſeſe magis pro tempore mortalium ſenſibus primùm, atque ex conſequenti animis, & eſſe & humanas res curare publicè ac palàm probare Deus voluit, quàm allocutione ac voce.* Et acceſſiſtis ad radices montis, qui ardebat vſque ad cælum, erantq. in eo tenebræ, & nubes, & caligo. Locutuſque eſt Dominus ad

Iudæ. *Iohan. 3.* Spiritus diuerſa efficientia. *Act. 2.* Spiritus naturalis Deo ſeruit. Spiritus naturalis miniſteria. Vox Dei. Allocutio diuina. *Deut. 4.*

vos de medio ignis. VOCEM verborum eius audiſtis, & formam penitus non vidiſtis. *Id quod antea factum ita narratur:* Iamque aduenerat tertius dies, & mane inclaruerat: & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangórque buccinæ vehementiùs perſtrepebat: & timuit populus, qui erat in caſtris. *Rurſus poſtea inferiùs:* Cunctus autem populus videbat voces & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumantem: & perterriti ac pauore concuſſi, ſteterunt procul, dicentes Moyſi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Et ait Moyſes ad populum: Nolite timere: vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis. *Vſque adeò verò hæc Deo pro ſæculorum vſu placuit ratio, vt præcepta, quibus humani tunc mores informabantur, VOCIS ſuæ nomine atque elogio dignatus fuerit.* Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. *& rurſus:* Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die quo creauit Dominus Deus hominem ſuper terram, à ſummo cælo vſque ad ſummum eius, ſi facta eſt aliquando huiuſcemodi res, aut vnquam cognitum eſt, vt audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, ſicut tu audiſti, & vixiſti. Si autem audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque cuſtodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus, quæ verſantur in terra. Quòd ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt cuſtodias & facias omnia mandata eius & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, *&c. Quibus teſtimonijs, rationibus, & exemplis docemur, corporeum etiam ſpiritum, ad certa miniſteria ſiue communia ſiue ſingularia expedienda diuinitus informatum,* Spiritum Domini *ſiue* Spiritum à facie Domini *ritè vocari: eundem quoque ad alloquia, ad verba, ad oracula, ad clangorem, & ſtrepitum, denique ad quæcunque mortalium auribus excipi poſſunt ſonitus genera vſurpatum, ab auctore primo* Dei vocem *ſiue* vocem Domini *rectè dici. Id quod cùm potentioribus iſtis, quos corripiendos atque erudiendos Pſaltes appellat, ſæpius auditum notumq; fuerit, conceptam confirmare videbatur opinionem lenitatis ac tenuitatis Dei, corporea hæc & naturalia, quæ ſub cælo ſunt, minùs curaturi minuſq; læſuri, vtpote Spiritus* IEHVEH, NOMINIS *atque etiam* VOCIS *vocabulis nuncupati & indigetati. Iſtis autem cùm illa puriſſima, diuina, incorporeaq; ſpiritus natura ac virtus minimè cognoſceretur, per eam quæ ſentiri & cognoſci poterat, hoc eſt, per corpoream & miniſterialem, ab errore auertendis & ad ſanam mentem reuocandis operam Pſaltes impendit; eam primùm ſenſus tentans partem, quæ pauore ac terrore incuſſo frangi ac domari ſolet, quæq; domita, minore poſtea negotio alteram, quæ ſpontaneum liberalemq; præſtat amorem atque cultum, ſuaderi & allici ſinit. Itaque multus nunc in ea re Pſaltes eſt, videlicet*

Exod. 19.
Exod. 20.
Exod. 19.
Deut. 4.
Ibid 28.
Ibid.
Timor Dei.

delicet in ſpiritus & vocis Dei, quæ ſenſu percipitur humano, declaranda & aſſeueranda virtute & vehementia atque efficacitate ad duriſſima & validiſſima quæque corporum mouenda, turbanda, frangenda, ac debilitanda, atque etiam diſsipanda. id quod ſpectandis aſsiduis effectis & exemplis confirmat, ſpiritus videlicet vel in ſe ipſo cōglomerati ac denſati, validiusque flantis & incumbentis, vel in murmur ac tonitrua colliſi, & vtroque modo humanas mentes conſternantis. Quod quidē argumētum ſapienter à Pſalte arreptum fuit, vtpote intelligente non modò Principes & potentes in terris, verùm etiam eos qui vel diuinam impugnant naturā, vel mortalia curare inficiantur, tonante & fulgetris coruſcante cælo vehementer percelli, pauere, ac metuere ſolitos. Igitur fortiſsimum, efficaciſsimum, atque duriſsima ac ſuperbiſsima quæque frangere, domare, conterere ac diſsipare valētem diuinum ſpiritum, vel ex eo declarari & euinci ait, quòd ſola minoris & corporei liquidique ſpiritus vi, quam tempeſtatibus ciendis, tonitruis edendis, & fulguribus impellendis aliquādo exercet, maris ac terræ orbem totum, nedū membra & partes concuti, tremere, & quaſſari, vel bruta ipſa animalia ſentiant & paueant. Atqui validum vehementemque ſpiritum, Domini vocem *ea, quam adnotauimus, ratione hoc in Pſalmo Vates nominat: cuius cùm robur, impetum, præſtantiamque deſcribat, ſupremæ alterius ac planè diuinæ vocis arcanam virtutem & efficacitatem ex naturæ incomparabili excellentia ſubindicat. in cuius arcani ſignificatione adumbranda, multùm adeò Ezechiel Vates immoratur.*

Spiritus naturalis vis.

Coruſcāte & tonante cælo impiorum pauor.

Diuinæ vocis vis.

Ezech. 1.

3. Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas.

Ab efficientia & vi ſpiritus in aquarum liquorumque elementum & corpus partitionem inchoauit, quòd ea natura, quamquam liquida & mobilis reperiatur, grauiſsima tamen & ponderoſiſsima præ ſpiritus tenuitate ac leuitate deprehenditur; & nihilominus vehementiùs incumbente atque iam ad vocis ac ſoni ſtrepitum conformato ſpiritu mouetur, turbatur, agitatur, & in ſublime tollitur. S.S.E. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus eius. *nec verò flatu & incubitu ſolùm, ſed etiam fragore ac fremitu turbari aquas, & ex conſequenti vires fortitudinemque Dei teſtari & confiteri, ait.* Deus maieſtatis EL KABOD, FORTIS & compos gloriæ, intonuit, *id eſt, maieſtatem gloriamque aſſeruit ſuam intonando, non natura, non ſpiritus ipſe ſua ſponte, nec ſuper lacum breuéue pelagus, ſed ipſe auctor Dominus ſuper vniuerſum mare;* Dominus ſuper aquas multas; *id quod hominibus nec imitari aut aliqua ex parte conari, ſed nec ſuperare ac ſedare valentibus, magnum incutit terrorem, animique efficit inopiam. S.S.E.* Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat. Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.

Spiritus in tempeſtatibus vis.

Pſal. 106.

Pſal. 106.

Robur & decor rarò eidem inſunt corpori.

eſt. *Duæ autem ſiue formæ ſiue qualitates illæ dicantur, laudari ſolent, quæ rariſsimè eidem inſunt corpori ac rei; altera robur & vis atque etiam efficacitas dicitur, altera verò pulchritudo ac decor vocatur. Nam quæ robuſta ſunt, minùs decora & ſpecioſa viſuntur; contrà verò quæ decus concinnitatemq́ præferunt, graciliore viſuntur ac debiliore natura. Hoc in lapidibus, hoc in mineralibus, in variis arborum atque animalium formis hoc idem ſpectatur: Sed & in vocibus ipſis: nam quæ robuſta ac ferrea eſt vox, metalli, quod ſonando repræſentat vim, grauitatem, ac duritiem audientum infert ſenſibus: contrà verò quæ ſuauior molliorisq́ tinnitum ſonans æris, dulcior, pulchrior, ac placidior ad aures peruenit. At verò Dei vocem vtraſq́ omnino partes miro modo atque manifeſtis præſtare effectis affirmat Pſaltes.*

Vocis diuinæ vis & decor.

4. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.

Eiuſdem, quæ in ſuperiore verſu laudata eſt, vocis rationes & efficientias commemorare pergit, quas vtraque parte ſupremas aſſeuerat. Nam ſi robur & vim atque grauitatem ſpectes, KOL IEHVEH BECHOAHH, vox Domini in vi. COAHH *vim, duritiem, virtutem, efficacitatem, ac fortitudinem, firmitudinemq́ Latinè interpretamur: quidquid verò tale dicitur, id in Domini voce, hoc eſt, in ſpiritu in vocem ſonumq́ conformato, reperitur. Sin verò ſuauitatem, pulchritudinem, lenitatem, decorem memores, quod ex hac ratione requiratur nihil in Domini voce quiſpiam excipiet; quippe qua vna cum virtute & efficacitate maxima, maxima etiam concinnitas ac pulchritudo, &, vt in tranſlatione maneamus, exacta ſentiatur modulatio. Verùm enimuerò non omnium ſenſibus atque auribus vtrumque pariter capitur; ſed robuſtorum, ſuperborum & contumacium ſenſus, robuſtiſsimam & ineuitabilem, nedum inſuperabilem, illius vocis experiuntur vim: contrà verò mitium & modeſtorum aures, maximo perfruuntur ſolatio, diuinæ vocis pulchro & concinno audito ſono.* KOL IEHVEH BEHHADAR, vox Domini in decore, in magnificentia, *qua mites & modeſtos afficit animos.* IN *valet idem quod* CVM; *& ad exercitationem efficientiamq́ refertur. Huic doctrinæ illud conſonat, quod ſummus præceptor Dei filius diſcipulis prædicebat ſuis:* Et erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris & fluctuum: areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. Nam virtutes cælorum mouebuntur: & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate. His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. *Ex duabus autem partibus, quibus Domini vox præſtare & valere prædicatur, prior per ſpecies comprobatur & amplificatur: quando nihil in terra natum, tanta proceritate, tanto robore valere inuenitur,* quod

בכח

Vox Dei terribilis, & lenis.

Luc. 21.

quod vocem Domini, hoc eſt, vehementem ſpiritus vim & flatum perferre queat, quin fractum & comminutum diſsipetur ac pereat.

5. Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.

Cedrorum genus omne, proceritatis laudem præ ceteris arboribus vendicat, durabilitatemq́; naturæ iactat ſuæ, vt ex lectione atque experientia notum conſtat. Robur quoque præſtare dicitur propter pinguioris copiam ſucci, atque ita minùs fragile friabileq́; habetur. In eodem genere omnibus partibus Libani cedrus excellit, quare apud omnes auctores præcipuè commendatur & in ſacris arcanisq́; ſermonibus potentiſsimorum hominum ac principum refert imaginem. cuius tamen generis in vniuerſum atque etiam Libanenſis præcipua inter omnes natura, ac vis minor ac debilior hîc traditur, quàm vt vehementis ac reſonantis tonantisq́; Domini ſpiritus ſiue vocis vim integrum & infractum perferre valeat. Et confringet Dominus cedros HALEBANON, illius Libani. *Quòd ſi Libani cedri non caſu, non communi venti vi & impetu, ſed ſingulari voluntate & conſilio Dei confringuntur;* Confringet Dominus, *ait, confringere ſolet; quid de mortalium potentiſsimis (quos cedri ſignificant) nempe minùs altè radices in terram agentibus, minusq́; bono ſucco valentibus, fiet? Neque verò frangi ſolùm atque deijci ſolere cedros ait, ſed à loco, vbi creuerant, diſiectas diſsilire, non ſecùs atque eiuſdem regionis ac montis vitulos vehementi vento pulſos vel œſtro percitos & exagitatos. Atque adeò montes ipſos tremere, & cacuminibus motis ſaxisq́; præruptis mutari ac rhinocerotis ſeu vitulorum inſtar pelli.* Cedri Libani. Robur arbor.

6. Et comminuet eas tanquam vitulum Libani & Dilectus quemadmodum filius vnicornium.

Et comminuet eas IARKIDAM, diſſilire faciet eas, tanquam vitulum. *Hucuſque dimidius verſus.* Libani & Dilectus] LEBANON VESARION: *duo celebratiſsimi in Syria montes; prior à perpetuo niuis candore* Lebanon, *id eſt*, albicans, *dictus; poſterior à firmitudine ac magnitudine* SARION, principalis, *vocatus: cuius parti magnæ Græci* ANTILIBANI *fecere nomen. vt autem Libanus & Sarion Domini voce, id eſt, vento, fulgure, ac fulmine tacti atque impulſi, diſsiliunt ac diſiiciuntur; ita & nitidiſsimi ac potentiſsimi tyrannorum & inſolentum improborumq́; hominum, diuinæ vocis vi & impetu repentè ſolent comminui ac perdi. S. S. E.* Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani: & tranſiui, & ecce non erat: & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. *Atque hactenus quantum Domini ſpiritus vehementiore tantùm flatu vertere ac mutare, quantum inſignia frangere & attenuare poſsit, indicatum; deinceps verò admirabile magis* Libanus mons. Sarion ſiue Dilectus mons. Antilibanus. *Pſal. 36.*

dictu celebratur, hoc eſt, fulminis ignis, eadem Domini voce, eodem ſpiritu, medio æthere excuſſus & incenſus; cuius pauore ac metu mortalium corda immane quantum per terras frangi conſternariq́ ſolent.

7. Vox Domini intercidentis flammam ignis.

Fulminum cauſſa. *Ignis è duri ſilicis venis duriore adhuc corpore percuſſis, in ſcintillas excudi ſolet: illud verò magis mirandum, in tam leni ac molli corpore, hoc eſt, in ſpiritu ſiue æthere, tantum poſſe eiuſdem ſpiritus vi effici, vt non modò ſcintillæ excudantur, ſed integræ mandantur derepentè flammæ.* Intercidentis] HHOTSEB, *incidentis inſtar ferri ſeu chalybis in ſilicem ſecando impacti. Nec minùs illud ſtupendum, non modò fulmine lapides frangi ac montes findi, ſed ſola venti vi ac vehementia montes, campos, tractusq́ terræ quàm latiſſimæ concuti, trepidare, ac tremere.* Terræmotus.

8. Vox Domini concutientis deſertum, & commouebit Dominus deſertum Cades.

Terræ tremores deſcribuntur, quales plurimi quondam in Aſia & Syria accidiſſe, non ſolùm à noſtris, ſed à Gentium quoque ſcriptoribus narrantur; nutaſſe vrbes, ac terræ ſubſediſſe, multaq́ extitiſſe, quæ priùs ſub terris fuerant occulta & condita, vt lacus, fluuij, fontes, mineræ, metallorumq́ venæ. quæ omnia, Domini vocis, id eſt, ſpiritus vi parata & effecta Vates docet. Cades deſertum. Cades deſertum *pro quacunque regione vel firmiſſima poſitum per ſynecdochen. Neque verò ſolùm, quæ firma & immota priùs fuerant, tentari, turbari, frangi, rumpi, ac diſſipari ſolere ait, idq́ ſpiritus vi ac præſtantia; ſed vel agiliſſima quæq́ animantum, quæq́ fuga ſibi cauere poſſe videntur, adeò perturbari ac tremefieri, & ex conſequenti debilitari, vt prægnantes ceruæ præ metu & pauore atque fugiendi impotentia præmaturos abortiant atque perdant fœtus: ita nulla aduerſus Domini vocem vis, nulla agilitas, nulla induſtria, nulla denique valet fuga.* Ceruæ tonitruum pauore abortiunt.

9. Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſa: & in templo eius omnes dicent gloriam.

Collectio ſiue epilogus totius argumentationis, qua Domini vox illa, quam tenuem aduerſarij dictitabant, vehemens & efficaciſſima declarata & confirmata manet. Atque argumentatio ipſa duabus ad ſummam redigitur imaginibus effectorum, alterâ quòd obſcura promantur, alterâ verò quòd eiuſdem vocis vi ſumma & nitidiſſima obſcurentur ac deleantur. Præparantis ceruos] IEHOLEL AIALOTH, parturire faciet ceruas. *quod ex naturæ conſtat hiſtoria.* & reuelabit condenſa] VAIAHHASAPH IAGHAROTH, & nudabit *ſiue* ſpoliabit ſiluas, *non ſolùm foliis ac frondibus, verùm etiam arboribus ipſis vel frangendis,* vel

vel radicitus euellendis ac deturbandis. Quibus ex rebus & argumentis omnibus rectè perpenſis & exiſtimatis illud euenit, vt quiſquis ſanctam regis huius aulam inuiſit ac frequentat, maieſtatem, gloriam, & amplitudinem illi & ſenſu & voce tribuat. & in templo eius omnes dicent gloriam] VBEHILCHALO CHVLO AMAR KABOD. & in palatio eius omnis ille dixit, gloria. *Coniunctio* ET *collectioni hoc loco inſeruit.* Omnis ille, *idem valet quod apud Latinos* quiſquis adeſt. *Igitur in ſacro palatio Domini, ſiue illud tabernaculum ſiue templum fuerit, quiſquis adeſt, animo fauens dicit* KABOD; *id quod ad morem ritumq́ alludit antiquum & celebratiſſimum, quo certis feſtis dum diuina ac mirabilia factorum Dei commemorabantur monumenta, populus qui adſtabat, poſt certos decantatos à ſacerdotibus ac Leuitis verſus, alta voce repetere ſolet* KABOD, KABOD, Gloria, gloria, amplitudo. *Id quod Latina quoque Eccleſia obtinens, poſt vniuſcuiuſque Pſalmi finem ſanctiſſimæ Trinitatis perſonis gloriam tribuit. Atqui talibus magnarum rerum motibus ac mutationibus atque etiam diſſipationibus, nihil prorſus diuinæ maieſtatis gloriæ, magnitudini, & amplitudini decedere, ſubduci, detrahi, aut minui aſſeuerat Pſaltes; & ſi adeò totus frangatur & fractus illabatur orbis, quæq́ ſub cælo fuerint cuncta deleantur & pereant, nihilominus Dominum regem conſtare, & amplitudinem, gloriam, decus, & maieſtatem ſuam tueri. Id quod manifeſto vincitur argumento ab vniuerſali quondam diluuio nullis ignoto gentibus ac populis, cùm humano genere omni, præter pauciſſimas, id eſt, octo animas vnà cum animalibus cunctis extincto ac deleto, Deus ſolus regiam obtinens maieſtatem & exercens poteſtatem immotus & quietus ſederet, terrarum orbem diluuij aquis expians & renouandum inſtaurandumq́ interim adornans, ſeruata ad eam rem vnius tantùm viri familia, quem ſolum mortalium cunctorum iuſtum ſuiq́ cultorem nouerat. Ex quo vel vno eodemq́ illuſtriſſimo exemplo tria manifeſtè declarantur: primum, impietatem iniuſtitiamq́ omnem, quamuis potentiſſimam & opulentiſſimam, ruinæ & exitio eſſe obnoxiam, & iudice ac vindice caſuram Deo; Deo inquam nihilominus principe in æternum ac rege conſtante, eodemq́ ſui propoſiti ſemper tenace ac memore, vt in mediis ceterorum mortalium pœnis, exitiis, & ſuppliciis, tamen piorum & ſibi fidentium atque inſeruientium quamquam puſillus grex ſecurus tutuſq́ conſeruetur; atque etiam ad copioſam poſteritatem, demumq́ ad felicitatem in dies auctior amplificatiorq́ euadens, numinis præſidio ac tutela ſui tutatus, tranquilla & beata fruatur proſperitate ac pace.*

ET coniunctio.

Gloria, gloria vetus acclamatio.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Dei quies & maieſtas.

Diluuij exemplum

10. Dominus diluuium inhabitare facit; & ſedebit Dominus rex in æternum.

Verſus huius ſententiam iam indicatam germanæ lectionis verba præſtant facillimè. Dominus diluuium inhabitare facit] IEHVEH,

LAMABVL IASAB. Dominus ad diluuium ſedit, *tamquam rex & iudex prouidentiſſimus, idemq́; ſuam ſemper auctoritatem ac maieſtatem retinens*, Sedebit Dominus rex in æternum. *Ex duabus autem rebus ac dignitatibus, quibus Domini vocem laudauerat ac prædicauerat*

Vocis diuinæ lenitas. *Pſaltes*, Vox Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia, *ſiue in decore & pulchritudine, priore per omnes partes ad diluuij vſque exemplum confirmata, poſteriorem breuiter, verùm lucidiſſimè confirmat; hoc eſt, decus & pulchritudinem; quam ſi non tanto tumultu, ſtrepitu, & fragore, tamen ſuauiſſima & certiſſima efficientia populo ſuo, id eſt, mitibus & fidelibus modeſtisq́; hominibus cumulatiſſimè probat.*

11. Dominus fortitudinem populo ſuo dabit, Dominus benedicet populo ſuo in pace.

Diuerſam prorſus diuinæ vocis ac Domini maieſtatis & auctoritatis efficientiam ſuperbos ac potentes, & mites ac modeſtos experiri, tum aliàs multis argumentis & partibus, tum verò diluuij interiecta mentione declaratur: illos quippe in exitium trudi, hos verò ad felicitatem conſeruari conſtat, illos debilitari funditusq́; euerti ac deleri, hos firmari, ac roborari, augeri atq́; amplificari. Id quod in Noahhi à diluuio excepti rebus cognoſcere eſt. Is enim pro vltrice Domini voce, qua diluuiū cæli cataractis apertis in terrarum orbem fuerat inductum, humanam ſuperbiam & impietatem vltricibus expiaturum aquis, pro voce illa, quam validiſſimum ſpiritum fuiſſe

Gen. 8. *oportet, benigniſſimam vocantis audiuit vocem*. Egredere de arca, tu & vxor tua, filij tui & vxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia, quæ ſunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus quàm in beſtiis & vniuerſis reptilibus, quæ reptant ſuper terram, educ tecum, & ingredimini ſuper terram. *hoc eſt quod Pſaltes ait*, Dominus fortitudinem] GHOZ, firmitudinem, durabilitatem: *nomen infirmitudini & fragilitati oppoſitum. Idem etiam Dominus conſeruatum à ſe populum augere & amplificare atque in pace tueri ſolet*. Dominus benedicet populo ſuo in pace. *id quod in eadem, quam citauimus, de-*

Ibid. 9. *claratur hiſtoria*. Creſcite & multiplicamini, & replete terram: & terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, ſuper omnes volucres cæli, cum vniuerſis quæ mouentur ſuper terram: omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt. Et omne, quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia, *&c.* Hęc quoque dixit Deus ad Noë, & ad filios eius cum eo: Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos, & ad omnem animam viuentem, quæ eſt vobiſcum, tam in volucribus quàm in iumentis & pecudibus terræ cunctis, quæ egreſſa ſunt de arca, & vniuerſis beſtiis terræ. Statuam pactum meum vobiſcum, & nequaquā vltrà interficietur omnis caro aquis diluuij, neq; erit deinceps di-

luuium

luuium diſſipans terram. *Magnum hic myſterium agitur diuini fœderis & arcæ atque pacis Chriſti*, in cuius templo omnes dicent gloriam. AMEN. Noui fœderis myſterium.

IN PSALMVM XXIX.

D. PETRO CARRILLO MENDOCÆ COMITI DE PLIEGO S.

ANtiquam ac domeſticam cum nobilitate pietatem tibi obtentam, & propriæ virtutis exemplis excultam, promotam & amplificatam, & in præcipuis hereditatis rationibus numeratam, complures alij, quibus iam diu notus es, teſtantur & prædicant; nunc autem vniuerſa Hiſpalenſium ciuitas, cuius gubernandæ clauo non ita pridem defunctus es, aſſiduis commemorat ſermonibus, ac non ſine magno celebrat deſiderio. Quippe cuius in omni publico periculo, ſiue ab hoſtibus communibus imminente, ſiue à temporum iniuriis & inſolentiore tempeſtate illato, vigilantiam, curam, ſedulitatem, ac præſentem aſſiduamque operam toto quadriennio fuerit experta: intellexerit præterea eas quoque horas, quas reficiendis curandiſque membris & ad preſcripta deinde munia exercendis bonos magiſtratus diuidere æquum eſt, te egenis domum admiſſis paſcendis, honeſtiſque pauperibus fouendis & familiaris tuæ rei communicatione iuuandis ponere ſolitum, foribus interim nulli interdiu aut noctu clauſis, qui opem auctoritatemque tuam quacunque temporis hora expeteret. Auaritiæ odium, diuitiarum contemptionem nemo adeò mirabatur in eo prætore, quem ſuas res non profundere ſed liberaliter vltroq; amicis ac dignis deferre & impartiri vicini conſpicerent, & qui acceperant narrarent, tametſi tu vt perquam occultè id fieret caueres & adiurares. Illud autem ſingulare taceri non debuit,

virum tanta benignitate in dando, in conferendis ac ponendis beneficiis hilarem & promptiſſimum, tantum eſſe à gratiæ exigendæ vel vulgari ac leui ſignificatione alienum. Namque à donis & muneribus vel tenuiſſimis vlla ratione admittendis te prorſus abhorrentem, nemo hominum in tanto populo, tamque corrumpendorum iudicum perito, poſſit ire inficias. Audierat quidem hæc ciuitas ex ſenioribus, qui adhuc ſuperant, narrantibus patrem tuum iiſdem inſtructum & nobilem artibus eidem quondam præfuiſſe verbi; crediderat autem id temporum antiquitati dandum, quòd plerumque maiorum facta propter extinctam iam inuidiam poſterioribus antefe-rantur. Verùm recentia nuper tua exempla & fidem paternis laudibus confirmauere, & admirationem tuis addidere; atque veram hominibus extorſere ſententiam, eandemque ſtatuêre perpetuam, non temporibus aut ætatibus ſed moribus ac diſciplinæ vel culpam vel laudem adſcribi oportere; ſimiliterque nunc atque olim bipartitam conſtare vbique terrarum viam, alteram qua Abeli & Sethi modeſtiſſimus idemque exiguus grex incedit, alteram quam frequentiſſimæ Kaini compleant & celebrent familiæ. Fuerat iam pridem mihi magna erga patrem tuum comitem & in regia aula œconomum obſeruantia, fuit etiam tecum noſtram gubernante ciuitatem pia ac ſuauis conſuetudo, & ſtudiorum ſacrorum interdum communicatio; ſed hoc rarius quàm pro votis, propter perpetuas muneris tui occupationes & curas, & meam propè ſemper ruſticantis raram togam. Nunc verò cùm abſens vel illa etiam toties interpellata ac dilata dulciſſima colloquia deſiderare cogor, deſiderium hoc vt aliqua ex parte ſolarer, eademque opera mei memoriam tibi quam certam credo, non aſpernando munuſculo refricarem, commentariolum deſtino quem breuiter meditatus ſum in Dauidis Pſalmum, cui *dedicationis domus* præfixa eſt Inſcriptio; Deum identidem precatus, vt veſtræ quoque domus antiquum ſplendorem cumulandis aſſiduè veris opibus & magnarum virtutum promoueat & adaugeat exemplis.

Vale. ex Rupe noſtra apud Aracenam, Nonis Nouembr. cIↃ. IↃ. XCVII.

ARGV-

ARGVMENTVM.

SIngularem Dei prouidentiam & curam vlli mortalium non modo non deeſſe, ſed nec intermitti vltro, ſuo ipſius exemplo declarat & aſſeuerat Pſaltes; illud cum primis docendo, vnumquemque in ſuo ſibiq́ deſtinato munere perſtantem & ſatagentem à Domino miſericorde auctore & vocante foueri, defendi, ac promoueri: quod ſi nonnunquam minùs procedere accidat, id non ex Dei pœnitentia vel negligentia euenire, ſed ex culpa & vitio hominis à recta via, quam tenere ſemper oportuerat, libenter & ſponte ſua aberrantis, atque à veræ pietatis ingenuitate degenerantis, malumq́ ſibiipſi moliti; quem tamen ſi diuinis reuocatum vocibus, monitis & correptionibus corrigi & emendari iuuerit, præſentem ſemper ſemperq́ fauentem diuinæ miſericordiæ & propitiationis opem experturum & agniturum eſſe, atque felici ſuarum rerum exitu ac beato euentu non ſolùm gratulaturum, ſed aliis etiam publicè ad communem doctrinam & perſimilis vtilitatis ac beneficij ſpem atque expectationem teſtaturum & prædicaturum. Hunc Pſalmum Dauidi domo iam conſtituta, & rebus domeſticis compoſitis, gratulationis ergò editum præſcripta docet Inſcriptio.

Singularis Dei erga homines prouidentia.

1. Pſalmus cantici in dedicatione domus Dauid.

INdicat verſus hic Pſalmum eo tempore compoſitum, quo Dauid rerum potitus ſacrum tabernaculum Siona transferebat, atque de perpetuo exædificando templo cogitabat.

2. Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me: nec delectaſti inimicos meos ſuper me.

Profitetur Pſaltes perpetuis ac ſummis laudibus bonitatem, prouidētiam, & miſericordiam Dei ſeſe celebraturum, & quàm altiſſimè ſublaturum, ob gratulationem ſui ex humili conditione & loco ad regnum euecti, aduerſariorum ſuperata, victa, & prorſus irrita inuidia. Exaltabo te] ARVMEMECHA excelſum te laudibus prædicabo. *maioris adhuc & altioris verbum ſignificationis, quàm id quod à Latinis poëtis vſurpari ſolet*, efferre *ſiue* tollere ad aſtra, *vt* Daphninque tuum tollemus ad aſtra. *&*, Daphnin ad aſtra feremus. *Verùm, vti diximus*, RVM *aſtra* רום *etiam ſuperat. Significat etiam erigere ac dicare & conſecrare, monumentumq́ ſtatuere. quæ omnia in hoc Dauidis Votum conueniunt, quo ille ſe, ſuasq́ res omnes, Domini miſericordiæ ac beneficio acceptum relaturum ac prædicaturum vouet; duplici nomine, altero auctoritatis, altero etiam defenſionis: auctoritatis*, quoniam ſuſcepiſti me. CHI DALITHA-

 NI, quo-

N I, quoniam ſuſtuliſti me. *ex humili potentem effeciſti: defenſionis verò*, nec delectaſti inimicos meos ſuper me. VELO SIMAHHTHA, & non feciſti ridere; *non paſſus es vt irriſioni & ludibrio aduerſariis meis forem: id quod magnis animis ſenſu grauiſſimum ducitur. Atqui variis rerum, temporum, & hominum caſibus atque etiam inſidiis ac dolis Dauidem tentatum legimus, morbis etiam interdum vexatum, atque in iis omnibus aduerſariorum voto ad perniciem expetitum, tamen Dei beneficio ad euaſionem ſalutemq́ ſuſceptum & expeditum, vtpote ſoli diuino præſidio fidentem ſeſeq́ committentem. Namque grauiter ægrotanti, &, vt aliàs adnotabimus, penè ab hominibus deſperato, ſolus Deus inuocatus medicus atque idem dexter ſoſpitaliſq́ narratur & laudatur.*

3. Domine Deus meus clamaui ad te, & ſanaſti me.

Domine, IEHVEH, *benigne, clemens, miſericors & efficax.* Deus meus, ELOHAI, *gubernator, rector, iudexq́ meus*, clamaui, *cum gemitu & querimonia, qualis ægrotantium, & afflictorum, dolentium, opemq́ implorantium diuinam eſſe ſolet vox.* SIVGHATHI, ingemui. *pars medicinæ habetur morbum ſentire & ſanari cupere, medicum quærere & vocare, Deum præcipuè, in quo vno certiſſima ſalutis auctoritas, inuocatum fide allicere, prece ſolicitare proprio ipſius gloriæ nomine. Namque Dauid quidquid erat, quidquid fuerat, diuinæ debuit electioni; quam vel nullam fuiſſe vel irritam inimici irridentes clamarent, ſi ille aduerſis interim caſibus ac morbis victus defeciſſet, tametſi id ob ſuam culpam vel noxam fuiſſet paſſus. ideo duo à ſe diuina nomina inuocata commemorat, Miſericordis ac benigni* IEHVEH Domini, *& prouidentis auctoris principis, iudicis, tutoriſq́ ſui* ELOHAI Dei; *quem ad ſui nominis gloriam, aduerſariorumq́ redargutionem, ſuis promiſſis conſulere atque prouidere, operiq́ à ſe de rebus ornamentiſq́ Dauidis ipſius cœpto felicem præbere exitum ſignificat. Hæc & huiuſmodi complura inter ægrotandum animo ac mente agentem, & fideli poſcentem prece, exauditum & liberatum ſeſe agnoſcit cumprimiſq́ commemorat; deinde verò cetera narrat beneficia, quibus auctum ſe gratulatur.*

4. Domine eduxiſti ab inferno animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum.

Miſericordiæ & clementiæ ac benignitatis nomen appellat & laudat, cuius ope ſe iamiam ſepulchro proximum, imò per homines deſtinatum, tamen ereptum ac vitæ reſtitutum ait. Eduxiſti, HAGHALLITHA, aſcendere feciſti; MINSEOL, ab inferno. *Sepulchrum plerumque* SEOL *vocatur à* SAAL *verbo dictum, quod* petere *Latinè eſt: quippe ſepulchri hæc natura, & perpetua auiditas repetendi quod ſuum eſt: ex illa ſententia,* Quia puluis es, & in puluerem reuerteris. *dicitur etiam Latinè*

שאול
שאל

tinè inferni ſiue inferi, *quòd quæ ibidem ſunt corpora, terræ ſuperficie inferiùs iaceant. Vſurpatur & idem nomen pro loco & conditione malorum dæmonum, & animæ humanæ æterna felicitate carentis. Hîc pro ſepulchro ponitur, ſiue ad Dauidem referatur, ſiue ad Chriſtum, quem Pſalmus hic multis arcanè adumbrat partibus.* Animam meam] *non dicit ſpiritum (namque ille ſepulchro immunis manet) ſed* NAPHSI, animam meam, *quæ ad animalem & ſenſitiuam refertur animæ ac vitæ portionem: pereunte enim corpore ſenſus quoque decedit, non animus.* Saluaſti me] HHAIITHANI, viuificaſti me, *viuum ſanúmque me reddidiſti;* à deſcendentibus in lacum. BOR *puteum ſignificat, qualem faciem ciſternæ & quædam etiam ſepulchra, præcipuè concamerata & gentilitia, præferunt certis cipporum terminis. de priuatis & communibus ſepulchris iam aliàs nonnulla ſcitu digna ſcribebamus. Siue itaque priuato ac proprio ſiue communi ſepulchro ipſe condendus fuiſſet, liberatum tamen atque incolumem ſe gratulatur, & pios omnes Deiq́ beneficia agnoſcentes ad communem gratulationem appellat & inuitat.*

Infernus. Inferi. Anima. Lacus. בור Sepulchrorum formæ.

5. Pſallite Domino ſancti eius, & confitemini memoriæ ſanctitatis eius.

Dei Domini admirabilem benignitatem, & humano intellectu longè maiorem clementiam, pſallendam piis omnibus, commemorandam & prædicandam commendat, atque id ad multorum vtilitatem vt curetur ſtudet; quodq́ ipſe ſuarum rerum recentibus exemplis refert, ab illis pariter laudari & in ceterorum Dei ſingularium & maximorum beneficiorum commentaria & acta referri poſtulat. Sanctum dicitur id, quod ſic diſtat à communi vt comparationem ſui non admittat. ita quidquid tribuitur Deo, ſiue ſapientia, ſiue poteſtas, ſiue iuſtitia, vel clementia aut bonitas, miſericordia aut veritas, nullis mortalium ingeniis, nullis creatis mentibus percipi poteſt; ſic tamen cognoſci, vt laudem, confeſſionem, prædicationemq́ ſui vendicet. Hoc autem illa formula, confitemini memoriæ ſanctitatis eius, *ſignificatur: quod Latino ſermone exponi poteſt; quidquid de Domini conſiliis, beneficiis, factis, & exemplis commemoretur, ſanctum & ſupremum nulliq́ alij naturæ comparandum vos faſsi collaudate, vtpote à ſumma ſapientia profectum, ſumma miſericordia temperatum, ſumma virtute expeditum & præſtitum. Namque vel illa, quæ in ſe obſeruata expertus è veſtigio componit Vates, in nulla alia natura præterquam in Deo reperiri poſſe pij omnes fatebuntur: nempe iræ & indignationis propter peccata hominum iuſtiſsimæ breuitatem, quantum videlicet ad correptionem ſufficiat; rurſus verò perpetuam beneficientiæ, ſalutis, & beatitatis erga homines voluntatem, celeritatem quoque curandi, reficiendi, & confirmandi eos, qui ob noxas & peccata correcti & caſtigati reſipuerint. Hæc omnia nulli profectò præterquam vni Domino poſſunt adſcribi.*

Sanctum. Virtutum diuinarum ſanctitas. Iræ diuinæ breuitas.

6. Quo-

6. Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius: ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.

Breuiſsimam Domini indignationem interpres noſter iræ *nomine ſignificaſſe videtur, quòd is affectus in nobilibus atque ſui compotibus animis breuis dicatur eſſe. germana lectio rem exprimit apertiſsimè,* CHI REGAG BEAPO, Quoniam punctum *ſiue* momentum in naſo illius.

אף Naſus. *Naſi nomen in illa lingua per ſynecdochen excandeſcentiam ſignificat, & id quod auctor ille definit:* Ira furor breuis eſt: *& quòd affectus iſte Deo nec proprius nec libenti admiſſus, nec etiam illius naturæ congruus, verùm interdum propter iuſtitiam tantùm excitatus (non quà paſsio ſed quà affectio eſt) ideo à Pſalte momentaneus eſſe dicitur, præcipuè cum beneficentiæ ac ſalutis voluntate comparatus. S. S. E.* Non eſt voluntatis meæ vt pereat impius, ſed vt conuertatur & viuat. *Momentum itaque in* indignatione *ſiue* in naſo Dei *eſſe, ait Vates (quamobrem eundem aliàs* ERECH APAIM *id eſt*, amplis naribus *appellatum legimus) at verò* in voluntate illius HHAIIM vitas, *non vnam tantùm, ſed hanc mortalem & alteram æternam, id eſt, illud perpetuò Deum velle & optare vt vnuſquiſque hominum conſtitutos ſibi in terris peragat viuatq́ dies, poſt quos etiam in longitudinem dierum transferatur. Atque hæc de ingenio (ſi fas ita loqui) ac de moribus Dei breuiter indicata, quemadmodum expediri ac declarari ſoleant, deinceps exponit. Solet, inquit, ille correptionis & caſtigationis ergò hominum tempora aliquantum turbare, non prorſus obſcurare in tenebráſue pellere, ſed veſperi inſtar inter obſcurum clarumq́ miſcere, nec ita tamen dolore ac mæſtitia afficere, vt nullus quieti interim relinquatur locus; imò contrà vt veſperi dolores & ægritudines infeſtent, nihilominus verò aliquod ſomno detur ſpatium, mox vbi mane illuxerit, ſanitas, lætitiam, gaudiumq́ afferat. Sic breue, ſic paruum, ſic temperatum correptionis tempus, præ magnitudine ac amplitudine veniæ, & conſequentis pœnitentiam ſalutaris beneficij.* Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia] *Veſper prima noctis nec omnino obſcura pars dicitur, inter quam &* BOKER, *hoc eſt, mane, nox peragitur. Solent autem ægrotantes ad noctis initium metuere ac mærere, corporis ac membrorum affectiones cum occidente ſole mutari ſentientes; nihilominus, niſi nimis vehementi & peracuto vexentur morbo, quieſcere aliquanto ſinuntur, mediæ præſertim poſt noctis horas. Hanc ipſam rationem ſimilitudinemq́ vſurpatam perſecutus Vates ait,* Ad veſperum THALIN conquieſcet fletus. *Namque* LVN *verbum propriè eorum eſt, qui aliquò ad quieſcendum noctu appellunt: quos non inſomnes prorſus peragere oportet: id quippe non quieſcere, ſed grauiùs habere, magiſq́ laborare diceretur. Somnus namque & vigilia, vtrumque præter modum,* noxium

Ezech. 18.

Deus amplis naribus ארך אפים

Veſper. בקר

לון

noxium ac malum. Itaque breuem correctionem intermiſsio & requies nonnulla comitatur, ægrotantemq́; lugentem & reſipiſcentem veniæ conſolari ſpe ſolet: id quod legitimè peractum venia & miſericordia conſequitur, diuinaq́; veræ lætitiæ effectrix & conciliatrix liberatio ac ſalus. & ad matutinum, *tempeſtiuè & opportunè*, lætitia, *quæ non alio veſpere turbari ſignificatur, iis præcipuè, qui ſanati ſibi poſtea deinceps parcere didicerunt. Id quod rerum ſuarum exemplo ſpectatum & comprobatum fatetur Pſaltes ipſe: quia aliquando propter proſperitatem oblitus ſui, perpetuam ſibi promittebat beatitatem, nec mutari aut vacillare ſuas opes poſſe putabat: ægritudine verò atque aduerſariorum inſidiis tentatus & in diſcrimen adductus, reſipiſcens intellexit bonorum ac pacis auctorem conſeruatoremq́; ſolum eſſe Deum, præterq́; eum nihil ſibi certi & firmi promittere aut aliquo pacto comparare poſſe homines. Igitur mutata mente Deum fide & pœnitentia ſibi propitium reddere ſtudens, ſalutem & quietem bonumq́; impetratum ſibi commemorat euentum.*

7. Ego autem dixi in abundantia mea: Non mouebor in æternum.

Ego autem dixi] VEANI AMARTHI, *confitentis ſeq́; ipſum increpantis formula, certo ac ſingulari pronuncianda ſpiritu, vt illud:*

Vrbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putaui *Virgil. Bucol.*
Stultus ego huic noſtræ ſimilem.

In abundantia mea] BESILVI, in quiete, in ſecuritate mea, *cùm quietior ac ſecurior eſſem.* Non mouebor in GHOLAM] *quandiu durabit hoc ſæculum, longa pace & proſperitate quietus ac ſecurus fruar. hoc ipſe mihi promittebam: & tamen errabam, quòd non permitterem tibi res omnes vt vnico auctori, tutori, fautori, & gubernatori. Quippe illud veriſsimum erat, atque illud vnum ſentire, agnoſcere, & fateri me oportuerat, videlicet vires opeſq́; meas tua vnius voluntate conſtare, atque ope tua ſolùm poſſe manere ac durare.*

8. Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem: auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.

Poſterior confeſsio argumento eſt præcedentis veri. Id quod ratione agnoſcere ac fide credere debueram, ſenſu ipſo correptus noui & confiteor, te vnum fuiſſe mihi, rebus, & opibus meis præſidium: quem vbi ob meam culpam aduerſum habui, magna mea ærumna ſenſi verè te volente rebus hominum omnibus felicitatem, te verò aduerſo ſummam accedere infelicitatem. In voluntate tua] *eò quòd tu volueras.* BERITSONCHA. RITSON *amicabilem ſpontaneamq́; voluntatem ſignificat, qualemq́; Apoſtolus allegat:* Deus eſt enim, qui operatur in vobis, & velle ברצון Bona voluntas. *Philip. 2.*

& perfice-

& perficere pro bona voluntate ſua. Præſtitiſti decori meo virtutem] *figurarum literarum Hebraicarum propè ſimilitudine, quem ſequimur, Latinus interpres pro* HARARI, montibus meis, *legiſſe videtur* HHADARI, decori meo *ſiue* pulchritudini, *intelligens rem ipſam & è tranſlatione ad ſimplicitatem reducens, regium videlicet decus ex diuina voluntate tantummodo, non ex alia vigere cauſſa. Quæ verò exemplari lectione præfertur tranſlatio, idem à Pſalte alia dicendi formula ſignificatum indicat: nempe ſuos illos, quos incolebat, montes, vt Siona, Moriam, alios, quibus Ieroſolyma vrbs conſtabat ſita, ſtatum, celſitudinem, formam, & firmitudinem ex Dei voluntate ac beneplacito fuiſſe ſortitos, cùm aliàs nec ſurgere nec firmos immotosq́ conſeruare vlla alia naturæ aut artis vel induſtriæ vis valeret. ſonat autem ſic exemplaris lectio.* HAGHAMADTHA LEHARARI GHOZ. In voluntate tua, *eò quòd tu volueris*, erexiſti & ſtatuiſti montibus meis firmitatem: *illam ipſam, quam ſitu, mole, & ſoliditate præferunt & obtinent, tibi acceptam referunt, aliàs enim cùm tu aliter volueris,* tanges montes & fumigabunt. *Quòd ſi vel montium firmitudo te vnum agnoſcit & laudat auctorem, mihi quidnam euenturum ſi voluntas gratiaq́ tua fuerit ſubducta, vel aliquatenus ceſſauerit? id nempe quod euenit;* Auertiſti faciem tuam, & factus ſum conturbatus] faciem, *fauorem, ſingularem gratiam, & prouidentiam interpretamur*. Factus ſum conturbatus, NIBHAL *oppoſitum vocabulum illi alteri* GHOZ, *id eſt*, firmamento, *quod montibus ex voluntate Dei conſtare dictum eſt, animi pariter ac membrorum pauorem, inconſtantiam, turbationem, trepidationemq́ ſignificat.* Pſal. 2. *idem verbum quod in ſecundo Pſalmo*, & in furore ſuo conturbabit eos. Pſal. 102. *Verùm enimuerò qui* non in perpetuum iraſcetur, nec in æternum comminabitur, *Dominus reſipiſcentibus ſiniſtramq́ mutantibus mentem & ex pœnitentia implorantibus, caſtigationemq́ deprecantibus, exoratus redire, parcere, ac fauere gaudet. id quod in ſe expertus, fidelibus ceteris exemplum futurum agnoſcit, confitetur, ac prædicat.*

הררי
חדרי

9. Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.

Vt ad vnicum errati mei correptorem, eundemq́ ſolum laboris, morbi, & ærumnarum omnium depulſorem atque medicum, ſalutiſq́ auctorem, clamabo, *voce & oratione:* deprecabor, *animi affectu & impulſu atque vocis miſerando gemebundoq́ ſono.* ITHHHANAN, *verè & ex animo atque intimo ſenſu ingemam. Bis autem in eodem verſu ſanctiſſimum* IEHVEH *appellatum eſt nomen, ad aſſeuerationem miſericordiæ magnæ Dei & ſalutis veræ atque vitalis medicinæ ab eodem ſoloq́ proficiſcentis. deprecationis verò & argumentum & exemplum cuiuſmodi fuerit, eueſtigio ſubiungitur.*

10. Quæ

10. Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? numquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam?

Pulcherrima rerum contentione ſuam fatetur primùm culpam, deinde veniam poſcere & impetrare ſtudet: ſubindicat enim ſe non alia de cauſſa quàm propter errorem peccatumq́ ſuum in laborem, ærumnas, ægritudinemq́ incidiſſe. Neque enim Deum vllius humanæ rei vſu affici, nec peccatoris delectari aut placari ſanguine, ſed pœnitentiam confeßionemq́ ſinceram libenter admittere, admiſſam ſalute proſequi & iuuare, ac reſtitutione, imò & amplificatione promouere, demumq́ ad perpetuas obligare laudes miſericordiæ diuinæ in promittenda fidelibus ad ſe conuerſis gratia & ſalute, & veritatis in præſtanda feliciterq́ promouenda. Quæ vtilitas in ſanguine meo] *Mortuo corpori triplex accedit conditio: recèns mortuo vel occiſo carnis & ſanguinis adhuc nomen breui manet tempore; verùm in foueam, puteum, ſepulchrúmue coniecto cadaueris corrupti vocabulum conuenit: inde verò non multo pòſt pulueris vel cineris tantùm ſupereſt vocabulum. Nullius harum conditionum in humano corpore cuiquam eſſe vſum ait Pſaltes, nedum Domino Deo miſericordi ac benigno, vt ex ea cauſſa ipſe morbo & laboribus affectus fuiſſe dici poßit; ſed ſuam ipſius noxam, ſuas in cauſſa fuiſſe fraudes & culpas: nam neque Deo humanus effuſus placet ſanguis, nec corporis ipſius quamquam recentia & ſanguine adhuc membra calentia, longè minùs in foueam coniecta & corrupta: quinimò nec ad laudem & confeßionem, qua Deus placatur & reconciliatur, valere quicquam poſſe extremam conditionem carnis in ſuum iam puluerem redactæ: quibus ex rebus conſequitur nec mortem nec letiferum laborem vltrò & ſtudioſè infligi, ſed vel ad correptionem & caſtigationem, vel ad pœnas commeritis decerni, eademq́ opera & eum, qui fert, ad pœnitentiam reuocari, & alios, qui obſeruarint, ad ſibi parcendum vocari & admoneri. Qua confeßione ac deprecatione à ſe verè, fideliter, & ritè pronunciata, clementißimum miſericordißimumq́* IEHVEH, Dominum, *prædicat & gratulatur exoratum.*

Mortui corporis cõditiones.

11. Audiuit Dominus, & miſertus eſt mei: Dominus factus eſt adiutor meus.

Ex conſequente effecto antecedens declaratur efficientia: id quod perpetuæ rationis eſſe ſolet in diuinis cõprobandis conſiliis, voluntate, prouidẽtia, & cura. In exemplari lectione verba hæc imperatiui formam præferunt, atque ita deprecationis abſoluere videntur ſermonem. Eadem verò cùm ſine punctis olim legerentur, præteriti indicatiui facie interpretem ad ſimilia vſurpanda tempora mouêre: cùm tamen ſignificatæ vtraque forma rei

idem ſit prorſus pondus, altera impetrare ſtudentis, altera verò impetratum prædicantis. Quem verò euentum deprecatio illa habuerit, ſubiungens mox declarat Pſaltes, nempe felicem diuinaq́; dignum clementia & miſericordia. hoc eſt quod ſuperiùs alia elocutionis dixerat forma: Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. *hoc ipſum communiter dictum, nunc in ſpecie de ſe indicat.*

12. Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi: conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.

Ex deſtinatis ad rem res ipſa ſæpe cognoſcitur, vt etiam ex exitu principium. Orationis autem ſuæ initium ab elegia & querimoniis factum ſignificat, id quod verbo ETHHANEN, *id eſt,* deprecatus ſum, *ſiue* deprecabor, *pronunciatum fuerat. illud itaque principium lugubre, canoro, læto, ac hilari fine exceptum ait.*

Lugẽtium habitus. Saccus.

Olim qui lugent, ſacco præcingi, humi iacere vel ſedere, vel cubare ſolent: itaque ſaccus ipſe mæſtitiæ habitus cenſetur. Nam quæ animus verè ſentit, verbis, geſtu, atque habitu quantum poteſt, indicare ſatagit: niſi aliàs fingentis ac ſimulantis partes agat; quo pacto cum Deo nunquam impunè agitur, ſimulationis omnis deteſtatore. Luctum itaque ſuum in laudem, cantionem, gratulationemq́; à Deo verſum ait, & confitetur. In gaudium mihi] LIMHHOLLI.

מחול

eſt autem MEHHOL *cantus, quo læta gratulatio ſiue laudatio celebratur; quales in nuptiis, in victoriis ac triumphis & publica communiq́; lætitia ſonare audiuntur. cuius exempla ſunt:*

Exod. 15.

Sumpſit ergo Maria prophetiſſa, ſoror Aaron, tympanum in manu ſua: egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & MAHHOLOTH, choris.

Ibid. 32.

Cumq; appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum, & MEHHOLOTH, choros. *In huiuſmodi publicam ſui ac ſibi gratulationem luctum conuerſum ait.* In gaudium mihi, *vt cantus & gratulatio certiſſimum ſalutis & animi læti fuerit ſignum; deinde corporis etiam intentior habitus, eundem conſecutus fuerit mentis & animi ſenſum.*

Sacci forma.

Conſcidiſti ſaccum meum] PETHAHHTHA SAKI, aperuiſti. *alludit ad formam ſacci veterem, quæ ſimplex erat, & præter caputium nihil ferè à communi ſacco differebat, quo fruges & alia ad ſeponendum vel aſportandum conÿciuntur: tantùm enim velabat corpus, non item fouebat, ſed neque decebat: aperti autem ac rupti nullus ad eam rem ſupererat vſus. Prorſus autem ſibi mæſtitiam ademptam ſignificat, cùm dicit* aperuiſti *ſiue* conſcidiſti. *pro illo autem mæſto, lugubri, duro, ac vili minusq́; hærente habitu, lætum ac decentem, nitidum, ac lætitiæ congruentem cultum redditum repoſitumq́; ſibi commemorat, quem vt hærentem, concinnum ac diuturnum declaret, præcinctum deſcripſit.*

אזר

Circumdediſti me, THAAZARENI, cinxiſti me, lætitia. *Eo autem ſe pacto mutatum, exhilaratum, & beatum agnoſcit, vt perpetuis diuinæ magnificentiæ,*

ficentiæ, auctoritatis, & magnitudinis laudibus celebrandis & prædicandis, nunquamq́ tacendis, obligatum agnoſcat, & iiſdem ſe, quoad vixerit, commemorandis operam profiteatur daturum.

13. Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

Significat perpetuæ laudis carmen à ſe debitum non leui argumento nec tenui fore concinnandum ſtilo, ſed quod gloriam, magnitudinem, amplitudinem, denique KABOD *deceat: idq́ inceſſanter:* VELO IADOM, & non taceat, *ſed aſsiduum inceſſabileq́ ſit: id quod pro beneficij accepti magnitudine & ipſius numinis ac prouidentiæ ſingularis maieſtate, ſibi perpetuò reddendum profitetur.* Domine: *hoc nomine ſanctiſsimo & benigniſsimo & altero etiam ſingularis tutoris, gubernatoriſq́ mei cognomento* Deus meus, ELOHAI, in æternum confitebor tibi. *magno, inquit, & glorioſo te celebrabo carmine; quod non modò per omne vitæ meæ tempus repetendum recipio, ſed vlteriùs etiam per æuum ad ſæculum vſque commemorabile perduret.*

IN PSALMVM XXX.

IVLIO ANTONIO SANCTORIO, S.R.E. PRESB. CARDINALI SANCTÆ SEVERINÆ, EPISCOPO PRÆNESTINO, SALVTEM.

QVamquam diu nimium eſt, quòd nec ad te nec de te quicquam ſcripſerim; tamen nulli præteriere dies, quin vbicunque fuerim de te non fuerim locutus, viro inter Eccleſiæ Catholicæ primarios præſtante, muneris ac magiſtratus tui partibus ornatiſſimo, cumprimis etiam doctiſſimo, acerrimo, & integerrimæ in iudiciis conſiliiſque ſententiæ, ſtudioſorum communi & libera-

liſſimo patrono, mei verò mearumque rerum præſentis præſidio firmiſſimo, abſentis etiam tutori & aſſertori ſortiſſimo pariter & efficaciſſimo. Silentij autem diuturni mearum ad te literarum in cauſſa fuit, metus ac reuerentia interpellandi tempus iſtud perpetuis ad communem Eccleſiæ vtilitatem negotiis ac iudiciis & conſultationibus atque amicorum clientúmque iuuandis ac promouendis commodis abſque intermiſſione impenſum: cùm præſertim præter communia ſalutationum (quæ magnis debentur amicis) argumenta, nullum interim ſingulare ipſe haberem, quod vel meas vel meorum, vt ſæpe alias incidere ſolet, rationes tibi communicandas & commendandas ſpectaret. Communia autem illa ſalutationum memoriæque renouandæ officia, te nec adeò expetere ſcio, nec à me requirere; quem (quod amicitiæ & obſeruantiæ fidem attinet) ſiue tacentem ſiue effatum, coràm præſentem vel propè aut longiùs abſentem, tam noſti eſſe tuum, quàm quemcunque familiarem antiquiſſimum beneficiiſque deuinctiſſimum nominare ex tuis poſſis, eundemque animi grati, quare & iſtius nominis ac dignitatis perpetuò memorem. Id quod tametſi & tibi, & iis quibuſcum verſor, notiſſimum, tamen & communi ſtudioſorum notitiæ opportuno profeſſionis teſtimonio ac monumento ſignificare ſtatueram, & nunc ſignifico ac dedico, commentariolo in Pſalmum trigeſimum tibi deſtinato: cuius erga ſancta ſcripta omnia piè ac iuſtè affectum animum omnes, quibus per Chriſtianum orbem notiſſimus celebraris, nouere; ego verò ſingulariter declarare ac prædicare debeo, vtpote auctoritate, gratia, voluntate, monitis, & excitatione, atque ope, dum Romæ eſſem, à te ſemper in ſtudiis adiutus & promotus; abſens verò ab inuidia ac detractione, &, quod non me latet, ab inſidiis ac dolis defenſus & vindicatus. quæ omnia præſtantiæ tuæ digna, ſemperque conſtantia Deo (cui ſoli meos quamlibet imbecilles conatus conſecraui) in munerum officiorumque tuorum perſoluendis rationibus conſcripta conſtare, & oro & voueo & credo; & à me in ſummæ gratiæ perpetuò habendæ (quod ſolum pro conditione præſtare poſſum) commentariis primo debitorum recenſentur ordine.

Vale

Vale meum tuorumque omnium in terris decus dulciſſimum. Ex Rupe noſtri ſeceſſus apud Aracenam, ſexto Id. Nouembr. cIↃ. IↃ. XCVII.

ARGVMENTVM.

MVltæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. *Hanc nos ab eo excepimus auctore ſententiam, quem ad magnas gerendas feliciterq́ expediendas res ex humili delectum loco, atque optima ſuæ legis diſciplina inſtructum, tamen multis & frequentibus laboribus tentatum & exercitum Deus voluit; exemplumq́ piis omnibus conſtituit fidei, patientiæ, ſimplicitatis, & beneficentiæ erga eos etiam, à quibus nimio plus vexatus & ad necem vſque ſectatus fuerat: vnumq́ ex illis præcipuum Deus idem obſignauit, qui filij olim ſui* Iesv *Chriſti, libertatis ac ſalutis humanæ pontificis & aſſertoris, multis modis ac partibus antiquam ferret ac ſuſtineret imaginem. Ille igitur ſuam verè pij ac fidelis famuli & miniſtri perſonam peragebat, ac doctrinæ ſibi commendatam portionem in ſe ipſo referebat: quemadmodum tempora omnia, quæ piis aduerſa obuenerint, ærumnas, moleſtias, inſidias, vexationes, quæ ab aduerſariis cùm externis tum præcipuè ac maximè internis & ab inuiſibilibus etiam ſpiritibus ingruerint, vnius Dei beneficentiſſimi ſuorum patroni & certiſſimi ac præſentiſſimi actorum factorúmque ſpectatoris & promptiſſimi auxiliatoris fideliter & conſtanter expetita & implorata ope, non ſolùm ſuperari & vinci contingat; verùm etiam cum virtutis & gratiæ incremento & amplificatione, cumq́ magna animi ferentis lætitia & gratulatione, meminiſſe & commemorare ac laudare delectet.* Pſal. 33. Iuſtorum ex tribulatione lætitia.

1. *Pſalmi inſcriptio iam ſæpiùs explicata.*

2. In te Domine speravi, non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me.

T*Otius cauſſæ, quam in præſentiarum tractat, genus, pondus, & fundamentum ſolidum in ipſo primo exordij verſu ſummatim exponit. Defenſionis cumprimis actionem ſe tractare proponit, non otioſè nec importunè vel temerè aut intempeſtiuè, ſed vexatum atque neceſſitate impulſum propter grauiſſimum capiti ſuo ab aduerſariis imminens periculum, & honori etiam decoriq́ proprio conſecuturam ignominiæ perpetuam notam. Inſectari namque ſe ab inimicis queritur, tanquam criminis non modò reum, ſed etiam conuictum ac damnatum; criminis videlicet proditionis, coniurationis, & nouarum rerum ambitus, affectatæq́ tyrannidis;*

ideoq́ ad necem & exitium peti, obſideri, & in extremo iam verſari atque angi periculo; duplici tantùm nomine fretum, hoc eſt, ſuæ veritatis & immunitatis fiducia, & miſerantis atque conſilij tenacis & promiſſi memoris Domini iuſtitia. Vtrumque verò cùm verè atque conſtanter pro ſe allegare poßit, maturo iam & opportuno ſubſidio adeſſe & præſtari ſibi poſtulat, ſibi aliàs ad extremas adacto anguſtias, & iamiam interfectioni cum dedecore & infamia proximo. (qualem prorſus conditionem Dauid tum ſæpe aliàs, tum præſertim in ſolitudine Maon montanisq́ difficultatibus adiiſſe narratur.) Principio itaque indicat ſe non de ſuo vel propoſito vel conſilio vel facto hìc agere, ſed potiùs de Domini IEHVEH, *cuius partes primùm appellat & implorat, conſilio: cuius electionem, vocationem, atque vnctionem ipſe ſuſtineat: cuiuſq́ promiſſoris & auctoris fidem, iudicis etiam partes ipſe citet ac poſtulet. Atque ita ſuæ commendationem cauſſæ, ſolo iuſtitiæ ſimpliciſsimo adornat colore.* In te *vnico* Domine IEHVEH *miſericors promiſſor, & efficax,* ſperaui HHAZZITHI, me commiſi.
חסה HHAZZA *verbum, præſidium petere Latinè dicitur: præſidio autem no-*
מחסה *men eſt* MAHHAZZAH*: nec verò qualecunque præſidium, ſed quò qui confugiunt, & ab hoſtibus tuti & à tempeſtatibus muniti ſeruantur.*
Prou.14. *atque hoc nomine, ſæpe Deus à Vatibus laudatur. vt,* In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis eius erit MAHHAZZEH, ſpes, munimen.
Iob 24. *Et apud Iobum*: Quos imbres montium rigant, & non habentes MAHHAZZEH, velamen, amplexantur lapides. *Itaque vnica Domini fide & veritate munitum defenſionem ſui orare ſe proponit, cauſſamq́ ſuam à bonitate commendat, & attentionem gratiamq́ à iudicis ipſius atque vindicis partibus & officio conciliat.* Non confundar in æternum] *vtpote fiſus & munitus præſidio firmißimo & ad quæuis tempora opportuniſsimo, hoc eſt, tuo. qua in re alludit ad illud Moſis pronunciatum:*
Deut.32. Vbi ſunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam? *quod ex verbo,* TSVR HHAZZAIV BO, *ſignificat,* Rupem, in qua muniti fuerant. *Atqui ſeſe Domini firmißimo præſidio fidentem nunquam pœnitendo conſilio manere, manſurumq́ eſſe ait.* non confundar in æternum. *nec verò viribus dimicare, aut bello ac pugna tueri ſuas partes velle ſe ait, ſed iudicio agere, non accuſatorem, verùm defenſorem; & iuſtæ defenſionis iudicio vindicari ſe ab iis poſtulat, qui non coram eodem iudice, aut bona ex cauſſa, ſed mera inuidia atque iniuria ſe damnant ac traducunt, ipſiq́ ijdem actores, ipſi iudices, ijdemq́ ſui iniuſti iudicij ſeſe præbent immites, vehementes, infeſtiſsimosq́ ſatellites: quos tamen ipſe non vlciſci, ſed effugere & euadere tantùm ſtudeat, curet, & poſtulet.* Non confundar] ALABVSAH, ne pudefiam. *ne propter ſpem fruſtratam, pudore ac rubore afficiar vnquam. id quod abs te metuere, imò & expectare, deberem, ſi vanam, falſam, vel fictam tractarem cauſſam.* In iuſtitia tua libera me] PELATENI, *inſtante ac iamiam imminente periculo me*
פלט *eripe: namque in iſtiuſmodi conditionibus vſurpatur verbum* PALAT,
cuius

cuius paſſiuum NIPHLAT, *Latinis vertitur in* euaſit *ſiue* euaſus eſt. נפלט
Actionis igitur ſumma eſt, appellatio ad iudicem integerrimum, veræ & iuſtæ cauſſæ ab orante agendæ non modò cognitorem ſed auctorem vnicum: agi verò nō de vltione, ſed de orantis liberatione ac ſalute, iudiciſq́ integritate & fide iuſto ac digno euentu conſeruanda ac declaranda: id quod quàm celerrimè ac maturrimè præſtari, & periculi magnitudinis atque vicinitatis rationem ac ius poſtulare, & iudicis auctoritatis ac fidei partiumq́ referre. quod proximo ſubiungitur verſu.

3. Inclina ad me aurem tuam, accelera vt eruas me: eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt ſaluum me facias.

Aperta ac propoſita fiducia, ac totius orationis honeſtas, imò & neceſſitas, indicata, exordium longius nec requirunt, nec admittunt, ſed quàm citiſſimè perorare poſtulant. quæ præcipua totius eſt cauſſa ſermonis. nempe iuſtæ rationis compoti & in extremis periculis poſito homini, atque cauſſæ ſuæ certiſſimo arbitro ac iudici eidemq́ vnico protectori & vindici ac tutori, cuius etiam auctoritas & fides aliàs in dubium apud homines venire poterat, præcipuè apud diuinarum minùs peritos rerum: huic, inquam, homini quàm maturrimam opem poſcere ac prece ſollicitare, imò & efflagitare, conſentaneum conueniensq́ eſſe. quare hoc ipſum Dauid agens, primò attentione ad clamorem petita liberationis ac ſalutis celeritatem rogat.

Inclina ad me aurem tuam] *Sermonis apud pios vſitatiſſima figura, ad ſingularis prouidentiæ beneficium poſcendum. Namque hæc auris Dei inclinatio dicitur, exoratio videlicet ex animi poſcentis voto ac ſententia cum conſequente euentu.* Accelera vt eruas me] *certiſſimum & aliàs inſuperabilem laborem atque inſtans periculum huiuſmodi indicat formulis. id quod vt vincatur vel effugiatur, nulla alia vel vi vel arte præſtari poſſit quàm diuinæ opitulationis, eiuſq́ quàm celerrimæ; præſertim cùm præter cauſſæ honeſtatem, qua iuſtitia appellatur, vis etiam & impetus præſentis periculi reprimendi aut auertendi, auctoritas & facultas principis ac iudicis eſſe ſoleat, non permiſſuri quemquam ad ſe confugientem indicta cauſſa nec dum damnatum ab aduerſariis opprimi ac perdi. Namque in huiuſmodi caſibus tutoris quoque ac vindicis partes Principem decet agere: quas partes orator hoc in verſu appellat.* Eſto mihi in Deum protectorem] LE TSVR MAGHOZ, in rupem muniminis. *Eum, cui temeraria aduerſariorum atque impotens vis metuitur, Principes in propria arce vel aliàs in tuta cuſtodia, quoad iudicio decernatur, protegendum curant. Huiuſmodi etiam iure ſecum agi poſtulat Pſaltes; non qui iudicium declinet (quod potiùs clamat & appellat) ſed qui violento impetu opprimi ſe deprecetur, audiri ac iudicari paratus, & cauſſam dicere promptus.* In Deum protectorem, *ſiue* in rupem muniminis *defenſionis firmitudinem*

Auris Dei inclinatio.

Principis ac iudicis auctoritas.

מצודת *mitudinem ſpectat*, & in domum refugij LEBEITH METSVDOTH, in domum præſidij *ſiue* perfugij. *quo nomine præſidium illud ſignificatur, quo Dauid morabatur cùm patrij fontis requiſiuit aquas.* Et
2.Reg.23. Dauid tunc erat BEMETSVDAH, in præſidio, *loco tuto videlicet aduerſus Palæſtinos, in ſpelunca Odollam. Huiuſmodi loci tutelam ſibi diuina virtute præſtari poſcit; non qui aduerſariorum illinc vim & copias frange-*
2.Reg.5. *re ac perdere ipſe, ſed qui effugere & vitare optet & voueat.* Cepit autem Dauid METSVDAH TSION, arcem Sion. *Huiuſmodi cuſtodiæ vicem tutiſſimam Deum ſibi eſſe optat, vtpote qui nullo alio præſidio ſeſe à tanta potentia & violentia ſecurum fore intelligat, nec tam alios ideò expugnare & perdere quàm ſuæ conſultū ſaluti velit.* Vt ſaluum me
Dauidis fides. facias. *Huius verò petitionis ius & fiduciā non alibi ſibi conſtare indicat, quàm in Domini ipſius virtute, veritate, ac fide; qui cùm ſemel ſe per ſuum prophetam regno Iſraëlitarum diuina auctoritate præfectum iri audierit, hominem videlicet ſolitarium, priuatum, ſingularem, nullis inſtructum opibus, concepta diuini conſilij fide intellexerit, in tam ardua & magna re eum ſolum omnia ſuffecturum & præſtiturum, cuius voluntate ac iuſſu ſeſe inunctum nouerat. Itaque quicquid ad felicem euentum expectandum parari conueniret, in ſolius diuinæ virtutis præſidio ſitum eſſe crediderat: cuius vnica ope nixum ſe omnino declarat.*

4. Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu; & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Fidem, ſpem, fiduciam, reſq́ ſuas omnes, earumq́ incepta, promotiones, & exitus, vnius Dei conſilium, voluntatem, & virtutem ſpectare, ait. In
Gerendis rebus opportuna. *magnis autem gerendis rebus certus primùm optatur, paratur, & aptatur locus, vnde commoda ineatur expeditio, & quò, cùm tempus & ratio atque res ipſa exegerit, tuta petatur & conſtet receptio: profectis verò & in expeditionem prodeuntibus, certo etiam duce, conſiliario, & viarum locorumq́ perito atque ad omnes occurſus prompto monitore auxiliatoreq́ opus eſt. Iam verò cùm res ex animi ſententia euenerint, quemadmodum poſſideantur & conſeruentur, definiri ac ſtatui conueniet; ad eam quoque poſſeſſionem & conſeruationem certa opus eſt auctoritate atque ſecuritate, vel propria poſſeſſuri, vel eius, cuius ope & auxilio in poſſeſſionem fuerit demum deuentum. Atqui hæc omnia vnum ſibi Deum præſtiturum fore, ab initio Pſaltes crediderat, eandem verò fidem ſibi perpetuò conſtare declarat: qui enim ſuperiore verſu dixerat,* Eſto mihi in petram firmitudinis & in domum MESTVDOTH, *nunc idem ipſum ſibi fide ab initio conſtare affirmat.* Quoniam ZZALGHI, petra *ſiue* rupes mea, VMETSVDATHI, & præſidium meum, refugium meum tu. *non quidem propter me, qui tanta re dignus fuerim, ſed* propter nomen tuum IEHVEH, *miſericordiæ atque virtutis & efficacitatis tuæ ſignificantiſſimum, atque*
adeò

adeò propter veritatem ipſam tuo ſitam nomine, deduces me] THENAHHENI. *alludit ad itinera, per quæ Iſraëlitæ quondam deducti, ad vſque expugnandam, obtinendam, & poßidendam promiſſam hereditatem peruenere, obtentaq́ue potiti ſunt, non ſua virtute ſed Domini efficientia & auctoritate.* & enutries me] VTHNAHALENI, & hereditare me facies. *Nam qui hereditatem certo iure & auctore capit, vnde paſcatur & alatur eadem lege nanciſcitur; id quod Latinus reſpiciens interpres reddidit,* & enutries me. *Atque inimicorum ad nocendum partes duæ plerunque eſſe ſolent, vis & dolus, vtrauis infeſta & nocens, verùm vtraque ſimul infeſtißima & horribilis maximè. Ambabus autem ſeſe petitum & circumuentum clamitans, liberari ſola virtute Dei poſſe ait, atque in eadem petitione perſeuerat; & vtrunque nocumenti genus, retis, laqueorum, & caßium nomine & imagine indicat, vt qui tanquam venatorum prædam ſectari ſe ab inimicis & circumueniri ſentiat.*

5. Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi, quoniam tu es protector meus.

Se iam velut implicitum queritur, qui vndique ab aduerſariis vallatum, & vi, arte, calumniationibus, atque fraudibus nouerit circumuentum. ideò tanquam ex præſenti iam exitij periculo ſeſe quamprimùm poſtulat eripi. Educes me de laqueo hoc] MIRESETH ZV, de reti hoc. *Pronomen* ZV *præſentiam arguit ac declarat periculi. Non ait, rete quod metuo, ſed hoc, quod* abſconderunt mihi *vni, non caſu ſed mihi vni, inquam, ſingulari arte & conſilio abſconditum. Laquei autem ſiue retis nomen vim & voluntatem nocendi, abſconſionis verò mentio dolo etiam ac fraude rem agi arguit. quibus quidem vitandis & euadendis malis vnicam ſibi in diuino præſidio conſtare opem dicit, ac totius liberationis & ſalutis vim, ſpem, rationem, & veritatem ſibi in vna ea re (quam ideo identidem repetit) conſtare clamat;* Quoniam tu es protector meus] MAGHVZI, *munitio vnica & arx mihi cognita & vnicè optata. Namque has partes tantùm ſibi delectas atque certas rebus tutandis, conſeruandis, promouendisq́ue ſuis omnibus perpetuò declarat, profitetur, & allegat, ac tanquam firmißimum cauſſæ ſuæ fundamentum ſæpius commemorat. Hunc colorem in Rhetoricis noſtris* FIRMAMENTVM *vocabamus. Iam verò, cùm vim, dolos, fraudem, robur, & potentiam ab aduerſariis & inimicis declarauerit, omniaq́ue ſumma aduerſum ſe conſtare, ſibi nihil prætérquam ſpiritum & vitam ſupereſſe ait; non copias, non opes, non alia humana auxilia, non vires, quibus vitam tueatur ac propugnet ſuam, non artes & fraudes callidáue commenta, vt inimicorum declinet aut eludat impetum vel inſidias: vnicum autem eſſe ſibi reliquum perfugium, vnicum conſilium deponendi ſpiritum ſuum ac tradendi & committendi manibus Dei miſericordis & prouidentis* IEHVEH, *eiuſdemq́ue fortißimi & robu-*

 ſtißimi;

ſtiſsimi; cuius vnius ope & auxilio ſe aliàs ſæpe liberatum agnoſcat & liberandum porrò firmiſsimè ſperet, vtpote & efficaciſsimi & veraciſsimi.

6. In manus tuas commendo ſpiritum meum: redemiſti me Domine Deus veritatis.

Luc. 23. *Hunc eundem verſum à* IESV *Seruatore iam ſpiritum emiſſuro citatum, atque à figura ad veritatem vſurpatum legimus, vtpote in hac parte atque in quamplurimis aliis veram Dauidis, hoc eſt, dilecti Dei perſonam & cauſſam ſuſtinente & peragente. Significauit autem illo in tempore & clamore* IESVS, *veram ſalutis publicæ, quam ipſe Pontifex procurabat, auctoritatem & facultatem in ſola diuina virtute eſſe, conſtare, & effectam abſolutamq́; datum iri, quàm primùm ſuus à ſe ſpiritus vltrò oblatus emitteretur, quem ideò inclinato capite Patri ſuo commendatum emiſit,* & exauditus eſt pro ſua reuerentia. *Illius itaque imaginem quondam repræſentans Dauid, ſuum quoque ſpiritum variis & multis vexatum & ad necem petitum ſectatumq́; modis, miſericordi & efficaciſsimo Deo liberandum & à morte & oppreſsione eximendum committit.* In manus tuas] *Manus virtutis & efficacitatis vt miniſtræ ſunt, ita etiam in diuinis certam præferunt ſignificationem.* Commendo] AEPHKOD, commendabo, *commendare ſemper mihi certum eſt.* PAKAD *verbum, curam, cuſtodiam, tutelam, actionem denique reſpicit omnem. Futurum tempus commendantis mentem ſtudiumq́; in ſacra lingua exprimit; præteritum verò* PADITHANI, redemiſti me, *rem certiſsimam & indubitanter expectatam atque aliis exemplis firmatam ſignificat, duobus appellatis nominibus, altero ad miſericordiam, voluntatem, & efficacitatem, altero ad virtutem & efficientiam referendo.* IEHVEH, EL EMETH. *vocandi caſu pronunciatum* EMETH, *idem valet quod* fortis; *patrio caſu Latinè redditum, idem quod* VERAX, *refertúrque ad vtrumque præcedentium,* Dominè verè miſericors & efficax, Deus verè fortis & efficiens. *Iam verò ſuæ & aduerſariorum cauſſæ diſcrimen, ſententiarum & ſtudiorum comparatione ac diſcrepantia declarat: quòd illi à timore & religione atque à vera Dei cognitione & cultura & ex conſequenti à certa inuocatione ac tutela ſeſe abalienarint; ipſe verò ſolo veræ pietatis propoſito firmiſsimè nixus, fide & ſpe diuinæ prouidentiæ ſulciatur, in eandemq́; omnes cogitationes contulerit ſuas.*

David Chriſti typus.

Heb. 5.

Manus.

פקד

7. Odiſti obſeruantes vanitates ſuperuacuè: ego autem in Domino ſperaui.

Anima. Animus. Spiritus. Conſiliorum vanitas.

Anima dicitur ea pars, qua viuimus; qua verò ſapimus, animus & ſpiritus vocatur. Vitam autem, conſilia, & cogitata omnia ſua Deo miſericordi ac forti commendata ſibi aſſirmauerit, id ſibi proprium perpetuumq́; aſſeuerat atque omnino diuerſum ab aduerſariorum conſilio, mente, & animo,

mo, quos ſua ipſorum libido & vana ambitio atque ambitioſa & ſuperba præſumptio à vero & recto tranſuerſos agunt. Odi, inquit, prorſusq́; diſſentio ab iis, qui ſeſe vanis cogitatis ac inutilibus conſiliis obligando ſtudium operamq́; impendunt. Odiſti] *in exemplari eſt* SANETHI *primæ perſonæ verbum, quod Latinè in ſecunda lectum ſignificat eandem rem Deo ac Pſalti inuiſam.* Obſeruantes vanitates ſuperuacuè] HASOMRIM HHABELEI SAVEH, cuſtodientes ligamenta *ſiue* funes *ſiue* nihil vanitatis. *Latinè dicere poſſumus*, detentos nullis rerum. *Nam* HEBEL *apud nos* nihil *dicitur, & pluraliter quoque reperitur hic & apud Salomonem*, Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas, HEBEL HABALIM, *quod Hiſpanicè dicitur* Nada de nadas. *Atqui obſeruare* vanitates *ſiue* nugas, *eorum eſt, qui ſtudium ponunt in nullius frugis exquiſitis rationibus, in eaq́; re oleum, ita vt dicitur, & operam perdunt. Quidquid verò præter vnicum Deum eundemq́; ſapientiſſimum & prouidentiſſimum hominibus obſeruatur aut ſperatur & expectatur, id meræ nugæ, id vanitas, fruſtratio, ſtultitia; denique, ſi Latinè ita loqui liceret, ipſamet* NIHILA *tandem eſſe deprehenduntur. Quod verò adiungitur,* ſuperuacuè, *ad exitum ſpeſq́; demum fruſtratas referimus. Atque iſtiuſmodi vicem ac ſortem cupidis, ambitioſis, auaris, & ſtultis omnibus prænunciat, odium videlicet ſuum ac deteſtationem propoſiti: quod oppoſitione animi conſiliiq́; proprij apertiùs declarat & notat.* Ego autem in Domino ſperaui] *Spem, expectationem, fiduciam, atque adeò cogitationem omnem in vnicum Dominum prouidentem, propitium, & miſericordem, atque ad illum vnum acta, facta, otia, & negotia ſua in vniuerſum ſe referre ait, cum ſumma certitudine boni & felicis euentus, ex eius, cui fidit, miſericordia, virtute & efficientia obtinendi, & manifeſta gratulatione ſibi celebrandi: atque ita vt antecedens antecedenti, ſic etiam conſequens conſequenti opponitur. Alios ait acta, cogitata, & ſpes ſuas, ad nihilum relata in caſſum & ſuperuacuum deſiiſſe exitum; ſuæ autem fiduciæ euentum ad lætitiam vſque & gratulationem proceſſurum canit.* Ego autem in Domino BATAHHTHI, fidi, fiduciam habui; *& iam diu hoc animo ſum: quid autem inde expectem, eueſtigio ſubiungam.*

הבל Eccls. 1. Spes in ſolo Deo.

8. Exultabo & lætabor in miſericordia tua: quoniam reſpexiſti humilitatem meam: ſaluaſti de neceſsitatibus animam meam.

Prior verſus pars euentum, poſterior ſuæ fiduciæ exponit exitum, eumq́; ita certum, vt præterito tempore indicare non dubitet. Euentum lætitiæ & exultationis ex beneficio diuinæ miſericordiæ; miſericordiæ, inquam, non ſuperbis aut vanis conſiliis, verùm modeſtiæ, humilitati, & indigentiæ, atque afflictioni proſpicere & fauere ſolitæ. Reſpexiſti humilitatem

 meam.

Luc.1. meam. GHANI'. *Sic virgo fæminarum ſanctiſsima:* Quia reſpexit
Pſal.112. humilitatem ancillæ ſuæ. *Nam* Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra? Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem. *Manifeſtum verò diuinæ erga pios prouidentiæ argumentum ex opportunitatibus capitur & obſeruatur, præcipuè cùm miſeris & calamitoſis eo tempore affertur ſalus, quo maximè opportuna & neceſſaria fuerit, & iudicio hominum quàm longiſsimè putabatur abeſſe, hoc eſt quod ſignificantiſsimè adiungit Vates,* Saluaſti de neceſſitatibus animam meam. *in exemplari lingua,* IADAGHTHA BETSAROTH NAPHSI, nouiſti in preſſuris animã meam. *Familiare prouidentiæ diuinæ verbum hoc loco vſurpatur apertiſsimè. Namque in antiqua Aegyptiacæ ſalutis hiſtoria non ſemel idem obſeruatur verbum,* VE ADAGH ELOHIM. Et reſpexit Dominus filios Iſraël, & cognouit eos. *& paulò pòſt,* CHI IADAGHTHI ETH MACHOBAIV, Sciens dolorem eius deſcendi vt liberem eum de manibus Ægyptiorum. *ita hoc loco,* Nouiſti in tribulationibus *ſiue* in neceſſitatibus animam meam. *Alterum itaque argumentum ex opportunitate, alterum ex certa, plena, integraq́ ſalute, calamitati ac preſſuræ prorſus oppoſita, ſumitur.*

Cognoſcere Deus vt dicatur.

Exod.2.

Ibid.3.

9. Nec concluſiſti me in manibus inimici: ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.

Opera Dei omnia perfecta, & beneficia atque ſingularia miracula nuſquam non integra & manifeſta omniq́ exceptione immunia viſuntur. Duplici incommodorum genere ſe affectum narrabat Vates, vallatum nempe ab aduerſariis & inſectatoribus, atque in ſummas loci redactum anguſtias: vtroque autem ſe iamiam eximendum gratulatur atque prorſus liberatum iri adeò fidit, vt veluti factum pronunciet. Nec concluſiſti me, *non paſſus es me concludi,* in manibus inimici; *atque ex maximis anguſtiis, quibus vallatus premebar,* ſtatuiſti *firmiter & potenter* in loco ſpatioſo pedes meos: *ita vt mei ipſius compos euaſerim & liber conſtiterim. Id quod cùm aliàs expertus fuerit Pſaltes, de integro inſtaurandum firma credens fide, occaſionem eandem præſentem clamat, & allegat ad conſimilis beneficium ſalutis exorandum & impetrandum, illi ſemper innixus propoſito:* In te Domine ſperaui, non confundar in æternum. *Subiungit itaque opportunitatis exemplum grauiſsimum & vehementiſsimum.*

10. Miſerere mei Domine quoniam tribulor: conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.

Anguſtiarum ſummus gradus.

Anguſtiarum & preſſuræ ſummus gradus eſt, cùm quis ita premitur, ita affligitur, vt præ totius corporis labore non ſolùm ſpiritu & anhelitu intercipi, ſed oculorum ac viſus acie caligare ſeſe ac turbari & penè deficere ſentiat:

tiat: id quod quotidie in frequenti hominum cætu accidit, vt mulieres & pueri, interdum quoque & grandiores, denſitudine oppreſſi periculo animæ laborent, nonnunquam verò & extinguantur: qualem exitum Iſraëlitarum regis intimus ille familiaris ad Samariæ portam narratur habuiſſe. Et apud exteros: Nobis properantibus obſtat Vnda prior: magno populus premit agmine lumbos Qui ſequitur, *&c.* Conturbatus eſt in ira oculus meus] BECHAGHAZZ, anxietate, cordolio. Anima mea & venter meus] *Moleſtiſſimè affecti hominis habitum deſcribit, hoc eſt, corpore toto compreſſi, ſenſu deficientis, & ſpiritu atque anxietate penè confecti: quæ conditio vt miſericordiæ exercendæ opportuniſſima, ſingulatim quoque amplificatur, tum propter grauitatem, tum verò propter diuturnitatem ac durationem.*

11. Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus: infirmata eſt in paupertate virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt.

Quò grauior, importunior, ac diuturnior miſeria fuerit, eò maior, iucundior, opportunior, & conſtantior, atque ex conſequenti gratior prouiſa & collata æſtimatur ſalus, eadémque certiùs cognita palàm cunctis probatur. Atque huc illud pertinet: Deus noſter refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos NIMIS. *Aduerbium* NIMIS *ad vtramque antithetorum partem referendum cenſemus*; in tribulationibus, quæ inuenerunt nos MEOD, valde, vehementer, nimis, ille eſt noſtrum refugium; & adiutor MEOD, validiſſimè & præſtantiſſimè. *Igitur auxilij expectati & poſtulati opportunitatem, ærumnarum laborumq́ exaggeratione per partitionem confirmat Vates: quòd vita, quam bonis actionibus atque ſtudiis tradere exoptarit, labore, ærumna, atque dolore, tota conſumatur, & iamiam ad extremum acceſſerit: anni etiam fluxerint non in lætis aut iucundis rebus, non in carminibus ac diuinis laudibus recitandis & celebrandis, verùm in ſuſpiriis ac gemitibus doloris vi expreſſis. Sic animo ſe habere queritur: corpore verò non leuiùs laborare, vtpote cui vires omnes, quæ in neruis & oſſibus vigere ſolent, vtraque in parte debiliſſimæ ac ferè nullæ ſuperſint. Virium autem naturalium duplex experimentum eſt, alterum ad efficiendum, quod in neruorum vigore, contentione, & agilitate; alterum verò ad ferendum & ſuſtinendum, quod in oſſium robore & firmitudine ſpectatur. Vtrumque autem ſufficitur duabus partibus, humore pingui, & humorem temperante vitali ſpiritu: quarum defectione laborare ſignificat.* In paupertate] BE GHONI, in inopia. *namque Latinè inopiam virium dicimus.* Et oſſa mea conturbata ſunt] GHASSASSV, emarcuerunt, *ſiue* corroſa ſunt. *Namque* GHAS *Latinè* Tineam *ſignificat, quali veſtes corroduntur ac vitiantur, illiusq́ vermiculi damnum dicitur* GHASSAS. *Animalis autem*

Saluтis opportunitas & iucunditas.

Pſal. 45.

Virium experimētum.

viui oſſa cùm temperato deſtituuntur ſucco, eiuſmodi vitium atque veſtes à tinea facere ex medicina nouimus. Quæ omnia incommoda, non tam ex effectu quàm ex affectu, in Dauide, atque in eo quem Dauid referebat, Christo ab inimicis oppreſſo interpretamur. Sed in IESV *Chriſto magnum neque huius loci aut temporis arcanum, in Dauide ingentem corporis atque animi laborem intelligimus. Iam verò illud quod miſeris & ærumnoſis ægritudinis auget cumulum, iis quæ numerata ſunt, adiungitur; hoc eſt, non ſolùm inimicorum aduerſariorumq́; crudelitas & inuidia, ſed vicinorum, notorum, atque adeò propinquorum deſertio ac deſtitutio, imò & deluſio atque improbatio.*

Dauidis vtriuſque afflictio.

12. Super omnes inimicos meos, factus ſum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis. Qui videbant me, foras fugerunt à me.

Oppreſſi à potentioribus quæ pati ſolẽat.

Super omnes inimicos meos] *Vltra ea, quæ ab inuidis & inimicis patior, magnam ſuſtineo reprehenſionem & exprobrationem à vicinis, qui ſuperbiæ, inſolentiæ, atque audaciæ perditæ, Dauidis incepta & facta culpabant & accuſabant. Cuiuſmodi illud Nabalis pro tempore vicini durum & probroſum reſponſum:* Quis eſt Dauid, & quis eſt filius Iſai? Hodie increuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos. *Huius generis exempla frequentiſſima & notiſſima ſunt iis, qui à potentiore opprimuntur parte; & illa præterea, quæ non ſolùm apud vicinos, verùm apud neceſſarios quoque ſpectantur, ſeſe à miſeris & afflictis atque oppreſſis abalienantes ac ſubducentes, prouidendi ac ſibi eo pacto cauendi opinione & cura.* & timor notis meis] *qui, vt periculi communionem declinent, nihil non deſerunt officij. Id quod agentes aliquando cæci nati atque à Chriſto ſanati iuuenis parentes, ita ſibi cauebant:* Nos neſcimus, ipſum interrogate: ætatem habet, ipſe de ſe loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos. Iam enim conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret. *Hanc itaque prudentiæ carnis imaginem ad viuum in ſuis etiam temporibus editam depingit Vates.* Qui videbant me foras [BEHHVTS, in via *ſiue* in platea] fugerunt à me: *vel occurſum vitantes meum tanquam hominis peſte affecti, atque ita ſuarum rerum incommodis cauere ſe poſſe arbitrantur. Vulgares verò iſtæ coniunctiones, amicitiæ, ac ſocietates inter ſe hominum partim quidem neceſſitudine coeunt, partim verò, imò plerumque, vtilitatis opinione ac ſpe conflantur. Vtræque autem cùm non virtutis & pietatis vi conſolidatæ fuerint, vel leuiſſimo communis periculi metu, vel vtilitatis deſperatione celerrimè diſſoluuntur. Priori parti peruerſæ erga ſe ſuorum amicitiæ hoc verſu notatæ, poſteriorem ſubiungit è veſtigio.*

1. Reg. 25.

Iohan. 9.

Amicitia vulgaris.

13. Obliuio-

13. Obliuioni datus ſum tamquam mortuus à corde: factus ſum tamquam vas perditum.

Mortuorũ recordatio & deſiderium.

Nihil inter vulgares animos vſitatius, quàm eorum, qui dum viuerent aliquo in pretio habebantur, atque etiam ſuſpiciebantur, memoriam vnà cum cadauere ſepeliendam abijcere. Commodè verò in mentem venit vulgatæ ac prouerbij loco circumlatæ apud Belgas poſt noti cuiuſpiam funus conſolationis, Men moet den dooden met den leuenden vergeten: *Viuorum cauſſa, mortuorum expedit obliuiſci. Ita ſecum à ſuis actum queritur Vates, quorum nullam iam ſui curam, imò nec recordationem, expectare poſſit; perinde atque mortuus quiſpiam, cuius nec memoriam vtpote moleſtam, qui ſibi cauent & indulgent, supereſſe ſtudent. Nam deſiderium, quid attinet dicere? Extinctorum quippe memoriam minùs grauiter & moleſtè viui quàm deſiderium ferunt: ſi qui tamen non vtrumque prorſus abiecerint. Namque recordatio nullâ etiam requiſitâ vtilitate manere poteſt, deſiderium verò non niſi rei vel perſonæ caræ atque vſu ſui commendabilis atque expetitæ dicitur. Cùm verò memoriam ſui in vicinorum notorumq́ corde extinctam prænotauerit, vllum deſiderium cuiquam relictum aptiſsima ſimilitudine pernegauit, vaſis, inquam, fracti, &* perditi; *quod, quia nulli putatur fore vſui, non modò negligitur ac deſpicitur, ſed etiam vt ſordens è conſpectu atque è medio tollitur, neque id ſine deteſtatione & contumelia. id quod etiam ſibi Vates notat eueniſſe.*

14. Quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo dum conuenirent ſimul aduerſum me, accipere animam meam conſiliati ſunt.

Vulgus odit damnatos.

Damnatos aut ſuperiorum inuidia odioq́ ſectatos turba tremens non maledictis modò inceſsit, verùm etiam maleuolentia, iniuriis & incommodis vexat, atque adeo conſiliis & factis pernicioſis inſectatur, accuſat, prodit ac tradit, hoc pacto maioribus ſeſe gratificari arbitrata. Hinc illud exemplum turbæ clamantis principum & ſeniorum inſtinctu, Tolle, tolle, crucifige eum. Quoniam audiui] *Vox* quoniam *aſſeuerationem hoc loco adſignificat. Ipſe ego meis auribus audiui* vituperationem, DEBATH, infamiam, *non vnius tantùm, ſed* multorum, *ideoq́ periculoſiorem, præſertim vicinorum &* commorantium in circuitu. *qui ipſi probra, maledicta, & mendacia confingentes, conſilia in meam perniciem coniungunt & ſociant. In ſeſe expertus eſt prior hic Dauid expreſſum exemplum illius calumnioſi concilij, quod verus Dauid* IESVS *Chriſtus apud Annam Pontificem ſubijt.* Blaſphemauit: quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam; quid vobis videtur? At illi *Matth. 26.*

reſpon-

reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis. *Igitur humanis opibus, auxiliis, amicitiis, atque ſubſidiis cunctis deſtitutum, atque adeò mille vexatum & indignè afflictum oppreſſumq; vndique modis, vnica fides & ſpes expectatioq; fulcit diuini præſidij efficaciſſimi, cum certiſſima perſuaſione præ-* Prouidẽtia Dei erga pios. *ſentis ac perpetuæ prouidentiæ, quæ nihil ex inimicorum animi ſententia, ſed ex commodo potiùs & vtilitate vera piorum fieri aut euenire conſtitue-* *Matth. 10.* *rit. S. S. E.* Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. *Hanc partem tanquam totius precationis fundamentum ſolidiſſimum repetit atque vrget Vates.*

15. Ego autem in te ſperaui Domine: dixi: Deus meus es tu:

16. In manibus tuis ſortes meæ: eripe me de manu inimicorum meorum, & à perſequentibus me.

Fidem fiduciamq; ſibi diuinæ prouidentiæ ac tutelæ in anguſtiſſimis etiam rebus ac difficillimis temporibus immotam conſtantemq; ſupereſſe, confeſſione adiuncta declarat; non qui aduerſariis vltionem, ſed qui iudicium ſibi dari poſtulet. Ego autem] *Simplicitatem ſingularitatemq; ſuam totis illis potentum inimicorum partibus & artibus opibuſq; opponit, atque ſibi vnicum diuinum appellat precaturq; iudicium & ſubſidium, idq; quocunque pacto exerceatur ſubire certus, etiam atque etiam expetit & poſtulat, nempe intelligens in ſuam ſalutem euaſurum.* In te ſperaui] ELEICHA BATAHHTHI, ad te fidi; *iam diu eſt quòd ſtabiliſſima tui fulcior fiducia, à qua nullis vnquam, tametſi maximis & frequentibus crebriſq; periculis dimotus fuerim; quippe qui te vnicum Principem, iudicem, gubernatoremq; mihi nominauerim ſemperq; habuerim, mearúmque omnium rerum laudauerim & conſtituerim arbitrum.* Dixi, *certo dicto, conſilio, ac propoſito,* Deus meus es tu. ELOHAI ATHAH, Princeps, gubernator, & iudex atque rector idemque tutor. *cuius conſilio ac numine mea gubernantur omnia.* In manibus tuæ ſortes meæ] GHITOTHAI, tempora opportunitateſque meæ. *Quas agricolæ dicunt horas, ſiue opportuna tempora, tum plantandi, tum rigandi, tum etiam fructus colligendi, Itali* ſtagiones, *Hiſpani* Sazones, *linguarum* עתות *antiquiſſima vocat* GHITOTH; *quales diſertè Eccleſiaſtes congeſſit.* *Eccleſ. 3.* Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub cælo. Tempus naſcendi, & tempus moriendi. Tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum eſt. Tempus occidendi, & tempus ſanandi, *&c. Quæ omnia cùm non in hominum conſilio aut libidine, ſed in Dei prouidentia ſibi poſita Vates affirmauerit, poſt turbulentiſſimum ſtatum in ſummam ſalutis tranquillitatem euaſurum ſe credit, ſperat, & poſcit,* *Indid.* *quando ex diuino decreto,* Tempus flendi, & *rurſum* tempus ridẽdi *conſtitutum ſit.* Eripe *ergo* me de manu inimicorum meorum, & à perſe-

à perſequentibus me] Inimicos *vocat primarios & potentiores aduerſarios,* manum *verò illorum potentiam, auctoritatem, & violentiam, atque immanem tyrannidem, cui cæteri vt obſequantur, operamq́ dent, de ſe [Dauide] capiendo ac tradendo laborant. In tantis igitur tam turbulentis anguſtiiſq́ tempeſtatibus, diuinæ tutelæ vindicationem opportunè à ſe clamari & poſci indicat: in eaq́ re nō tam ſuam quàm Dei ipſius cauſſam verſari ait, quippe qui non vt priuatus ac ſingularis quiſpiam homo vexetur, ſed vt ſeruus certis miniſteriis ab eodem Deo ſecretus ac deſtinatus; quæ quidem inimici interpellare atque irrita reddere ſatagunt, dum ipſe obire ac præſtare cupit & laborat: idcoq́ Heri ac Domini ſui opem, auxilium, & auctoritatem appellat; cuius præſentiâ fidem veritatemq́ ſuam, Dei etiam dignitatem ac maieſtatem comprobatum aſſertumq́ iri vouet & peroptat.*

17. Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum; ſaluum me fac in miſericordia tua.

Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum] *qui eo nomine opprimitur quòd tibi Domino obedit. idem verò à ſe delectus fuit, non qui popoſcerit aut ambierit, ſed qui tuæ gratiæ ac miſericordiæ placuerit. iſtam verò miſericordiam tibi conſeruandam commendo: quam vbi promoueris, mihi verè ac ritè allegatam, declarabis te vnum Dominum, me verò ſeruum fidelem, clamantem;* Saluum me fac in miſericordia tua.

18. Domine non confundar, quoniam inuocaui te. Erubeſcant impij, & deducantur in infernum.

Domine non confundar, quoniam inuocaui te] *Confuſio dicitur deprehenſæ vanitatis erubeſcentia & pudor. Eſt autem oratio non tantùm poſcentis, verùm etiam fidentis. Ego miſericordiæ tuæ in me mihi conſcius, nunquam veritate requirenda erubeſcam; quin potiùs profeſſor ſeruitij erga te mei, victor & compos te Domino aſſerente euadam. Erubeſcentia namque & confuſione, non ſimplices & modeſti ac recti, ſed qui malam & iniuſtam tractant & agunt cauſſam, iure affici debent.* Confuſio. Erubeſcant impij & deducantur in infernum] *Antitheton eſt ſuperioris verſus, futuro tempore ſimiliter ad aſſeuerationem & certitudinem pronunciatum. Atque ex ſingularis negatione, vniuerſalis affirmatio constructa: quæ pugnantium maximè orationum (quas contradictorias vocant) vis eſt. Ego, inquit, qui veritatem cauſſæ tueor, te aſſertore & iudice nunquam erubeſcam, imò contrà illi meritò erubeſcent, qui damnandam defendere moliuntur cauſſam; iſti, inquam, cadentes nec mutire quidem valebunt, ſed mortuorum & ſepultorum inſtar ſilere cogentur.* Impij, RESAGHIM, improbi; *qui per ſummam audaciam, meliorem & ſimplicem atque integrum iniqua lite opprimere conantur.* Impij. Deducantur in infernum] IIDOMV LISEOL, Taceant ad ſepulchrum. *Vna*

 ex præ-

דום *ex præcipuis verbi* DOM *ſignificationibus eſt ſiſti, immobilem taciturnumq́ eſſe: vt ex illis obſeruare eſt locis:* SEMES BEGIBGHON DOM, Ioſue 10. Sol contra Gabaon ne mouearis. *&*, Manete donec veniamus ad vos. 1.Reg.14. Iſai. 23. Hærere. *&*, Tacete qui habitatis in inſula. *Latini in hanc ſignificationem verbum* Hærere *vſurpant. Duobus itaque verſibus theſeos atque hypotheſeos rationes indicatæ ſunt, id eſt, ſingularis cauſſæ innocentis huius, qui eloquitur, Vatis, & communis improborum omnium. Quinam verò hîc vocentur improbi, ſubiuncta notantur deſcriptione.*

19. Muta fiant labia doloſa: quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem, in ſuperbia, & in abuſione.

Mendacij ac vanitatis, malignitatis ac inſolentiæ, quínam qualesq́ expectandi ſint fructus, vno verbo אלם ALAM *comprehendere eſt; quod &* muteſcere mutúmue eſſe *&* viduari *ſignificat, atque ex conſequenti non ſolùm rebus, verùm etiam verbis ac oratione vel inepta ſaltem ſeſe tueri vel colore aliquo fucum facere minimè poſſe: qua conditione nihil eſt magis probroſum.* labia doloſa] SAPTHEI SEKER, labia mendacij. *quæ non ſolùm id quod falſum eſt quodq́ vanum deprehendetur loquuntur, ſed quod pernicioſum etiam cum iniuria innocentis tractare audent.* aduerſus iuſtum] *aduerſus eum, cuius melior & vita & cauſſa eſt. neque verò id ex errore vel ignoratione agunt, ſed* in ſuperbia, & in abuſione: גאוה בוז *inſolentiſſimè & audaciſſimè, imò & contumelioſè.* GAAVAH, inſolentiam, ſuperbiam *&* faſtum faſtidiumq́ *pariter ſignificat:* BOZ *verò, pro quo hic Latinè legimus* abuſione, *contemnere, deſpicere, ac flocci facere apud nos eſt: vt in illis locis,* VAIABOZ GHESAV ETH HABECHORAH, Gen.25. & contempſit Eſau primogenita. *&*, Num.15. Verbum enim Domini contempſit. *Huius deſcriptionis exemplum in illo quod citauimus* 1.Reg.25. *Nabalis Carmelitæ reſponſo exprimitur*, Quis eſt Dauid? & quis eſt filius Iſai? Hodie increuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos.

Quæ loquuntur aduerſum iuſtum iniquitatem in ſuperbia & abuſione] עתק GHATHAK, *pro quo hîc Latinè eſt* iniquitatem, *dictum ſiue fabulam veterem ſignificat; quæ vel ex certo vel ex nullo exemplo olim facta aut conficta, in rem præſentem falsò & ineptè vſurpatur: vt, quod vulgò olim circumferri ſolitum, Steriles mulieres ingratas eſſe Deo. Quam communem & vulgarem ſententiam redarguens Anna canebat:* Recedant GHATHAK, vetera de ore veſtro, quia Deus ſcientiarum eſt. *& apud hunc Vatem,* Nolite loqui aduerſus Deum GHATHAK. *&*, Effabuntur, & loquentur GHATHAK iniquitatem; loquentur omnes qui operantur iniuſtitiam? *Igitur vulgaria iſta dicta, quæ apud imperitos circumferuntur, oraculorumq́ inſtar haberi videntur, ſapientibus ac pijs pro nugis cenſentur: inter quæ vnum eſt, eos quos incommoda ac detrimenta ferè ſemper exercent & vexant, ſuperis inuiſos cenſendos. Cui para-*

Vulgaria dicta. Steriles mulieres Deo ingratæ, vulgaris ſententia. 1.Reg.2. Pſal.74. Pſal.93. Quibus res minùs proſperæ Deo inuiſos credit vulgus.

paralogiſmo ita occurrebat Anna. Quia Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes. Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore. Repleti priùs pro panibus ſe locauerunt; & famelici ſaturati ſunt: donec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & ſubleuat. *Id quod aſſeueranter Vates illa canebat, noſter hîc per epiphonema admiratus prædicat.*

20. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te. Perfeciſti eis, qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum.

Prouidentia Dei erga pios.

Iudicio conſilioq; Dei mortalium ſapientiam illudi, irrideri, & labefactari, & ſuperiùs citatum Annæ canticum & huius Dauidici carminis peroratio dilucidè docent. Cuius conſilij ſumma doctrina hominibusq; vtiliſſima eſt: Pios, ſimplices, innocentes, ac modeſtos, non modò nunquam à Deo deſtitutum, ſed maximis diuinisq; beneficiis & muneribus affectum & amplificatum iri, paululùm modò ad fidei, ſpei, & patientiæ probationem præexercitatos, demum verò cum maxima cæterorum admiratione atque erubeſcentia & fruſtratione liberandos & prouehendos. Multitudo dulcedinis tuæ] RAB TOBECHA, boni tui magnitudo & copia; *quæ non ex mente, cenſu, vel æſtimatione humana, ſed ex arcani conſilij tui ac miſericordiæ immenſitate ſeſe tandem prodit, cognoſcendamq; præbet.*

Diuitiæ ſanctis apud Deũ repoſitæ.

Quam abſcondiſti] TSAPHANTHA, repoſuiſti, *in arcanis diuitiarum tuarum theſauris. Namque hæc ſignificatio eſt verbi* TSAPHAN, *reponere & reſeruare tanquam theſaurum loco aliis præterquam ipſi, qui repoſuerit, ignoto. Ex quo verbo Boreæ Aquilonari vento nomen* TSAPHON *datum, vtpote ignotæ prorſus mortalibus originis & eidem nubes omnes ac pluuias pellenti & abſcondenti in ſerenumq; mutanti. Nec verò ſuæ bonitatis diuitias, quas piis repoſuiſſe prædicatur Deus, in alterum tantùm ſæculum reſeruare ſemper ſolet, ſed etiam viuentibus & ſentientibus in hac etiam mortali vita poſt certam ſpei probationem præſtat & perficit, promiſſaq; liberat ſua.* Perfeciſti eis, qui ſperant in te, *non clàm aut in occulto, verùm* in conſpectu filiorum hominum. *Verùm enimuerò non omnia, quæ hominibus bona putantur, definitionem diuini merentur boni; ſed ea tantùm, quæ ipſius Dei miſericordiam, gratiam, communicationemq; ſpectant, atque in promiſſis Dauidi factis & præſtitis vt in ſingulari quadam portendebantur imagine. Et quidem eos, quibus bona ſua Deus repoſuit, quamquam inimicorum inuidia & malignitate priùs tentari, & ad modeſtiam patientiamq; permittat exerceri, non tamen vel malis & ſuperbis facinoribus lædi, ſed neq; maledictorum probrorúmue*

צפן

צפון Aquilo ventus.

notis inuri & memoriæ tradi ſinit. vtpote quos in ſuæ prouidentiæ tutelam receptos, ab vtroque incommodorum genere defendat.

21. Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.

Sanctorum refugium. *Inimicorum ſuperbè, inſolenter, & contumaciter inſectantum atque perdere properantium impetus, altiſsimum & inacceſſum perfugium & latibulum quiſpiam nactus eludit & contemnit: tale autem à Deo prouideri & conſtare iis, qui ſibi fidunt, Vates narrat: nempe* Altiſſimum poſuiſti refugium tuum. *idem quoque nulli mortalium quamquam ſuperbia & potentia furioſo & ſublimi acceſsibile, vtpote lucidiſsimũ & quod omnium oculos hominum præſtringit ac turbat.* in abſcondito faciei tuæ. *de qua ſcriptum extat,* Non videbit me homo, & viuet. *Tanta enim faciei diuinæ lux eſt & maieſtas, præterquam etiam quòd præſentiſsima ſemper valet ac pollet defenſionis tutela. Nemo enim hominum tam temerarius, tam fortis, tam inſanè audax fuerit, qui quem inimicè atque inſtanter ad necem inſectatur, ad regis vel Principis confugientem & peruenientem conſpectus, tamen contingat ac lædat, nedum ſi defendendum ſibi hoc pacto rex ipſe ſuſceperit. Atque ita* abſcondes *idem quod defendere, tueri, & conſeruare hoc loco ſignificat. qua ratione cælum ac terras tuens & regens Deus dicitur.* à conturbatione hominum] MERACHZZEI AIS, à ſublimitatibus viri. *Vim, ſuperbiam, inſolentiam, & potentiam tam publicam plurium, quàm priuatam ſingularemq́; duobus hiſce excludit nominibus, atque ita pios ac ſibi fidentes à mala tutos re & calamitate conſeruare Deus laudatur, eoſdem quoque à maleuolentium probris ac obtrectationibus & inuidia non minùs prædicatur aſſerere:* Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum] *Vulgaris & vetus olim opinio fuit, inuidiam faſcini genitricem eſſe. Vt enim quæ rectè aliàs & habebant & valebant, faſcinatione lædi ac labefactari putabant; ſic bonas artes ac virtutes inuidentum maledictis morderi atque impediri, retardari, & non rarò interimi: vt illud autem ſuffitibus, herbis, & amuletis, ita & hoc diſsimulatione aut fuga & abſentia, ac demum deſiderio vitari ac compeſci. Hinc illud apud Poëtam:*

Facies Dei. Exod. 33.

Faſcinatio.

Inuidiæ remedium.

Virgil.

—— Bacchare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Ad iſtam itaque veterem vulgi opinionem Vates alludens, negat quicquam curandam fore piis inuidiam detractionémue maleuolorũ; vtpote quos Deus non fuga, non herbis, non morte ab infamia & nota eximat, ſed intra tabernaculi ſui penetralia cõtentos & verſatos aſſerat & ſeruet; vſque adeoq́; à malis tutetur linguis, vt quiſquis maledictis inceſſere audeat, idem in ſanctam ſacramq́; ædem, & in ſanctorum vitam, conſuetudinem atque integritatem,

tatem, impiè allatraſſe & oblocutus fuiſſe iudicetur. Proteges eos in tabernaculo tuo, à contradictione linguarum] *Vt ſuperiori hemiſtichio Iſraëlitas quondam rubro mari perductos in columna ignis, in mediaq; luce ab inimicis defenſos & liberatos proponi ac reſpici, ita in hoc Aaronis perſonam & familiam à Core & cæterorum æmulantum detractione atque inuidia vindicatos intelligimus, & ad vtrumque exemplum pronunciatam à Vate ſententiam. Atqui totam illam hiſtoriam quiſquis legerit, operæpretium tum ad multa alia, tum & ad hoc exemplum faciet; nobis verò quia referre non vacat, illam in hunc ipſum locum partem deſcribi expedierit.* Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Iſraël ſequente die contra Moyſen & Aaron, dicens: Vos interfeciſtis populum Domini. Cumque oriretur ſeditio, & tumultus increſceret, Moyſes & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis: quod poſtquam ingreſſi ſunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini, *&c.* A contradictione linguarum] MERIB, à rixa. *Idem verbum aliàs in huiuſmodi inuidioſis detractionibus vſurpatum.* Conuenerunt aduerſum Moyſen & Aaron, & verſi in ſeditionem, dixerunt: VAIARIB HAGHAM, & rixatus eſt populus. In abſcondito faciei tuæ] *Tranſlatio ſumpta à vindicibus fortiſſimis, qui confugientes ad ſe, ſui ipſorum interpoſitæ perſonæ ac vultus maieſtate & ſeueritate deterrendis inimicis, tutari ſolent. Quam imaginem ex illa hiſtoriæ parte Vates expreſſit:* Operuit nubes, & apparuit gloria Domini. A contradictione linguarum] *Namque vltra iurgia linguarumq; temerariam rixam, quæ auctorum prodit malignitatem, nihil quicquam præterea quamlibet conata improbitas probitati officere valet. Atque hoc ipſum prope nihil eſt, & facie gloriaq; Domini, id eſt, veritatis apparente luce, quàm citiſſimè propulſatum, non ſine magna improborum clade & calamitate euaneſcit; vt in eodem, quod Vates hîc reſpiciebat, exemplo commonſtratum liquet.* Recedite de medio huius multitudinis, etiam nunc delebo eos. *& paulò inferiùs.* Fuerunt autem qui percuſſi ſunt, quattuordecim millia hominum & ſeptingenti, abſque his qui perierant in ſeditione Core. Reuerſuſque eſt Aaron ad Moyſen ad oſtium tabernaculi fœderis, poſtquam quieuit interitus. *Id quod exemplum Dauid in ſe ſpectari cœptum, piis & probis omnibus arripiendum, ſeruandum, & perpetuò exſpectandum prædicat.*

Num. 16. *Num. 20.* Improbitas quantum probitati officiat. *Num. 16.* *Ibid.*

22. Benedictus Dominus quoniam mirificauit miſericordiam ſuam mihi in ciuitate munita.

Meminiſſe retulerit Pſalmum hunc ea tempeſtate condi & cantari cœptum, qua Dauid à Saulis partibus maximè & obſtinatiſſimè exagitatus inſectabatur; ita vt omni prorſus Iſraëlitica regione extorris, in Siceleg oppido apud Palæſtinos profugus contineretur, iam tum Palæſtinorum quoque ſuſpectus primoribus & Satrapis. in quem locum cùm primùm ſeſe ex Ama- 1. Reg. 30. 2. Reg. 1.

lecitarum cæde recepiſſet, accepto nuncio, atque aliis ex argumentis de Saulis
Ibid. 2. *nece certior factus*, Conſuluit Dauid Dominum, dicens: Num aſcendam in vnam de ciuitatibus Iuda? Et ait Dominus ad eum: Aſcende. Dixitque Dauid: Quò aſcendam? Et reſpondit ei: In Hebron. Aſcendit ergo Dauid, & duæ vxores eius, Ahinoam Iezrahelites, & Abigail vxor Nabal Carmeli. Sed & viros qui erant cum eo, duxit Dauid ſingulos cum domo ſua: & manſerunt in oppidis Hebron. Veneruntq́; viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret ſuper domum Iuda. *Hanc igitur tempeſtatis ac ſuarum rerum in melius conuerſionem Deo acceptam referens, gratulatur Dauid; ex eaq́ totius abſoluendi ac plenè præſtandi promiſſi diuini ſpecimen capiens, & firmiſſima fultus fide, pios omnes ad certiſſimam boni ſemper euentus inuitat & prouocat atque hortatur ſpem.*

Benedictus Dominus, formula.

Benedictus Dominus] IEHVEH, *cuius nomen in benignitatis & fidei veritatisq́ rationibus plerumque appellatur. Eſt autem gratulationum ſiue laudum diuinarum frequens & vſitatiſſima formula,* BARVCH IEHVEH: *cui perſæpe certum eueſtigio ſubiungitur elogium. quale in hoc verſu,*

Mirificare miſericordiam.

Quia mirificauit miſericordiam ſuam mihi. *Quidquid non ex conſueto & communi exemplo euenit, ſiue id ex rerum magnitudine ipſarum, ſiue ex modo, vel tempore, vel etiam loco, aut aliis exiſtimetur circumſtantiis, verbo* HAPLIH *ſignificari obſeruatum eſt. quod Latini in* MIRIFICARE *ſiue* MAGNIFICARE *ſolent vertere. vt,* Scitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum.

הפליא

Pſal. 4.

Luc. 1. Et audierunt vicini & cognati eius, quia mirificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei. *Quidquid autem erga homines quocunque pacto Deus agit & efficit, miſericordiæ profectò adſcribendum iudicatur: quod verò vltra communia & frequentia exempla apparet factum, mirificatæ miſericordiæ celebratur nomine: idq́ triplici declaratur argumento,* mihi in ciuitate munita, *præſtandi, conſtituendi, atque firmandi. Singula autem verba, ſingularis, quædam etiam gemini vicem præſtant argumenti, & ex comparatione perſonæ & circumſtãtiarum: quare & in communi propoſita atque commendata ſunt verbo* HIPHLIH, *quod in* mirificare, ſecernere *&* magnificare *Latinè vertitur.*

Luc. 1. *Eſt quoque valde affinis elocutionis formula illi,* Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius. *Struuntur verò argumenta ex comparatione tum perſonarum tum rerum, vt ſingularis prouidentiæ declaretur beneficium (namque miſericordiæ ſiue* HHEZZED, *beneficij nomen aptè conuenit.) Fuiſſe autem magnum, ſingulare, ac ſeparatum, denique mirabile & extra communia ponendum beneficium, duobus ex parte perſonæ indicatur argumentis; altero, quòd exulanti vagoq́ homini & apud alienos profugo, nec illic etiam quieto ac tuto, repentè prouiſum fuerit certum præſidium, idq́ apud proprios cognatos & conſanguineos, id eſt, in tribu Iuda cæterarum vndecim anteſignana ac duce iam olim diuinitus declarata, quod certam viro principatus ac regni prærogatiuam propriæ gentis*

gentis conſenſu & ſtudio fouendam portendebat. Hoc ſignificat pronomen, mihi, *adnotanter pronunciatum : cui ſubiungitur amplificatio ex ratione loci petita: poterat enim beneficium occipi atque declarari, ſi à Siceleg recepto Iudææ pars aliqua ſitu ac loco ad latendum ſeſeq; continendum opportuna deſtinaretur & occuparetur : quales nonnulli in illa regione conſtabant montes : vbi ſi non ſatis commodè propter aſperitatem & hominum infrequentiam, tutò tamen agere concederetur, deinde paulatim cura, labore, & conſilio in melius proceſſuro ; tamen vt miraculum planè diuino adſcriberetur beneficio, non tantùm latebrarum in montibus opportunitate, ſed vrbis antiquæ & ſalubris domiciliorum frequentiæ commoditate, & patriæ regionis atque ciuilitatis vſu repentè, vti adnotabamus, frui donatum. At verò cuius & qualis vrbis? nempe Hebron, antiquitate, natura, ſitu, mœnibus, & deſcriptione ædificiorum & pulchritudine florentiſſimæ & ornatiſſimæ, atque in primis nobilis. Cuius præſtantiæ ſignificantiſſima narratio ac deſcriptio ſic habet :* Da ergo mihi montem iſtum, quem pollicitus eſt Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim ſunt, & vrbes magnæ atque munitæ : ſi fortè ſit Dominus mecum, & potuero delere eos, ſicut promiſit mihi. Benedixitque ei Ioſue, & tradidit ei Hebron in poſſeſſionem. *Et paulò inferiùs.* Nomen Hebron antè vocabatur Cariath Arbe : Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt. *Et alibi:* Pergenſque Iudas cõtra Chananæum, qui habitabat in Hebron (cuius nomen fuit antiquitus Cariath Arbe) percuſſit Seſai, & Ahiman, & Tholmai. *Hanc eandem vrbem, ſeptem annis ante Tanin Aegypti regiam, à Chananæis conditam teſtatur Moſes. Hæc verò omnia diuini erga Dauidem beneficij ſingularitatem & admirationem docent & comprobant.* In ciuitate munita. Αυτονοματικῶς *Hebronem indicauit, in qua tutus & quietus agere cœpit ; adeò veritatis diuinæ ſubſidio confirmatus, vt quamquam priuatus initio illuc migrauiſſet, de quiete ac ſecuritate minimè dubitauerit. Cuius rei argumento illud fuit, quod in hiſtoria ſignificanter adnotatur:* Sed & viros, qui erant cum eo, duxit Dauid ſingulos cum domo ſua : & manſerunt in oppidis Hebron. *Namque habitatio in oppidis, quietis ac ſecuritatis argumento ducitur. id quod ex nuperæ conditionis ac trepidationis comparatione non firmatur modò, ſed amplificatur etiam vehementer. Quis enim euentum ſimilem cum prioribus Dauidis collatum temporibus, non ſingularem prouidentiam, atque manifeſtum confiteatur miraculum? quando & ipſe, cui reſponſum de regno Samuele miniſtro datum fuerat, ſeſe tantis temporum, ſpiritus, & animi vrgeri ſenſerit anguſtiis, vt ſibi ipſe vel periturus, vel vt minimùm ex Iſraëlitarum regione perpetuò exulaturus videretur, humanæ nimirum fragilitatis infirmitudine fidem animi tentante, & quodammodo ſubducente. id quod ad prouidentiæ ac miſericordiæ viritatiſq; diuinæ manifeſtationem, Vates ipſe vltrò atque ingenuè fatetur.*

Hebron vrbs.

Ioſue 14.

Iudic. 1.

Num. 13.

2. Reg. 2.

23. Ego

23. Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ: Proiectus ſum à facie oculorum tuorum.

Dauidis anguſtiæ. 1.Reg 23. *Huius confeßionis hiſtoria ſic habet*. Iuit ergo Saul & ſocij eius ad quærendum eum: & nunciatum eſt Dauid, ſtatimque deſcendit ad petram, & verſabatur in deſerto Maon. quod cùm audiſſet Saul, perſecutus eſt Dauid in deſerto Maon. & ibat Saul ad latus montis ex parte vna; Dauid autem & viri eius erãt in latere montis ex parte altera: porrò Dauid deſperabat ſe poſſe euadere à facie Saul. *vbi in hac narratione Latinè legimus*, Porrò Dauid deſperabat, *ſic exemplar habet.* VAIHI DAVID NEHHEPAZ LALECHETH MIPENEI SAVL, & fuit Dauid trepidanter feſtinans vt abiret à faciebus Saul. *& ſubiungitur*: Itaque Saul & viri eius, in modum coronæ cingebant Dauid & viros eius, *vt caperent eos. Idem autem verbum* NEHHEPAZ *hoc verſu Vates repetit, pro quo Latinè legimus*, in exceſſu mentis meæ. in feſtinatione mea trepida. *namque ad hiſtoriam tempeſtatis illius reſpicit. Nec verò Dauid tantùm de vita ac ſalute ſua anxius fuiſſe cenſetur, quantùm de exilio & migratione ab ea patria, in qua veri Dei numen ſingulariter & meliùs quàm apud alias nationes notum, præcipuo quodam pro temporis ratione ad veritatis imaginem ritu ac more colebatur.*

Deus notus in Iudæa. Pſal. 75. *S. S. E.* Notus in Iudæa Deus: in Iſraël magnum nomen eius. *Iſthanc itaque ſoli vertendi & conſuetudinis mutandæ conditionem formidatam ſibi commemorat, ad beneficij accepti iucundiorem prædicationem & gratulationem. Namque id egiſſe conatumq; fuiſſe Saulem, primùm vt Dauid prorſus de medio tolleretur; quod ſi minùs confici poſſet, ſaltem vt ex omnibus pulſus Iſraëlitarum vrbibus & agris, neceßitate & vi coactus, in perpetuum quàm longißimè proficiſceretur exilium. id quod ipſemet Sauli* 1.Reg.26. *aduerſum ſe agi, vrgeri, & contendi inſimulauerat.* Si Dominus incitat te aduerſum me, odoretur ſacrificium: ſi autem filij hominum, maledicti ſunt in conſpectu Domini; qui eiecerunt me hodie vt non habitem in hereditate Domini, dicentes: Vade, ſerui dijs alienis. Et nunc non effundatur ſanguis meus in terram coram Domino: quia egreſſus eſt rex Iſraël vt quærat pulicem vnũ, ſicut perſequitur perdix in montibus. *Qua peroratione Dauid ſibi, tametſi inuitißimo & coacto, prorſus tamen regis iræ cedere & ſibi ſalutem fuga ac migratione conſulere, certum* Ibid. 27. *eſſe ſignificabat. quod & euentu declaratum conſtitit.* Et ait Dauid in corde ſuo: Aliquando incidam vna die in manus Saul: nónne melius eſt vt fugiam, & ſaluer in terra Philiſtinorum, vt deſperet Saul, ceſſetque me quærere in cunctis finibus Iſraël? Et ſurrexit Dauid, & abiit ipſe, & ſexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maoch regem Geth. Et habitauit Dauid cum Achis in Geth, ipſe & viri eius; vir & domus eius; Dauid, & duę vxores eius, Achinoam Iezraëlitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli.

Carmeli. Et nunciatum eſt Sauli quòd fugiſſet Dauid in Geth,& non addidit vltrà quærere eum. *In illa itaque fugæ deliberatione, in fugiendi trepidatione, & feſtinatione commigrandi, cum ſociis & coniugibus duabus fidiſſimis, dixiſſe ſeſe ait:* Proiectus ſum à facie oculorum tuorum. *à terra Iſraëlitarum, quæ pro ſeculis illis Deo præcipuè delecta, grata, ac fota prædicabatur, ex illo Moſis teſtimonio.* Quam Dominus Deus tuus ſemper inuiſit, & oculi illius in ea ſunt à principio anni vſque ad finem eius. *Atqui hoc ipſo verſu Dauid indicat, ſe omnibus temporum ſuorum partibus ac momentis apud Deum ſemper egiſſe, & res rationeſq́ſuas omnes precibus atque deprecationibus, mente, animo, ac voce expoſuiſſe, atque exitus euentaq́ commendaſſe, ſemper fultum & conſtantem fide promiſſorum ac veritatis; cuius argumentum ſignumq́ fuit fuga & migratio non in remotiſſima loca, nec in vicina etiam eorum quibuſcum pax Iſraëlitis eſſet, ſed in proxima Palæſtinorum, vbi propter bellorum ſimultatem tutiùs latere poſſet: nec verò propterea ſibi ab hoſtibus communibus metuere, quorum potiùs humanitati fideret ac ſeſe crederet, quàm ſuorum etiam contribulium inuidiæ, ſuſpicioni, atque etiam proditioni committeret. Itaque non tam periculum vitæq́ diſcrimen in illa exilij conditione metuere ſe aiebat, quàm aras & ſacra patria relinquere dolebat. qua erga Deum querela, expoſitione, ac deprecatione, felicem & planè diuinum ſibi impetratum prædicat & gratulatur euentum:* Terra Iſraël Deo grata. Deut. 11.

Ideò exaudiſti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

Pura & ex animi affectu profecta ſupplicatio, ad miſericordiam diuinam ciendam atque ad gratiam opemq́ impetrandam, quantum valeat, quantiq́ ſit momenti, duobus verbis in ſuo ipſius exemplo declarat Pſaltes; altero THAHHANVNAH, *altero verò* SIVGHA *vſurpatis. Eſt autem* THAHHANVNAH *(pro quo nobis hîc* orationem *reddit interpres) idem quod aliàs Latinè ſupplicibus verbis pronunciata precatio vel deprecatio, ab eo qui grauioris ærumnæ ſenſu & affectu premitur. quam verbi interpretationem nos Salomon docere poteſt.* THAHHANVNIM IIDDABER RAS. *vbi Latinus* Cum obſecrationibus loquitur pauper. *id eſt, indigus ac ſupplex. & Ieremias,* Vox in viis audita eſt THAHHANVNEI BENEI ISRAEL, *vbi Latinus noſter,* ploratus & vlulatus filiorum Iſraël. *Atque* THAHHANVNIM *in verbis ipſis ponitur: quæ ex vero profecta ſenſu, vocis & actionis comitatur conueniens habitus: cui nomen* SIVGHAH, *in prima lingua datum, clamorem, gemitumq́ miſerabilem ſignificat. qui tanto efficaciores ſunt, quanto maior & nobilior aliàs dicentis & agentis perſona, atque præſentis conditionis exiſtimatur indignior. namque aliàs inepta & inefficax etiam in ſummi ordinis hominibus oratio & obſecratio ducitur. Huius autem ſignificationis illud à Iobo relatum eſt:* Auris audiens beatificabat me, & oculus videns Prou 18. Ierem. 3. Iob 29.

dens teſtimonium reddebat mihi; eò quòd liberaſſem pauperem vociferantem, MISIVGHAH, de clamore acutiſſimo, *qualis ex oppreſſorum labore audiri ſolet*, & pupillum, cui non eſſet adiutor. *Eſt itaque huiuſmodi clamor, idem ille ferè qui Latinè miſer eiulatus dicitur, atque fœmineæ vel perſonæ vel conditionis teneritudini præcipuè conueniens, vt*
Ierem. 8. *ex illo apparet exemplo*, Ecce vox SIVGHAH clamoris filiæ populi mei, de terra longinqua. Nunquid Dominus non eſt in Sion, aut rex eius non eſt in ea! *Atqui talibus ex animo depromptis precibus diuinam pulſari, conciliari, ac ſubuenire miſericordiam & opem, pij omnes cum Pſalte noſtro perſæpe teſtati docent, atque in doctrinæ præcepta & acta ad*
אכן *noſtram referunt vtilitatem.* Ideo audiſti] *Vox* ACHEN, *pro qua interpres noſter interdum* quomodo, *interdum* autem, *aliàs aliter reddit, demonſtrationem cum affirmatione coniunctam ſtruit. vt apud*
Exod. 2. *Aegyptum Moſes*, Quomodo palàm factum eſt verbum iſtud. ACHEN NODAGH HADABBAR. *Latinæ verò voces huic reſpondent*, Ergo, igitur, atqui, nempe, & Scilicet, atat. Igitur audiſti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te. *Accepti igitur beneficij veritate lætus & exhilaratus Pſaltes, carmini componendo finem duabus partibus inſtruit, gratulatione ſupplicationeq́; legitima ac ſummo iure debita, & adhortatione piorum ad amorem cultumq́; Dei, atque ad fidei & ſpei in duriſſimis etiam rebus ac difficillimis temporibus conſtantiam, ſtabilitatem, ac perſeuerantiam. id quod duobus nominibus recolendis indicatur, quibus prouidentiæ ſumma doctrina continetur; altero benignitatis ac beneficij certiſſimi verè pios animos manentis, altero iudicij & ſeueræ animaduerſionis improbos & inſolentes atque iniurioſos expectantis homines.*

24. Diligite Dominum omnes ſancti eius: quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.

Bonitatis natura ſeſe cognoſcentium & contemplantium amorem iure ſummo vendicat, contemplari verò & cognoſcere ſoli verè pij ritè didicere. Bonitatis autem diuinæ ſumma declaratio, miſericordiæ erga fideles ac probos, & iudicij aduerſus inſolentes ac ſuperbos nominibus & exemplis prædicatur & commendatur. Diligite Dominum] *eodem pronunciatum verbo, quo præceptum primum*, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, *&c. Nec verò hîc ad metum & pauorem horroremue pij vocantur, ſed ad amorem, hoc eſt ad vlteriorem ac digniorem affectum filiorum erga patrem, vel minorum ac pupillorum erga optimum patronum,*
Dei amor. Sancti. *iudicem ac vindicem.* ſancti eius] HHAZZIDAV, pij eius, *& modeſtæ, temperatæ, ac probandæ mentis & conſuetudinis homines.* Omnes] *quoniam diuinæ bonitatis communicatio ampliſſima, catholicam ſibi vendicat atque deuincit Eccleſiam.* Sancti eius] *ſiue* pij eius.
non

non omnes, qui ſeſe ſanctos pióſue promittunt, verè præſtant pios; atque ideo non omnes hoc elogio, pij eius, *digni vocari, ſed qui verè Abrahami, Iſaaci, atque Iſraëlis pietatem vita & moribus exprimunt. Amoris autem piorum erga Deum exacti rationem iuſq; exponẽs ac prædicans, ait:* Quoniam veritatẽ requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.

Hominum partitio ſumma.

In duas tantùm partes vniuerſum genus hominum diuiditur, proborum videlicet & improborum: verùm improbi geminas implent & adornant claſſes, alteram quidem manifeſtam certiſq; notis inſignem & conſpicuam, inſolentum inquam ac potentiorum; qui quamquam vehementer nocere ac ſæuire ſolent, tamen quòd vitium ſuum palàm exponant, vel placari nonnunquam vel caueri aut vitari & effugi ſimplicioribus liquet: alteram verò occultam & artificio ſummo diſſimulatam, eorum qui malitioſa fraude & arte mentis improbitatem diſſimulare & obtegere callent, atque honeſti conficta ſpecie vulgo imponentes, virtuti, innocentiæ, & ſimplicitati, vel modeſtiæ etiam integriorum inſidiantur; atque ouium lanas & velamenta præferentes, aſtutam ſub pectore ſeruant vulpem; aut lupi rapacitatem & auaritiam, aut leonis & vrſi crudelitatem ſæuitiamq; obducunt. Simpliciùs illos magiſq; ingenuè peccare, vtq; apertiùs nocentes faciliùs vitari poſſe, liquet: iſtos verò alios, vtpote obſcurè & ex inſidiis agentes, maleficentiſſimos vtique cenſendos ac dicendos tum euentus ipſe arguit, tum verò adnotatus, diligenter actionum partus prodit. S. S. E. A fructibus eorum cognoſcetis eos. *Vtpote quos nihil diuerſum ab ijs qui palàm improbè agunt, curaſſe, verùm prudentiùs in generatione ſua ſeſe geſſiſſe, demum conſtet. Quòd ſi non vtrique ſuperbiam ſpecie & vultu pariter præferant, factis tamen vtrique fouent, excludunt, atque alunt, non magis alteri alteris ab auaritia, ambitione, & gloriæ cupiditate, atque vitæ ſuperbia alieni. id quod diuino demum pateſit iudicio. Vt autem qui verè & ſimpliciter probi ſunt,* veri, ſiue veraces & fideles *legitimè vocantur; ita alteri vtriuſque claſſis praui, ſi non pariter* ſuperbi *propter alterius diſſimulationem, tamen pariter dici merentur* facientes ſuperbiam. *Nam vt alteri* ſuperbi *appellentur, vultus inſignia non admittunt; vt vtrique* facientes ſuperbiam *nominentur, ſuperbiæ & arrogantiæ ſtudium & cultura ex fructibus euincit. Vtraſque autẽ tam proborum quàm improborum partes, Dei prouidentiæ ac ſapientiæ cognitas, & iuſtè ac legitimè ſepoſitas, integerrimo demũ expediri iudicio docet Vates, vtriuſque recenſenda ac declarãda vice: hoc eſt, cuſtodia, tutela, & aſſertione veritatis cultorum, rurſus verò aucta in ſuperbiæ cultores iniquitatiſq; operarios animaduerſione & vltione, quãuis tarda quidem, tamen mulctæ grauibus ac ſeueris compenſata exẽplis. Verborũ porrò Pſaltis ſic habet lectio:* EMVNIM NATSAR IEHVEH, veros veraceſq; cuſtodit Dominus. *Verè probos,* veritates ſiue veros veraceſq; *vocat, quorum vindicem & cuſtodem Dominum miſericordem ac benignum eſſe ait: alteros verò à veritate quoquo pacto declinantes,* GHOSEI GAAVAH, ſuperbiam facientes *nominat; quibus* IETHER

Improborum claſſes.

Hypocritę.

Matth. 7.

Veri ſiue veraces.

Superbi.

Facientes ſuperbiam.

Dei iudicium.

Marc. 4. MESALEM, auctario *tandem* retribuere *prædicatur* : Qua *enim* menſura menſi fueritis, remetietur vobis. *Hac igitur doctrina instructos & perſuaſos pios fideleſq́ omnes, ad laborem, patientiam, & virtutis conſtantiam incitat Vates, cum ſpe & expectatione feliciſſimi exitus victoriæ ac ſalutis obtinendæ, atque diuini nominis gloriæ publicè ac palàm prædicandæ.*

25. Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino.

Totius carminis perorationem verſus hic præſtat, cum atteſtatione virtutis & voluntatis Dei in verè piorum omnium rebus ac temporibus declarandæ, adeò manifeſto argumento, vt nullus inficiationi relinquatur locus. Huius autem veritatis manifeſtationem, non otioſis aut negligentibus, ſed credentibus atque forti & intrepido conſtantibus animo, laborumq́ patiente virtute & manſuetudine ac modeſtia impetrari ait. Viriliter agite] HHAZAKV, Durate. *ad laboris patientiam & membrorum exercitationem refertur verbum hoc, ſicut ad animi conſtantiam & firmitatem illud alterum* IAAMETS LEBABCHEM: confortetur cor veſtrum. *Nec verò doctrinam perſuaſionemq́ huiuſmodi ſingularem aut priuatam cenſeri vult Vates, verùm ad communem vtilitatem ſine vlla exceptione prædicari curat.* Omnes *(inquit)* qui ſperatis in Domino.

Diuinæ veritatis virtus. *Namque vnus quoque ex vberrimis piæ & puræ doctrinæ fontibus eſt, diuinæ virtutis & veritatis efficientiam fidelibus ac piis cunctis paratam, nullo tempore, nulla opportunitate, vnquam fuiſſe requiſitam; ideò autem toties à Vatibus nominari & commendari, vtpote nulli negatam, qui modò ſibi officioq́ non defuerit ſuo. Officium autem in hac parte fuerit, firma fide & continuæ pietatis obſequio, quidquid in virtutis veræ via obueniat laboris, difficultatis, atque incommodi, conſtanter ferre*; expectantes beatam ſpem *& reuelationem veritatis Dei.* Quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo: iuſtus autem in fide ſua viuet. Omnes qui ſperatis] CHOL HAMEIHHALIM. omnes expectantes. IAHHAL *verbum temporis rationem ſignificando reſpicit, quod Latinè diem ex die expectare dicitur. Significat itaque patientiam & perſeuerantiam, cum perſuaſione finis ac modi ex animi ſententia obtinendi. Sic Noahhus diluuij finem & tempeſtatis in melius mutationem præſtolatus narratur:* VAIAHHAL GHOD SEBAGH IAMIM. & expectauit adhuc ſeptem dies, & emiſit columbam. *Sic Iob*, Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. *Igitur certiſſimus eos exitus idémque optatiſſimus manet, qui vanitatibus & inſaniis falſis relictis, vnicum præſtolantur Dominum. Cui honor & gloria in æternum debetur.*

Patientia & fides ſanctorum. Tit. 2. Habac. 2. כחל Gen. 8. Iob 14.

IN

IN PSALMVM XXXI.

PETRO VALENTIÆ SALVTEM.

ET præteriti tibi temporis exemplum libens laudanſque recito, & præſentis vicem libentiùs gratulor, Petre cariſſime, atque expectationis de te noſtræ vſum lætiſſimè gratulaturus mihi iam ex diuinæ benignitatis fide videor & geſtio: cùm te à puero humanioribus diſciplinis deditum, & honeſtis moribus in dies auctum, tantum profeciſſe nouerim, vt nullus (abſit adulatio patri erga filium, quo te amore complector, abſit quoque inuidia verbo) noſtra ætate in vtriuſq; exempli laude tibi coæuus excelluerit: Deinde verò in ipſo adeò iuuentæ flore, diuinorum oraculorum notitia contingente, eaque nec vulgari nec ex humani ingenij luxurioſis commentis accepta, pietatis veræ arcanis initiatus, quamprimùm ſacroſancti templi prima ingreſſus es atria, vni Deo atque eidem vero loci genio gratias publicè ac palàm egeris, quòd tibi eorum omnium, quorum diu ac variè conſectatus fueras riuulos, caput fontemque ipſum limpidiſſimum & puriſſimum demonſtrauerit; vnde plus veræ & ſolidæ atque ſaluberrimæ doctrinæ breui tempore hauſeris, quàm multis antea annis longo aſſiduoque exceperas labore, non ſine eorum ingeniorum, per quæ illa deducebatur, commixto vario nec nihil turbidi habente vitio: Demum verò id potiſſimùm fueris conſecutus, quod nulla humanæ ſapientiæ induſtria aut ſolertia, quamlibet conquiſitum, tamen repertum ſibi verè oſtendere & patefacere potuerit: hoc eſt, humanæ ſalutis à Deo promiſſæ & præſtitæ arcanum illud ſanctiſſimum, quod à ſeculis & generationibus quondam abſconditum, in ſeculorum finibus demum reuelatum ac ſanctis creditum communicatumque conſtat. Cuius initiis & elementis

Humanæ ſalutis arcanum. Epheſ. 3. Coloſſ. 1.

feliciter iam imbutus, abſolutam conſectari voues & pergis
Iſai. 64. notitiam, qualem nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in communis aleæ mortalium cor aſcendiſſe intelleximus; ſed planè diuino beneficio ijs, qui veram pietatem ritè ac purè curant & colunt, paratam & vltrò donatam contingere credimus, teſtimonio grauiſſimo & frequenti edocti eorum, qui tanti muneris ac doni participes euadentes, & laudem ſolidam Deo tribuerunt auctori ac parenti, & præconium æternum voce & ſcriptis ad præſentium poſterorumque temporum publicam vtilitatem mandarunt. Cuius quidem diuini beneficij optatam ſibi atque pijs cunctis & perpetuò expetitam copiam, Dauid noſter vnà cum Vatibus aliis dum animo ac mente ſecum agitabant, in laudes, in petitiones, in exclamationes, in varia denique gratulationis prorumpere ſolent genera. ex quibus vnum id eſt, quod proximo celebratur Pſalmo.

ARGVMENTVM.

Humanæ conditionis locus triplex.

TRiplicem humanæ conditionis locum diuina diſciplina deſcribit; infimum, medium, ac ſummum. Primum quidem illum eſſe notat, in quem natura hominum, poſtquam primùm extiterat, vitio accepto delapſa eſt; obſcurum prorſus, aſperum, peſtilentem, deſertum & incultum, latiùs nimirum patentem, atque ideò minùs certum & exploratum, quamplurimiſq; incommodis expoſitum & plenum periculis: Secundum verò vlteriorem primo, collibus, montibus, ac vallibus aſperum & inæquabilem, vmbris & opacitatibus frequentiſsimum, gramini magis quàm bonis aptum frugibus, ſentibus & carduis vndequaque ſpinoſum, vix farra & hordea ferentem, culturæ autem atque curæ egentem perpetuæ, nihilomagis tamen cultores paſcere firmum ſuos: Tertium porrò lucidiſsimum, amæniſsimum, & inenarrabili vbertate agrorum & varietate fructuum opimum & fertilem, longeq; ſaluberrimum, vnicè liberum, atque omnis ſeruitutis penſitatione & moleſto vectigali immunem: cuius habitatorum conditio, planè regia atque diua prorſus ducitur. In primo autem loco, hæreditatis nomine à generis primis parentibus relicto, tenebrarum principibus obnoxio, tyrannide oppreſſos homines teneri didicimus: Ab illo autem ad ſecundum prouidentia, miſeratione, atque beneficio Dei deduci, longè minùs periculoſa & incommoda ſeruitute vſuros: Inde porrò fide inſtructos, & laboris atque operarum patientia & boni euentus expectatione exercitos ac probatos, ex amore benignitateq; Dei ad ſummum illum beatiſsimumq; gratuitò transferri, maxima perpetuaq; lætitia & ve-

rorum

rorum bonorum inexhauſta copia perfruituros. Horum verò locorum conditionès, tempora, & varios vſus, breui ſumma Dauid hoc in Pſalmo complexus eſt, ſe ipſum atque ceteros in ſe homines opportunis pro temporum ratione perſonis commutandis inducens.

1. BEATI quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.

Linguarum peritus omnium Paulus Apoſtolus, cùm ad Romanos Græcè ſcripſit, Pſalmi huius initiũ ex Græca, quæ tũc circumferebatur, verſione Græcè quoque citauit: breue primùm præfatus eius, quam allegabat partis argumentum. Sicut Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. *Felicitatem hominis, hoc eſt, quietiſſimum & laudatiſſimum humanæ naturæ ſtatum, quem reperire & indicare varij variè ſtuduerunt, ſola diuinæ virtutis, iuſtitiæ, & ſanctitatis communione diuina ſapientia definiuit, aliàs nulli bi locorum aut rerum vllo pacto obtinendum. Diuinam verò iuſtitiam ſibi verè arrogare nullus prorſus mortalium potuit, vtpote cuius auctor & communicator Deus ipſe ſit ſolus; homo verò tametſi curator, amans, & ſtudioſus eſſe poſſit, niſi ex mero tamen & gratuito Dei dono, minimè compos ipſe vllo ſuo labore, vlla ſolertia & induſtria, euaſerit. Nam cùm iuſtitia non ſolùm labem, prauitatem, & culpam omnem excluſam & ſemotam velit, ſed virtutum omnium cumulum complexa ſeruet ac præſtet, fieri nequit, vt dum ſuam iſtam filiorum Adami conditionem tuetur homo, prauitatis, ſceleris, & erroris prorſus expertem ſe ipſe præbeat, diuinoq́; probet iudicio. Eſſe verò labi & errori obnoxium, eundemq́; vllo pacto diuinæ puriſſimæ iuſtitiæ participem, tam conuenit, quàm tenebras & lucem commiſceri, confundi, & confuſas manere; cùm manifeſtum ſit, magnam inter vtraque eſſe pugnantiam, magnamq́; etiam prædicationis differentiam. S. S. E.* Dixitque Deus: Fiat lux. & facta eſt lux. & vidit Deus lucem quòd eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris: appellauitque lucem diem, & tenebras noctem. *Tenebrarum itaque à luce ſeparatio & diuiſio, nullius virtutis, nulliusq́; ſapientiæ & auctoritatis præterquam diuinæ opus eſt. Sunt autem duplices tenebræ, exteriores videlicet & interiores. Exteriores dicimus eas, quibus abyſſi facies condendi mundi exordiis operiebatur, denſiſſimas & obſcuriſſimas, atque (vt à nonnullis Vatibus notantur) præ ſpiſſitudine palpabiles: horrendum quarum exemplum Aegyptij quondam ſenſiſſe narrantur:* Extenditque Moyſes manum ſuam in cælum: & factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco, in quo erat. *Alteræ ſunt tenebræ, quæ cum conſequente luce diem conſtituunt vnum, eædem verò ex Dei ſapientia no-*

[Margin: *Rom.* 4. λογίζεται. — Hominis felicitas. — Iuſtificatio. — Lucis & tenebrarũ pugnantia. *Gen.* 1. — Tenebrarum à luce ſeparatio. — Tenebræ exteriores & interiores. — Tenebræ palpabiles. — *Exod.* 10. — Nox.]

tia noctis obtinent nomen; minùs quidem horribiles, minùs tetræ ac formidabiles quàm exteriores illæ alteræ : quando iſtæ & lunæ lumine & ſtellarum claritate plerumque inſtruuntur, vel ſi nubium interiectu obducantur, tamen non pari atque illæ caligine terras infeſtant. Sed hæc omnia arcanum valde cohibent ſenſum, & longiorem tractationem ad cognitionem ſui poſtulant. vtcunque autem ſit, neutra tenebrarum vis cum lumine ſplendoreq́ ſolis, hoc eſt, cum die ſimul eſſe poteſt.

Hominis lapſus in tenebras.

Et quidem natura hominis, vbi à prima ſuæ inſtitutionis & originis luce defecit, nocturnas obijt & ſibi induxit tenebras, in quibus profectò verſatur, ſtellarum claritatem, non tamen omnium, contemplari ſolita, & lunæ variato & incerto, interdum verò deficiente lumine vſa; vnde fit vt ſæpe in grauiora offendicula incidat, ſæpiſſimè verò à recta morum diducatur & aberret orbita.

Humani generis per ſecula conditiones.

Hæc itaque communis & peruulgata humanæ vitæ conditio eſt, qua totus orbis terrarum ab Adami primi degeneratione ad Noahhi vſque vixit ætatem; à qua ad Abrahamum nonnihil melioris vſuræ, ſi voluiſſet vti, habebat : ab Abrahamo autem vſque ad Moſis miniſtrationem non parùm, ſi vellet, adiuuabatur :

Legis beneficium.

data porrò ac promulgata lege, potiore multo beneficio humanum genus fuit affectum; vtpote cui lumen contigerit, non quale, quantumq́; Solis iubar præſens funderet, ſed quale diluculum præbet vmbris intermixtum non paucis, & quale in iſtis vmbris lucerna admota præſtare conſpicitur.

Solis iuſtitiæ efficiētia.

Hic autem ſtatus eò vſque durabat, quoad iuſtitiæ Sol terris exortus in tenebris luxit : à quibus nulla prorſus ex parte obſcuratus aut comprehenſus eſt. Huius demum virtute & efficientia, & tenebras fugari ac pelli omnino, & offenſionum errorúmque omnium aboleri pericula, iis, quibus ſtudioſè expectatum atque ritè curatum & poſtulatum eſt, contigit; hoc eſt, ijs, qui fide & pœnitentia vera probati, diuinam conciliauere miſericordiam & veritatem. Atque ijdem ipſi ſunt, quos hîc deſcribit & quorum partes noſter agit Vates, admirabili, vera, & certa rerum ac temporum partitione vſus. Docet enim principio, beatitudinis adipiſcendæ vim & facultatem humanæ opis non eſſe, cùm potiùs illa diuinæ virtutis, liberalitatis, miſericordiæ ac beneficentiæ donum ſit : eademq́; duobus declaretur nominibus, tenebrarum atque noctis termino, & ſuccedentis lucis ortu ac duratione : id eſt, vitiorum abolitione, & iuſtitiæ ac ſanctitatis diuinæ communicatione.

Vitiorum genera.

Atqui vitiorum non vna atque eadem párve fœditas ac deformitas eſt : namque tametſi, vbi diei lux deſideratur, noctem eſſe dicimus; tamen, vti res ipſa docet, varia in ipſa nocte obſcuritas eſt, alibi minùs, alibi verò magis atque magis denſa & horrenda : ita etiam in vitiorum genere quædam grauiora & atrociora, quædam communia, communiſſima notantur alia : quorum nunc diuerſitatem perſequi, magis moleſta ac triſtis quàm opportuna fuerit materia. Satis verò ad noſtram commentationem putamus, numeroſiſſimam vitiorum ſummam tribus partiri nominibus PESAGH, GHAVON, & HHATA: *primo grauiſſima quæq́; facinora, ſecundo flagitia, poſtremo ac tertio errata om-*

פשע Facinus.
עון Flagitium.
חטא Erratum.

ta omnia minùs illis grauia notari. quam diſtinctionem ſæpe exquiſitè obſeruatam, nonnunquam verò & commutatam cognoſcere eſt, à Latinis verò interpretibus non ita religioſè obtentam. Licebit autem dicere HHATA, *id eſt, errorem ſiue peccatum, cum Adami corrupta & vitiata conditione conuenire. S. S. E.* Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in HHATA peccatis concepit me mater mea. *Itaque vitioſitatem illam à parentibus acceptam, & turpitudinis omnis parentem,* HHATA *vocamus: cuius teterrimi partus in duas abeunt claſſes,* GHAVON, *prauitatem à recto & æquabili alienam, & data opera expreſſam, tam aduerſus priuatam quàm contra publicam rem aut perſonam, qualis Caini erga fratrem exitialis inuidia fuit; &* PESAGH, *quod defectionem & officij legitimi proditionem poſſumus interpretari. Sic enim ſcelus à ſe patratum Ioſepho fratri Iacobi filij confeſſi nominarunt:* Obſecro vt obliuiſcaris PESAGH ſceleris fratrum tuorum. *Et quidem* HHATA, *id eſt, peccatum ſiue error, vel tenebrarum vel noctis inſtar habens communi, vti diximus, labe ſingulos ex Adamo veteri oriundos, præter nouum Adamum, contaminatos exhibet; vtpote quos vndequaque inuolutos, & veluti hereditaria lepra, ſicut Giezi poſteritatem, prodebat infectos: ita vt nullus iudicio diuino comparatus homo, peccati iſtius natiuæ nequitiæ nota ſeſe immunem probare poſſit.* Numquid iuſtificari poteſt homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius; quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? *Qua de humani generis communi conditione, eademq́ infelici, diuinum pronunciauit reſponſum:* Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. *Atque hoc illud pondus & circumſtans nos peccatum eſt, de quo Paulus communem hominum ſuſtinens perſonam loquitur. At verò* GHAVON *&* PESAGH *non ſolùm natiuam nequitiam, ſed malum etiam ab illo fonte ſponte ac data opera productum, duplici, vt iam retulimus, diſcrimine notandum ſignificant, vitiumq́ agentis & voluntarium erratum ſimul coarguunt. Cùm verò de venia vel petenda vel danda ſermo fit, vnum ex duobus verbis plerumque vſurpatur,* NASA *ſimplex, vel* ZACHAR *cum negatione iunctum. Hæc in ſacra lingua conſtanter obſeruantur, Latini verò & Græci interpretes non perpetuò iiſdem reddunt vocabulis.* NASA tollere, eleuare, exigere; obliuiſci, non reminiſci, mutare, parcere, *& alijs: vt in illa deprecatione:* Obſecro vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum. *In Abrahami verò interceſſoria apud Deum diſſertatione,* Non parces loco illi propter quinquaginta iuſtos, ſi fuerint in eo? *& reſponſo Dei,* Si inuenero Sodomis quinquaginta iuſtos in medio ciuitatis, dimittã omni loco propter eos. *Ex tribus iſtis exemplis,* obliuiſcaris, parces, dimittam, *ſatis clarè apparet ſignificatio verbi* NASA, *quod Latinè in* condonare *vel* dimitti *verti commodè poſſit: namque actiua & paſſiua verbi huius formæ, cùm res ipſa* fert,

[Margin notes: Peccatum generis. — *Pſal.* 50. — *Gen.* 50. — *Iob* 25. — *Gen.* 8. — Peccatum perſonæ. — In veniæ mentione verborum ſacrorum vſus. — נשא — זכר — *Gen.* 50. — *Gen.* 18.]

fert, opportunè vſurpantur. vt, condono *vel* dimitto tibi noxam, *ita vt per me poſthac deinceps condonatus atque dimiſſus audias: id quod æquè pariter non dicitur vſurpatis verbis* parcere, *aut* obliuiſci *vel* non recordari. *Alterum verò nomen* HHATA, *cùm communem iſtam labefactati generis conditionem nequitiamq́; ſignificat inſitam, eandemq́; ad* כסה *veniæ obtinendæ ratione͂ reuocat, verbum* CHAZZAH *aptiſſimè aſciſcit, cuius vis atque pondus Latinis illis vtcunque reponitur,* tegere, occultare, operire, obruere. *Hoc enim à Moſe atque à Vatibus alüs vſurpatum,* Gen.7. *in ſimilibus argumentis & locis obſeruare eſt.* Et aquæ præualuerunt nimis ſuper terram, OPERTIque ſunt omnes montes excelſi, ſub vniuerſo cælo. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos Exod. 10. OPERVERAT. *&,* Ecce ego inducam cras locuſtam in fines tuos, quæ OPERIAT ſuperficiem terræ, ne quidquam eius appareat. *Atque hæc de verborum vſurpatione præfari opportunum duximus, iam verò de rebus ipſis breuiter ac dilucidè agendum.* HHATA *generale eſt vocabulum cunctis mortalibus adeò commune, præter Chriſtum, qui non in iſta cenſetur alea, & Chriſti matrem nobis non nunc in partes vocandam, vt vel inuitis adhæreat, vtpote à parentibus primis in ſe & in poſteros omnes illa-* Gen. 8. *tum: prauitatem dicimus illam, qua vniuerſus cogitatus & ſenſus hominis à Deo notatus eſt, & omnium malorum ſcaturigo meritò vocatur, ſiue illa leuiora ſiue grauiora proferantur. ita qui nihil adhuc ſceleris aut flagitÿ admiſerit, tamen* HHATA, *id eſt, peccato prorſus non ſe ſtatuere aut* Pſal. 50. *præſtare poſſit immunem.* Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. *Atqui delictum grauius & fædius ac vehemens,* PESAGH, *vti dicebamus, ſiue* GHAVON *vocitatum, vbi iam fuerit admiſſum & factum, infectum fieri non poteſt, ſed ſola diuina condonatione tollitur. At verò peccatum, cui* HHATA *nomen inditum, cum ſua illa natiua fæditate, prauitate, atque nequitia, niſi prorſus aboleatur, ſemper hominem culpis & notis habet obnoxium: hominem inquam, qui pelliculam adhuc retinet vetuſtam, hoc eſt, lepræ illius à parentibus contractæ vitium & fæditatem, cuius eluendæ & auferendæ vnicam medicinam in diuinarum aquarum inundatione Dei ſapientia conſiſtere decreuit & voluit; eo pacto, quo contaminata quondam & corrupta hominum vitiis & flagitiis terra, immiſſo cælitus aquarum diluuio obruta & occultata aliquandiu, demumq́; expiata euadens enituit. Atque de hac arcana & vnica expiatione & medicina, illud olim fuſum conſtituit* Iſai. 28. *oraculum:* Aquæ inundabunt: & delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit. *Atque duas primas conditiones iam Dei beneficio exuendas ac mutandas primo verſu Vates complexus eſt; tertiam porrò planè laudabilem atque exoptandam ſecundo indicat verſu, qua ita expurgatum deſcribit hominem, ita nitidum & purum ſtatuit, vt & apud Deum & apud ſuam ipſius conſcientiam reprehenſionis aut notæ labe carentem ſignificet. Duæ enim ſunt in exquiſito iudicio*

Peccati generis expiatio.

dicio partes, quas fallere non contingit, alteræ iudicis Dei, alteræ verò occulti teſtis, hoc eſt, animi ipſius, qui iudicatur, hominis. Accidere quidem poteſt vt quiſpiam vir bonus aliis videatur, vt qui nec furtum fecerit, nec quemquam læſerit aut defraudarit, quiq́ in ſpeciem ſeſe pium atque religioſum fortemq́ præbuerit; id quod vel ſtudio, arte, & conſilio, vel etiam opportunitatis defectu, vel aliqua ex alia ortum fuerit cauſſa: qui tamen idem introrſum prauitate ac turpitudine æger diuino cenſeatur iudicio, & ſuo ipſius teſtimonio ipſe ſibi agnoſcatur: quo in cenſu quandiu quiſquam fuerit, beati hominis nondum aſſecutus eſt cognomentum, donec in eum deuectus fuerit gradum, & neque Dei æſtimationi & cenſuræ, neque ſuæ ipſius conſcientiæ quicquam requiratur, quod obnoxium damnationi maneat. Qua de re Chriſtianæ ſalutis locupletes illi teſtes pronunciant: Nihil ergo damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto IESV; qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed ſecundùm ſpiritum. *&*, Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiducia habemus ad Deum. *Huiuſmodi itaque loco poſitum hominem, beatum Vates noſter prædicat.*

In Dei iudicio partes.

Rom. 8.

1. Iohan. 3.

2. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus.

Duabus è partibus commendationis huius rationem atque ius conflari docet Vates: primùm cenſura & æſtimatione Domini Dei miſericordis & efficacis; qui beneficio ſingulari, quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, filio ſuo mittendo, qui de peccato damnaret peccatum, quod erat contrarium nobis, ipſum tulit de medio; affigens illud cruci, & expolians principatus & poteſtates, donans nobis omnia delicta [*præterita*] vt iam non in carne viuamus, ſed in ſpiritu, ſecundùm eum, qui vocauit nos, ſanctum. Sicut ſcriptum eſt: Sancti eritis mihi, quoniam ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter. *Et quidem hoc pacto ſublimem humanæ naturæ conditionem definit Vates, hoc eſt, peccati & prauitatis carentiã, efficacis Dei iudicio probatam, & ſimplicitate candoreq́ animi certam & exploratam. Neque verò hîc de vno aliquo ſingulari, ſed de ipſa hominis natura communiter diſſerit Vates, vt videlicet conditionẽ hanc vnicuique hominum exoptandam prædicet. Namque vbi in noſtra verſione legimus* Beatus vir, *in exemplari eſt* ASREI ADAM, Beatus homo; *commune nomen Adam, ſine certæ ſingularitatis notatione. Hæc, inquit, hominis beata & ſumma conditio fuerit, non angeli, inquam, non vlterius quippiam obtinentis quàm hominis nomen, vt neque prauitatis Dei iudicio cognoſcendæ cenſuræ obnoxia deinceps reperiatur, nec in ipſo hominis ſpiritu ex puritatis & ſanæ mentis candore & ſimplicitate vel tantillum requiratur quicquam. Duo verba explicanda in hoc verſu,* imputauit, *&* dolus. HHASAB *ad animi actionem*

Humana beatitas.

Rom. 8.

Coloſ. 2.

1. Pet. 4.

1. Pet. 1.

Adam.

Imputandi & imputationis ratio.

חשב

ſignifi-

ſignificandam vſurpatur, atque æſtimationis & cogitationis atque cenſuræ ſignificantibus verbis Latinè redditur. Homo quidem, tam id quod eſt quàm quod non eſt, putare & exiſtimare atque animo agitare poteſt & ſolet: verumenimuerò nihil quod non eſt, Deo æſtimatur. conuertuntur itaque duo illa effata, Deus non cenſet prauitatem in homine, ergo nulla eſt in homine prauitas. Cùm itaque homo Deo prauus non æſtimatur, beatus profectò eſt: non quidem qui cùm prauus re fuerit, Deo prauus non putetur:
Pſal. 16. id enim omnino ſecum pugnat. S. S. E. Domine oculi tui vident æqui-
Pſal. 10. tates. &, Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius. Itaque vbi Deus rationem cum homine ponit, & prauitatem illi non cenſet aut numerat, idem non compertam declarat: cui etiam humanus adſtipulatur ſpiritus, nullius omnino ſibi fraudis conſcius. Atque hoc pacto de imputationis ſignificatione vbique locorum ſentiendum arbitramur. vt,
Gen. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. illud ipſum videlicet quod credidit, & credens iuſsis diuinis paruit, illud, inquam, in rationum commentarium relatum & adnumeratum fuit ad iuſtitiam illi per Chriſtum in tempore conferendam. Itaque imputationis diuinæ inficiatio, rem ipſam, quæ non imputatur, inficiari quoque indicat. Quod peccatum
עון hic Latinè legimus, in primæua lingua GHAVON eſt, id eſt, prauitas,
יושר cui IOSER opponitur, hoc eſt, rectum ſiue rectitudo. Ex quo fit vt beatus tunc homo dicatur & ſit, cùm prauitatis expers Dei iudicio ac beneficio ſtatuitur, atque idem ipſe nihil in ſe fictionis vel diſsimulationis atque fraudis agnoſcit. id quod nemo Adam tantummodo vocatus, propriæ
Pſal 13. met aut virtuti aut operæ aut integritati tribuere poteſt. Dominus de cælo proſpexit ſuper filios Adam, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt
Beatitudo quibus cõtingat. qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Igitur (arguet quiſpiam) nemini homini beatitudo iſta contingere poteſt? imò poteſt, atque adeò ſanctis hominibus contingit, verùm id ex Dei virtute, miſericordia, & efficacitate per Chriſtum, priuilegio non omnibus communi hominibus, ſed illis donato, qui fide & obſequio ſeſe Dei gratiæ, per quam vocati ſunt, probauerint. Nam quiſquis gratia Dei ſeſe non indigentem comparare ita poſſe dicat, vt rectitudine propria cenſuram diuinam nihil prorſus moretur, at-
1 Iohan. 1. que ipſe ſibi obliquitatis nullius conſcius conſtet, mentitur profectò, & veritas non eſt in eo: ſin verò ſe peccatorem agnoſcens gratia & gloria Dei indigere fateatur, ſeq́; per fidem & pœnitentiam quà vocat gratia obſequentem præbeat, & anteacti erroris pertæſus vitam in melius mutare ſtudeat, conſtanter ac ſedulò id agens, erit vas in ſanctificationem Deo ad ſanctitatem paratus, atque ex Dei munere & efficacitate beatus homo demum audiet. Atque ad hanc ſententiam arcana illa Ioannis diſſertatio ex
1. Iohan. 3. vero atque certo refertur teſtimonio. In hoc cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus, & in conſpectu eius ſuadebimus corda noſtra. Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum; maior eſt Deus corde noſtro,

& no-

& nouit omnia. Cariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo facimus. Et hoc eſt mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius IESV Chriſti, & diligamus alterutrum, ſicut dedit mandatum nobis: & qui ſeruat mandata eius, in illo manet, & ipſe in eo: & in hoc ſcimus quoniam manet in nobis, de Spiritu quem dedit nobis. Quem dedit nobis, *inquit, non quem nos ipſi nobis parauimus aut effecimus. Namque* ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundùm propoſitum gratiæ Dei. Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Rom. 4.

Nec eſt in ſpiritu eius dolus] *Spiritum cum Dei iudicio congruentem, ſimpliciſſimum videlicet & candidiſſimum, ſanamq́; mentem, doli mali ſublatione, ſignificat hæc deſcriptionis pars. Nam* RAMIAH *vitium eſt æquitati ac rectitudini oppoſitum, & ſæpe iungitur hoc nomen cum bilance ſiue ſtatera improbanda; vt in prouerbiis, vbi legimus:* Egeſtatem operata eſt manus remiſſa. *exemplar habet,* RAS GHOSEH CAPH RAMIAH. *ex verbo autem Latinè ſic:* Egenum facit lanx doloſa. *Nam* CAPH, *pro qua illic* manum *noſtra verſio habet, cauum, lancem, cochlear, & manus volam ſignificat. Sunt enim omnia iſta ſynonyma in vocabulo* CAPH; *ex quo Latinum verbum* capio *originem trahere videtur. Itaque quem Deus prauitate omni excipit hominem, nec malus dolus intus agitat, ſed erga Deum, erga ceteros homines ingenua ſimplicitas & æquabilis bonitas commendat, eum ſemel atque iterum beatum pronunciat Vates; hoc eſt, duplici beatitate præditum, altera in hac mortali vita, in qua nihil æquè iucundum aut vtile commodumq́; eſſe aut expeti poteſt, atque Dei gratia cum ſimpliciſſima ſpiritus bonitate: & in illa altera immortali atque æterna, quæ omnis felicitatis complectitur ſummam, bonorumq́; cunctorum finis eſt vltimus. Duabus itaque partibus beatitudo hæc à Domino inſtruitur, remiſſione videlicet iniquitatis cum peccati abolitione & abſolutione prauitatis ex Dei efficientia, conſequenteq́; ſpiritus rectitudine & ſimplicitate. Cuius quidem deſcriptionis rem veritatemq́; ipſam quicumque obtinuerit homo, non volenti neque currenti ſibi, ſed miſerenti Deo acceptam debebit referre. Illud obiter annotandum fuerit, conſimili ſignificatione conuenire inter Ioannis de hac beatitate argumentum.* Si cor noſtrum non reprehenderit nos, *& inter Dauidis iudicium,* nec eſt in ſpiritu eius dolus. *Iam verò vbi veram felicitatis rationem in animi integritate & puritate atque candida & lucida ſimplicitate ſtatuerit Vates, quemadmodum quóve nam pacto parari & obtineri contingat, deinceps poſthac in toto diſſerit Pſalmo:*

[Margin notes: רמיה Dolus. — Prou. 10. — כף — Capio verbi Etymologia. — Beatitudinis partes. — Rom. 9.]

mo: cuius diſputationis exacta explicatio, quæ aliàs totum complere poſſet iuſtum volumen, in commentarij anguſtias ita nobis fuerit cogenda. Principio ſtatuendum eſt, peccatorum fontem omnium mortalibus, antequam diuina lex indicaret, nimis diu fuiſſe incognitum; lege autem lata, concupiſcentiam, quæ malorum ſcaturigo erat, iam proditam & accuſatam vehementiùs etiam viguiſſe, ac multis modis humanam vexaſſe mentem, præſertim eorum, qui ſuum occultare morbum parantes, vitæ & morum ſanctitatem palàm probare ſtuderent, ab iniuria, ſcelere, & flagitio abſtinentes, & crimen hoc pacto vitantes; officiis etiam in ſpeciem ſeſe venditantes honeſtis, quæ quidem longo labore, multo ſudore, ac diligente meditatione exercendo, aliorum ſenſibus ac iudiciis hominum ſanctitatis & integritatis exhibebant ſpeciem, ipſis tamen actoribus veræ, puræ, ac ſinceræ virtutis parùm ſibi conſciis, nec à legis maledicto immunitatem, nec apud arbitrum vitæ Deum laudem ſecuritatémve præſtabant; imò dolentibus intus & ſentientibus, vnà cum metu ac pauore mœrorem curamq́ augebant, eò quidem vehementiùs, quò magis ab illis interna diſſimulabatur & occulebatur vis & nequities morbi: quam quidem propter veneni ſenſum quin gemendo proderent premere non valebant; confiteri autem, vel ob pudorem, vel ob perſonam fortitudinis, morabantur. Hinc illa quorumdam ſophorum, Platonicorum præcipuè, ſermone valde celebrata, re verò atque moribus nunquam præſtita mortis meditatio; hinc tam multa beatitatis inueniendæ commenta, nullo tamen inuentæ comprobata exemplo. Horum igitur in numerum ſe fruſtra conſcripſiſſe Pſaltes ait, cupientem & laborantem quidem ſeſe ſanum exhibere externo vitæ & conſuetudinis inſtituto & pacto, introrſus verò propter mali affectus æſtum gementem, nec tamen miſeriam ſuam confeſſione & ſimplici veritate manifeſtantem. qua in re non ſuam tantùm, ſed mortalium omnium humanè de ſe ipſis ſentientium cauſſam & rationem tractat.

Humana iuſtitia.

Philoſophica mortificatio.

3. Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die.

Pugnare in ſpeciem videntur taciturnitas & iugis quotidianusq́ clamor; verùm, ſi quod iam præfati ſumus cum exemplaribus componatur verbis, non modò non pugnant, ſed maximè congruunt inter ſe. CHI HEHHERASTHI. *Prius verbum* HHARAS *tacere, obmuteſcere, & mutum ac ſurdum agere ſignificat, præterea & ceſſare. vt,* Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. *Senſiſſe itaque ſeſe ægrotantem, tamen ſuum celaſſe morbum dicit Vates, atque ſic aliquandiu habuiſſe tacendo (nam tranſlationem à febris occulto morbo deſumpſit) nihilominus à gemitu non temperare valuiſſe ait, quinimo totam diem, hoc eſt, lucem ac noctem, gemendo inquietum afflictumq́ peregiſſe, interim verò languore magis atque magis affectum & debilitatum, ad oſſium vſque vitiationem*

חרש
Exod. 14.

atque

atque tabem. Inueterauerunt oſſa mea. BALV. *Verbum* BALAH *conſeneſcere, veteraſcere, antiquari & obſoleſcere ſignificat. veſtimentis tribuitur, & iis, quæ vſu, diuturnitate, vel ſitu etiam pereunt. Sic apud Ioſuam Gabaonitæ veſtimenta & calceamenta ſua longi itineris vſura obſoleuiſſe argumentabantur. Arabicè quoque veterrima & antiquata res* ALBALI *vocatur. Morbi itaque diuturnitate atque vehementia languidiſsimum ſuis oſsibus habitum contractum Pſaltes ait:* Dum clamarem tota die. BESIVGHATHI CHOL HAIOM, in gemitu meo tota die. *Vocula* CHOL *hoc loco non ſolùm continuitatem ſed numerum quoque complectitur, id eſt, longis diebus iiſdemq́ue integris. Id verò quid in cauſſa eſſet quamobrem ſic pateretur, è veſtigio ſubiungit, legis indicans imperium, integritatem ſui à cultoribus exigentis, idq́ue ex diuini iudicij inſtitutione.*

בלה — *Ioſue 9.* — אלבלי — כל

4. Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua; conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.

Conſcientiæ propriæ ex lege à Deo lata accuſationem Dei manum *vocat Vates, non diſsimili tropo ab illo docti ſatyrarum ſcriptoris:*

Pœna autem vehemens, & multo ſæuior illis,
Quas aut Cæditius grauis inuenit, aut Rhadamanthus,
Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Sed quam tranſlationem à febri eademq́ue tabida Pſaltes ducere cœperat, eandem ex eodem genere vrgens amplificat: hoc eſt, ex ſimilitudine vehementis caloris diu multumq́ue in ſata incumbentis, idq́ue æſtiuis diebus, qui longiſsimi totius anni cùm ſint, ſata & agros nocentiùs vrunt, ſi præſertim nulla noctu, quæ temperare poſsit, aura viciſsim ſuccedat. quem agrorum habitum ij repræſentant, qui continua vexantur febri. Atque hæc in his verſibus vſurpatæ tranſlationis imago & ſumma explicatio eſt. quam vt ad noſtram Latinam verſionem referamus, ex exemplaris linguæ verbis perpendere expedierit, NEHEPHACH LESADI BEHHARBONEI KAITS ZZELAH. Conuerſum eſt agro meo in ariditatibus æſtatis. ZZELAH. *Latinus interpres vetus, quem explicamus, tranſlationem intelligendo, aliis pronunciauit verbis, rem etiam ſpectantibus ipſam.*

Conſcientiæ accuſatio. *Iuuenal. Sat. xiij.*

Conuerſus ſum] *Idem valet in hoc loco verbum* HAPHACH *quod* conuertere, deriuare, *ac* transferri. *vt,* VAIHAPHECH LO ELOHIM LEB AHHER. Et conuertit illi Deus cor aliud. *Hiſpanicè dici ſolet:* Tornoſele el teſoro carbones. *Sic Ieremias,* Verſus eſt in luctum chorus noſter. Aerumnam *verò rubiginem aut æruginem interpretamur hoc loco. Namque ærumna ruſticum vocabulum eſt, & ſegetum calamitatem aut fructuum fruſtrationem ſignificat primùm, deinde ad incommodorum varia genera per ſimilitudinem transfertur. Cùm itaque ſeſe frugi eſſe homo exiſtimat, propter continentiam à ſcelere & iniuria*

הפך — 1. *Reg.* 10. — *Thren.* 5. — Aerumna ruſticum vocabulū.

ria externoq́ crimine, nihilominus maledicto legis ſentiendo ſeſe obnoxium propter præceptum NON CONCVPISCES, *miſerum atque ærumnoſum ſe agnoſcit, ſpinis nimirum, id eſt, ariſtis æſtu retoſtis & præſiccatis. Hæc Latinæ lectionis vulgatæ explicatio breuiter nobis indicata ſufficiat; quam interpretatio ex verbo, vtpote clarior, magis reddet lucidam.* Conuerſum eſt agro meo in ariditatibus æſtatis. *Id, inquit, agro meo, in quo ſeminaueram, euenit, quod agris cultis ac ſatis, quibus feruentiſſimus per æſtatem ingruit ardor, cùm ſemel canis & leo acutum & vehementem accepere ſolem. Appoſitiſſima itaque rerum ac tempororum imagine tabem ærumnámque ſuam deſcripſit auctor, quam interiectio* ZZELAH *clauſit: vox ad verborum ſententiarúmque in quocunque argumento exaggerationem facta, & in verſus fine, vt iam aliàs adnotauimus, locum proprium ſortita. Hactenus quidem humani generis malum morbum, & morbi apud hominem minimè ſtupidum ſenſum, in ſua ipſius perſona repræſentatum indicauit Pſaltes: iam verò deinceps quemadmodum curandum intellexerit, ac decreuerit, & ſperauerit, exponit; id quod ex animi ſententia ſucceſſiſſe deinde gratulabundus prædicat. Primum itaque & certiſſimum ſibi fuiſſe conſilium, agniti morbi non modò effecta & quæ vocantur ſymptomata, ſed principium fontemq́ ipſum Deo ſalutari atque ſingulari medico fateri & exponere, eidemq́ ſeſe curandum ac ſeruandum committere: id quod ſapienter conſultum, res ipſa ratioq́ indicat. Namque apud alios qui medicinam facere neſciunt, non adeò periculoſè celatur ægritudo; apud ſapientem verò & efficacem medicum celari, diſſimulari, aut eleuari, vel quouis honeſtari nomine, pernicioſiſſimum & ſtultiſſimum cenſetur, præſertim cùm prima curationis conditio ſit, velle ægrotantem ipſum curari. S. S. E.* Vis ſanus fieri? *& apud Hoſſeam:* Cùm ſanare vellem Iſraël, reuelata eſt iniquitas Samariæ. *Deliberatum itaque & certum ſanitatis expetitæ & curatæ atque rogatæ conſilium, vnico verbo* Dixi *indicatur.*

סלה

Morbus non celandus apud medicum.

Iohan. 5. *Hoſſ. 7.*

5. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi.

Dixi: Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Salutis diſciplina.

Diſciplinæ ſalutis huiuſmodi ratio ac ſeries traditur. Humanus animus primùm ſuæ originis oblitus, non ſatis inſtructus bonum à malo quadamtenus diuidere nouit, atque vtrumq́ ex commodo ſuo vel incommodo metitur ac definit; honeſtum verò atque turpe minùs exactè diſcernit, quando omnia ad ſeipſum primò refert, atque ita dum ſibi proſit & proſpiciat, ſatis vſque putat, ſi minimum aut parùm ceteris noceat: itaque vel innocentiæ nomine aut ſpecie contentus, reliquum ſecurus agit. Verùm ſecuritatem iſtiuſmodi, lata & promulgata lex vehementer turbat & ſolicitat, dum non

Legis diuinæ beneficium & officium.

non modò turpitudinem damnat, honeſtatemq́ docet ac præcipit morum,
& boni ac mali terminos aliter quàm ex proprio commodo ſtatuit; verùm
etiam rectum & curuum, illud imperando, hoc rurſus damnando, diiudicat.
Qua quidem doctrina perculſa mens hominum, ægritudinem demum ſentit
agnoſcitq́ ſuam, & illius cauſſas altiore ac tenaciſsima radice exortas in-
telligit; ſeq́ ſua opera aut induſtria minimè ſanare poſſe cognoſcens, Dei
vnius ope & miſericordia egere eiuſdem legis beneficio fit certior: præter-
ea quæ & quales ſuæ eſſe debeant in ea re partes, eruditur, nempe fides &
pœnitentia; pœnitentiæ initium, ab agnitæ ægritudinis & laborum ex Pœnitentia.
illa profectorum confeſsione ducitur, & vitæ in melius correctione firma-
tur. Hanc autem fide & ſpe inſtructam confeſsionem diuina clementia &
miſericordia libens & volens admittit, & bono felicitat euentu, peccatis
& ſceleribus primùm remittendis, & illo peccatorum procreatore veneno
ad expiationem, quam Chriſtus effecturus promittebatur, integrè & abſo-
lutè reſeruando. Dum verò Chriſtus expectabatur, expiatio nondum ab-
ſoluta erat, verùm ſatagentibus imputabatur: iam verò Chriſto officium
functo ſuum, non imputatione ſed veritate res agitur. Hanc igitur cauſ-
ſæ argumentiq́ quam indicauimus breuiter ſeriem, Pſalmi huius quæ ſuper-
eſt pars complectitur. Primum quidem factum; Delictum meum co-
gnitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi. *Factum*
verò vt probetur, non ab inuito aut coacto extortum, ſed ex certo conſilio
profectum oportet. Dixi: Confitebor iniuſtitiam meam Domi-
no. *Huiuſmodi confeſsionem à fide & ſpe deductam, atque conuerſi ani-*
mi & ſtudij indicem teſtemq́ gratam, & efficacem ad miſericordiæ diuinæ
conciliationem, ſtatuto etiam in ſe exemplo prædicat Pſaltes; & tu remi-
ſiſti impietatem peccati mei. *Hæc argumenti ſumma ratio, quam*
verborum quoque examinatis ponderibus diſtingui expediet. Duo nomina
duobus verbis priori in verſu iunguntur. Delictum meum cogni-
tum tibi feci] HHATATHI. *Facti errorem ac deformitatem ſignifi-* Confeſſio
cat nomen HHATAH, *quam expreſſè in confeſsione Deo tanquam me-* peccatorū.
dico narratam à ſe ait; id quod ab ægrotante primùm exigitur, non modò ſe
malè habere, ſed qua corporis aut animæ parte, quoq́ morbo laborare ſen-
tiat, expoſituro. Hoc enim indicabant variæ quondam ſacrificiorum for- Sacrificia
mæ, varij ritus, quæ pro debiti genere factitabantur, pro peccato, pro deli- vetera.
cto, pro impuritate, atque aliis. quæ quidem non ſine confeſsione perage-
bantur, & quamquam ipſa ſui forma & norma genus arguerent, tamen
ſingularem poſtulabant erroris notationem: ideò dicit, cognitum tibi fe-
ci, *non vt ignaro aut neſcienti, ſed vt medico id ab ægrotis ad voti de ſua*
ſalute declarationem præexigenti. Neque verò peccatum re tantummodo
commiſſum, & ex ſe ferè arguendum culpæq́ dandum, ſed circumſtans
etiam atque intus inhærens vitium, vnde ceteræ oriantur enormitates, in-
genuè commonſtratum atque indicatum ſignificat verbum non abſcondi.
Accidit enim nonnunquam vt peccatum aliud alio grauius cenſeatur, ve-
 rùm

rùm tam id quod leuius, quàm quod grauius habetur, ex vno eodémque principio æquè cunctis commune iidémque deforme ortum producatur (quamlibet id aliis diſsimulantiùs in ſpeciem occultetur) hoc eſt, ex inuecta in vniuerſum genus hominum prauitate; quæ vt nullius niſi Dei virtute expurgari & corrigi poteſt, ita nullo colore diſsimulari aut eleuari apud medicum debet. id quod aliàs ab eodem deprecatore ſingulari exemplo peractum animaduertere eſt. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. *Hæc facti peccati confeſsio, iniuſtitiæ verò ſiue prauitatis internæ reuelatio illa:* Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.

Pſal. 50.

Iniuſtitiam meam non abſcondi] GHAVONI, *prauitatem obliquitatemq́ꝫ propriè ſignificat, id inquam, quod à recto deuiat: eſtq́ꝫ commune vocabulum, à rebus quæ ſenſu capiuntur & æſtimantur, ad conſiliorum & actionum notas & cenſuram tranſlatum. Hanc verò confeſsionem & oſtenſionem certo inſtitutam conſilio, felici euentu comprobatam ſuo ipſiuſmet vſu prædicat:* Dixi: Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei. *Conſilium certum facto ipſo commonſtratum, nunquam præmio fruſtrari ſuo docet: bonum quidem conſilium bono euentu, peruerſum verò digno excipi exitu, ſæpiſsimè ſacris docemur oraculis. Peccaſſe quidem ſe cognouerat Pſaltes, idemq́ꝫ ex legis doctrina & indicio internam quoque prauitatem agnouerat: vtroque malo ſeſe ipſe liberare & eximere non valebat, facti quidem accuſatione vtpote iam tranſacti & quod infectum reddi non poſſet; internæ verò prauitatis inhærens vitium, niſi mutata prorſus natura, expurgari ac tolli nequibat. Hoc poſterius, vt non ſui ſingulariter operis, non celare commodiſsimum; illud verò, vtpote à ſe admiſſum, fateri vltrò atque ingenuè exponere conſultiſsimum duxerat: vtrumque autem certo animo atque conſilio agens præſtitit.* Dixi, *prudens ac volens;* Confitebor, ODAH, *fatebor & exponam,* aduerſum me, *nulla excuſatione facti, nulla culpæ in quemquam tranſlatione aut deriuatione, ſed mei ipſius plana ac ſimplici accuſatione,* iniuſtitiam meam PISGHI, Flagitium meum. *Peccatum grauius vltrò admiſſum, quo præcepti aut mandati diuini ſanctitas & integritas quoquo pacto violatur,* PESAGH *dicitur: pro quo Latini,* iniuſtitiam, ſcelus, *vel* flagitium *reddunt. Id verò commune eſt vocabulum, enormitatem priuatam ſæpius, nonnunquam & iniuriam, complexum; non adeò tamen amplum atque* HHATA, *quod* erratum *Latinè dici poteſt, &* peccatum *plerumq́ꝫ dicitur. Igitur facti & admiſsi voluntaria confeſsione, quàm ſibi vtiliter conſuluerit conuerſus ad Deum peccator, euentus declarauit.* & tu remiſiſti impietatem peccati mei, ZZELAH. *verborum explicationem res ipſa poſtulat explicanda.* VEATHA, & tu. ET *coniunctio hoc loco dialecticæ collectionis, ſiue illationis vim exprimit, idemq́ꝫ valet atque* Tu igitur, *ſiue* Quare & tu. NASATHA. *In huius Pſalmi initio ſignifica-*

Confeſſio.

פשע

חטא

ET pro igitur.

not to vest

ſignificationem NASAH *docebamus, atque Latino verbo* ignoſcere *oſtendebamus affinem. Peccatum ipſum ſiue factum condonatum ſibi ſubindicat Pſaltes (namque hactenus proderat antiqui teſtamenti ac temporis propitiatio) at verò prauitatem ipſam, cùm nondum per infirmitudinem temporis tolli & ad rectitudinem ſimpliciſſimam inſtaurari opportunum eſſet, ignoſcendi beneficio tolerare ac proſequi tunc ſatis erat: donec plenitudo temporum cum ſuperabundantibus gratiæ diuitiis accederet.* Impietatem peccati mei] GHAVON HHATHATHI, prauitatem errati mei. עון *Namque* GHAVON *&* IASAR *opponuntur, vt* curuum ישר *ſiue* prauum *&* rectum. *Peccati enim deformitas non tam in facto quàm in facti prauitate notatur: prauitas verò in fæminea hominis portione hæret.* Peccati deformitas. Senſus enim & cogitatio cordis humani ad malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Gen. 8. *Fidelibus autem ſeſeq; agnoſcentibus & confeſſione accuſantibus, toleratur communis iſta prauitas & remittitur offenſa, quoad per eum,* qui tollit peccata mundi, *fuerit abolita; interim tamen ſeſe exerere, atque animum, cui ineſt, infeſtare non deſinit: cùm verò morbus & ægritudo ſit, nunc grauiùs, nunc leuiùs, interdum etiam grauiſſimè vexat. Nec enim ſecius Noahhum & Noahhi familiam infirmitudo iſta tenebat, quàm ceteros vniuerſæ terræ homines: verumtamen quo minùs opprimeret ac tranſuerſos ageret, iudicioq; obnoxios redderet, fides, religio, ac timor & innocentia, atque perpetua ſui ipſorum cura, & precatio aduerſus Deum, virtutumq; exercitatio, apud illam familiam obſiſtebant: id quod prorſus apud alios requirebatur, vtpote flagitiorum & ſcelerum nullis non generibus coopertos, & iniuriæ multiplicis criminibus per ſummam inuolutos nequitiam.* Veterum pietas. Noahhi iuſtitia. Omnis quippe caro corruperat viam ſuam. Gen. 6. *Contrà verò Noahhus, quantum illa humani generis ferebat ætas, nulla malefacti laborabat culpa. id quod ex Dei etiam iudicio atque elogio ſacra teſtatur hiſtoria:* Noë verò vir iuſtus in generatione ſua fuit. *non quidem abſolutè ſine vlla etiam apud exactam Dei iuſtitiam exceptione iuſtùs*, ſed in generatione ſua, BEDORO, in ſæculo ſuo; *ad ceteros, inquam, ſæculi ſui comparatus, iuſtus verè prædicatur & ſanctus. Igitur & ſuæ ætatis publica mala atque crimina vindice digniſſima videns Noahhus, & ſuam ſuorumq; animi internam prauitatem agnoſcens, veniam miſericordiamq; implorabat expectabatq; Dei; & ſeſe, quamquam mali operis immunem, tamen communis humani vitij conſcium, Deo liberandum & ſeruandum commendabat. Id quod fide ac prece obtinuiſſe manifeſto declaratum fuit euentu, cùm ex innumerabili mortalium numero ac multitudine, ſolus ille cum ſeptem capitum familia publicæ inundationis iudicium euaſerit. Ad cuius exemplum reſpiciens nunc Pſaltes, bonorum ac piorum perpetuum votum perſimile indicans commemorat, liberationem videlicet atque exemptionem à corpore mortis huius, quam alio nomine prauitatem dicimus.* Piorũ commune votum.

6. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.

חסיד

Nomen GHAVON *fœmininum in ſancta lingua eſt, vt Latinum* Prauitas. *Quem Latinus hîc* ſanctum HHAZZID *interpretatur,* pium *explicationis cauſſa nos dicimus, id eſt, bonum ſanæq́ mentis virum, qualis Noahhus, qualesq́ illius liberi ante diluuium reperti ſunt; qui tametſi innocentes & nullius malefacti ſeſe reos ferre poſſent, internæ tamen prauitatis vitium Deo penitus tollendum vel ignoſcendum ſupplices committebant.* In tempore opportuno] LAGHETH MATSO, in opportunitate comperiendi. *Cùm Deus hominum facta & acta recenſet, dicitur* GHETH MATSO. *Nemo enim hominum ab Adamo vſque fuit, in quo cenſendo nihil Deus exciperet, ante natum Chriſtum præſertim. Quamquam enim nihil in facto culpandum aut improbandum quiſpiam metuere fortaſsis poſsit, in animi tamen rectitudine nihil notandum veteris Adami filius de ſe verè prædicauerit nemo.* Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus *Deus.* fidelis *quidem, qui pollicitus eſt ſingularem gratiam & prouidentiā in eos, qui ſeſe agnoſcentes miſericordiæ illius commendauerint;* iuſtus *verò, qui per vnigenitum ſuum pios & ſui colentes iuſtos reddet. Interim tamen nemo horum, qui ſeſe hoc pacto probauerint Deo, in communis aduerſus improbos & infideles atque ſceleratos iudicij ſententia inuoluetur: ſed vt Noahhus ab illa publica inundationis clade, ita & Noahhi imitatores ab æternæ mortis iudicio, in communi peccatorum extinctione per Chriſtum efficienda, liberi & immunes ab ira Dei atque ſeruati euadent.*

Peccato generis nemo immunis.

1. Ioan. 1.

Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.

Mentem orationemq́ ſuam in Noahhi exemplum Vates noſter, cùm hæc meditabatur, fixerat; & ſalutaris myſterij ſignificationem contemplatus, animo canens & geſtiens indicabat, cum nonnulla alluſione ad rubri maris tranſitum: in vtroque nam ſpectaculo impietatem improbitatemq́ hominum ſceleratorum obrutam & abolitam, rurſus verò piorum ſeruatam & ereptam innocentem cognoſcere licet vitam, Noahho cum tota familia liberato, & filiis Iſraëlis poſt extinctos aquis Aegyptios incolumibus eductis. Quid verò illa tam illuſtria monumenta portenderent, ex ſancto Petro cognoſcere magnum fuerit operæpretium. Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem ſpiritu. In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë,

Diluuium & rubri maris trāſitus ſalutis myſteria.

1. Pet. 3.

cùm

cùm fabricaretur arca: in qua pauci, id eſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam. quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum, per reſurrectionem IESV Chriſti; qui eſt in dextera Dei, deglutiens mortem vt vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cælum, ſubiectis ſibi angelis, & poteſtatibus, & virtutibus. *Opportunum itaque poſcendi tempus id à Pſalte indicatur, quo ſe ipſum cognoſcens homo, atque mali vitij pertæſus, diuina miſericordia egere intelligit; quare & pænitentiæ & precationi intentus, antiqua ſalutis exempla ad ſe pertinere credit, confidit, & ſperat: quare & prouidentem ſibi Deum ſpectans & intuitus, ita compellat & inuocat:*

7. Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

Certum ſibi ſalutis præſidium pius vir in tutela & efficientia veritateq́ Dei conſtare credens, votiuæ gratulationis demum canendæ exemplum animo iam nunc meditatus præſumit. cuius argumentum hoc verſu complectitur, vt quondam Moſes & Maria liberati populi ſalutem illis celebrabant vocibus: Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. *ita ex imitatione Dauid, ſingulorum hominum, qui ſeſe certæ Dei tutelæ piè commiſerint, perſonam ſuſtinens, beneficium ſibi conferendum fatetur ac prædicat.* Tu es refugium meum] ZZETHER *munimen præſidiumq́ ſignificat.* à tribulatione, quæ circumdedit me] MITSAR THETSARENI, à compreſſione comprimere me [*valentis*] *quali compreſſione inimicorum, id eſt, peccatorum, animus hominis affectus laborat, qui tamen ad Chriſtum in crucis ac mortis diluuio ſeſe recipiens & illi adhærens, certum iam ſoſpitalitatis meditatur carmen.* Exultatio mea] RINI, carmen meum. PALETH THEZZOBEBENI ZZELAH. euaſio circumdabit me VSQVE. *Antitheton ſiue oppoſitum re & verbis: nam* compreſſioni, quæ compreſſerat, *ſiue* tribulationi, quæ circumdedit me, *opponitur*, euaſio circumdabit me, *id eſt, ita liber euadam vt vndiqu aque mei ſim compos iuris ac voti. qua libertate ab inimicorum interiorum compreſſione ſuos donaſſe laudatur Chriſtus, fratres inquam ſuos Deo Patri in filios conciliatos & cooptatos.* Nos autem, fratres, ſecundùm Iſaac promiſſionis filij ſumus: ſed quomodo tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum, ita & nunc. Sed quid dicit Scriptura? Eijce ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque, fratres, non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ: qua libertate Chriſtus nos liberauit. *Vocem* ZZELAH, *geſtientis ex certa ſententia animi adfectionem interpretari atque indicare iam ſæpe aliàs diximus. Adeò verò Pſaltes noſter ex fide atque ſpe ſalutis*

Exod. 15. מגר *Gal. 4.* 6.

geſtit, vt præſentis iam Chriſti efficacem ſermonem atque doctrinæ ſuæ compotem ſpiritum promittentis perſonam per conformationem inducat.

8. Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris: firmabo ſuper te oculos meos.

Chriſtus paſtor vigilantiſſimus.

Earum, quæ ſibi à Patre commiſſæ fuerint, ouium amantiſſimum, prudentiſſimum, ac diligentiſſimum ſe Chriſtus eſſe paſtorem, perpetuumq́ præſtiturum vindicem, tutorem, atque aſſertorem profitetur; vt quæ aliquando antea errabundæ quamplurimis expoſitæ periculis agebant, nec ſatis commodæ atque vtilis paſtionis copia ſufficiebantur, iam de cetero quàm optimè ac ſaluberrimè paſcantur, & præſentis magiſtri prouidentia ac vigilantia ſecuritatis diuinæ ſentiant beneficium: non quam ipſæ ſibi promittere ac

Iohan. 10

parare, ſed quam ſolus præſtare bonus ille valeat paſtor. Amen, amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ouium. Omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones: ſed non audierunt eos oues. Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſaluabitur; & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Fur non venit niſi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. *Nihil apertius & commodius ad explicationem verſus huius.* Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur; & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. *Viam autem ſeſe ipſum eſſe, ſemel atque iterum declarauit Chriſtus.*

Ouium ſub Chriſto ſecuritas.

qua gradieris] *Non ſolùm notitia viam illam tenendam, ſed vſu & frequentatione exercendam prædicit hoc loco Chriſtus, vnà cum paſtore ſuo verſatis & agentibus ouibus, eodemq́ quod ille preſſerit inſiſtentibus veſtigio: vt dicere verè poſſint;*

Gal. 2. 2. Cor. 3.

Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. *&*, Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non litera ſed ſpiritu. Firmabo ſuper te oculos meos] *Perpetuam ſuis ouibus Chriſti fore tutelam, hoc reſponſo ac promiſſo docemur,*

1 Pet. 2.

eadem planè ſententia, quam Petrus gratulatus expreſſit. Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum; vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus: cuius liuore ſanati ſumus. Eratis enim ſicut oues errantes, ſed conuerſi eſtis nunc ad paſtorem & epiſcopum animarum

Epiſcopi nomen.

veſtrarum. *Epiſcopi Græcum nomen viſitatorem interpretamur, cui perpetua de commiſſo grege incumbit cura. Hoc verò id ipſum eſt,* Firmabo ſuper te oculos meos. AIGHATSEH, conſulam, conſulere faciam ſuper te oculos meos. *Prouidentiam & curam ſignificari oculorum nomine, in Ioſepho docebamus.*

Pſal. 33.

Oculi Domini ſuper iuſtos. *Iam verò quantum hæc indicata & promiſſa piis conditio per Chriſtum ferenda præſtet*

Euangelij ad legem præſtantia. Rom. 8.

illi, quam legis tantùm doctrina ſine ſpiritu cultoribus fert ſuis, ex compoſitione & comparatione vtriuſque euentus indicatur: Quippe qui ſpiritu

Dei

Dei aguntur, ij ſunt filij Dei: *qui verò legis tantummodo ſimplici diſciplina imbuti nihil vltra legem ſapiunt, iſti in perpetuo metu viuentes, minis, terroribus, & peccatorum conſcientia verſantur*, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. *Ideoq́ equis ac mulis iumentisq́ brutis & inſolentibus perſimiles cenſentur: quibus in ſuo munere exercendis, chamo & fræno atque virgis opus fuerit. Atque iſtiuſmodi conditio eorum eſt, qui ſub lege detenti agunt. Nam exleges, ferarum perſimiles, ab omni vtili conſuetudine atque vſu putantur alieni. Igitur quamquam legis beneficium diuinitus hominibus conceſſum, ſanctum, laudabile, ac magnum fuerit; tamen quòd præter virtutis veræ rudimenta & ſigna quædam nihil attulerit perfectius, ſit vt virum bonum & ſuæ ſalutis cupidum, quantum in lege animi ſolida virtute, quantum abſoluta ſapientia & rectè agendi conſuetudine profecerit, tamdiu pæniteat quòd diuinus ille Chriſti ſpiritus in lege indicatus & per Vates promiſſus informet: cùm non iam deinceps metu, vt antea, ſed bona ac ſimplici planeq́ cæleſti voluntate officium ſuum vltrò ac libens gaudensq́ faciat & perpetuò exerceat, vtpote Deo iam non vt ſeruus meticuloſus obſecutus, verùm vt filius & adhærens, & Patri ſeſe ſimilem vita, moribus, atque actionibus cunctis præbens. Igitur ad illius, quæ ſub lege eſt, conditionis tædium, & ad illius alterius diuinæ & ſpiritalis atque intellectualis ac liberæ amorem & ſtudium & negotium, vocat & hortatur noſter Pſaltes homines.*

Hominum ſub lege conditio.
2. *Tim.* 3.
Exleges feris ſimiles.

9. Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.

Inter ſolidæ vngulæ quadrupedes, quæ iumentorum complent genus, equus & mulus *præcipuè ad laborem & onera ferenda atque ad vecturam petuntur, vtpote viribus præſtantiores, & ad ſeruitutis diſciplinam habiliores magisq́ idonei: quorum tamen brutum ingenium non ſponte ſeruire ſolet, niſi antea induſtria dominorum domitum, & vinculis conſtrictum, atque ad parendum frenis & camo aſſuetum: quibus quidem ſi qua prudentiæ vel intelligentiæ portio contingeret, leuius multo fuiſſet imò ſuauius obſequium erga dominos, à quibus aluntur & fouentur, & minus aut nihil prorſus inſtaret violentiæ. Sic homines, qui naturæ corruptæ feruntur impetu, diuina coerciti lege, ſcripta inquam, ſeruiunt quidem ac parent, cum labore tamen atque metu perpetuo. qui vbi melioris conditionis propoſitæ ac promiſſæ edocti & inſtructi fuerint, niſi adipiſcendæ atque obtinendæ à Deo teneantur deſiderio, malum metum & laborem ingratum ſibi ipſis iumentorum inſtar optare meritò cenſeantur.* Quibus non eſt intellectus] AIN HEBIN. non prudenter agitantibus. BVN *verbum eam intellectus actionem ſignificat, in qua prudentia verſatur. Prudentia verò, præteritorum, præſentium, ac futurorum compoſitione & ad certum ſcopum directione præſtatur: cuius in corde*

ſedes

Equus.
Mulus.
Hominum conditio ſub lege.
בין
Prudentia.

Prou. 16. נבון

ſedes conſtituitur, Salomone definiente. Qui ſapiens eſt corde, appellabitur NABON, prudens. *Quiſquis itaque prudentiæ parte aliqua præditus fuerit, intelliget nimirum peſſimam eſſe conditionem & miſerrimam eorum, qui ferarum ritu ſine lege & iure ſoluti, impiè, temere, ac iniuſtè viuunt; potiorem verò eorum, qui lege ac timore ducuntur & inſtituuntur, miſerabilem tamen, vtpote ſeruilem; longè verò præſtantiorem illorum, quibus recta & iuſta ingenuè & ſtudioſè atque ſuauiter tractantur & præſtantur. Hoc autem cùm nec virtute humana nec legis efficientia conſtet, Dei opus & beneficium ac munus eſſe prudens ille idem intelliget, ſeruis piis ac ſimplicibus promiſſum, & à Deo exoptandum & poſcendum, cum firma fide & ſpe obtinendi demum ab eo, qui ſeſe patrem hominibus præbere vult & profitetur: interim verò quæ legis ſunt agenda quidem legitimè ac ſimpliciter, magis autem ex prudentia quàm ex metu & coactione: nam quod minùs reluctatur iumentum, minus graue minusq́ durum tum onus tum camum frænumq́ ſentit. Ceterùm illis qui inſolenter & contumaciter* * * *

Adoptionis promiſſum.

Reliqua deſiderantur in autographo.

Hoc

Hoc poëmatium, quod paucis ante mortem diebus meditatus non emendauerat, adſcribere non alienum duximus ab auctoris mente ac more.

Pro prece pvra Votvm.

SAncte Deus, qui regna tenes cæleſtia, & idem
Præſentem miſeris teque bonumque probas:
Hanc, tibi quæ ſupplex venit, ac tua numina quærit,
Dirige Dux humilem præueniens animam.
Terreſtrum vindex variæ denſæque cateruæ
Spirituum infeſtis eripe me inſidiis.
Qui malè me vt perdant, velut impia turba latronum,
Inſiliunt mediis, dum peto te, precibus.
Non orare ſinunt iſto me nomine quicquam:
Nulla exorandi te vt mihi pars ſuperet.
Ergo tuæ donum & partem largire quietis,
Intentique animi munus & officium.
Vnus es & ſimplex, conſtanſque immobilis ipſe,
Ac tales, qui te ritè precentur, amas.
Suffice conſtantem & puram bone ſuffice mentem;
Eijce de templo ſordida cuncta tuo.
Cor tibi ſacraraſque meum propriumque dicaras,
Quo te exoratum poſſet adire Fides.
Hoc tibi ſecretum proles temeraria terræ
Occupat, vt precibus nil vacet vſque loci.
Perfida vendentumque & auara negotia ementum
Excludunt ſancta te prohibentque domo.
Diuitias & opes petit hic, fomenta malorum,
Iſte voluptatem ſpiritus, ille aliud.
Commoda quæ mihi ſunt vera atque æterna precari
Impediunt animum, nec meminiſſe ſinunt.
Inde fit vt nihil aut minimum verique bonique
Impetro, de donis, quæ dare largus aues.
Compoſitas menteis & pectora pura petentum
Diligis, haud iuſto deuia propoſito.
Aduerſis non tam ventis agitatur arundo,
Ipſe ego quàm mediis differor in precibus.
Ite procul viles curæ, non hîc mihi veſtra,
Aſt animi noſtri res, agiturque Dei.
Quæ terræ ac puro communia pignora cælo?
Nulla in vtrumque pari commoda iure cadunt.

Ergo mihi quicunque paras properaſque nocere
    Spiritus, in barathrum te iubet ire Deus.
Hinc fuge tu, & comitum denſiſſima turba tuorum,
    Et veteres tenebras veſtraque regna pete.
Hîc domus eſt vitę, regio hic puriſſima lucis:
    Hîc æterna quies diuaque Pax agitur.
Hoc optare decet cunctos: hoc poſcimus vnum:
    Hoc mihi contingat: cætera nulla putem.
Iam felix faciliſque Deus mea vota probari,
    Annuit, haud obſim dum malus ipſe mihi.

Precis Formvla.

Vnicum noſtri, heu, nimij laboris
Vindicem & ſolum validæ ſalutis
Te voco auctorem, decus atque portum
    Præſidiumque:
Principem ſummum, precibuſque puris
Semper attentum, ac bene prouidentem:
Nemo quem fruſtrà pius aduocaſſe
    Dicitur vnquam.
Hoſtium, qui ne tibi me vſque totum
Dedicem, ferro, furiis, doliſque
Diſtrahunt, pellunt, malè nominatis
    Eripe turmis.
Inuidos, vanos, ſimulare iuſta
Callidos, prauæ artificeſque fraudis
Spiritus, hos nam grauiùs nocentes
    Deprecor hoſtes.
Quæ meam quando mala turba mentem
Improbum ſenſum propriumque amorem
Edocent, cęco miſeram veneno
    Perdere certant.
Littora haud tot nec toties marinis
Fluctibus tentant Boreas Notuſque,
Noſtra quàm multis quatiuntur atris
    Pectora curis.
Tunc magis crebras animus procellas
Sentit, inque altum, ſimul in profundum
Pellitur, cùm te ac tua ſancta ſupplex
    Numina poſco.
Hoc agens * * trepidat vetuſti
Corporis ſemper furioſa turma, vt

Non

Non tibi præſens anima hęc, ſibi ſed
Seruiat vni.
Vt mihi ſummo ſtudio meiſque
Vſibus tantùm caueam, mihi ſic
Conſulam ſoli, proprij nihil con-
cedere perſtem.
Scilicet, me me vt ſimul ipſe demens
Callidè quæro, & caueo perire,
Protinus perdam, tua nec beata
Limina viſam.
Nemo ſe quærens reperiſſe veram
Creditur vitam; ſine te nec vſquam
Vita mortali ſupereſt, nec vllus
Luminis vſus.
Iſta iam nos ni tueatur alma
Cura, te ſolum potiùs petentes,
Heu quot & quantis premimur periclis
Inſidiiſque.
Commodi primùm proprij ſequeſtrem
Spiritum prauum (potes) amoueto
Mente de noſtra, mihi qui nocentum
Duxque paterque eſt.
Liuor huic certus comes, huic ſuperbus
Faſtus, ac dirus furor, & libido,
Gloria, ac nutrix ſceleris maligni in-
feſta cupido.
Quem ducem ſi tu mihi me neganti
Tradis occiſum, monuiſti vt ipſe,
Protinus diſcors comitum caterua
Cetera cedet.
Spiritum, quem iam ingenuum crearas,
Nec niſi ſoli tibi dedicandum,
Liberum reddas, tibi vt imperanti
Seruiat vni.
Ille cùm noſtris nihil arrogando
Commodis, primum, medium, ſupremum
Te mihi optandum ſtatuet, petetque
Liber.
Tunc malis liber dominis meique
Compos euaſus, tibi placiturus
Libero accedam, famuluſque dicar
Filius idem.
Nunc viam celſis mihi te petenti

Montibus claudit, nimis aut profundæ
Vallis horrorem maleſuada eunti
Turba minatur.
Quis queat tanta impedimenta totque
Vincere, & rectum iter ire, ni me
Iſte deducens humilem reponat
Spiritus *
Inſtar vt lymphæ in mare defluentis
Redde me, vt ſemper ſequar ima, ſemper
Præbeam prudens humilem me, & alta
Summaque vitem.
Sic ego felix iter inſtitutum
Proſequi, atque iſtam reperire tutam,
Quam tenens præſtas, potero tuo de
Munere PACEM.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,
QVAE IN HIS COMMENTARIIS EXPLICANTVR, illuſtrantur, aut citantur.

Ex Geneſi.

Ca 1. V. 2. *ET ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas* 336
3 *Dixitque Deus: Fiat lux; & facta eſt lux &c.* 383
4 *Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona &c.* 201
5 *Appellauitque lucem Diem, & tenebras Noctem* 195
9 *Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locũ vnũ &c.* 249
11 *Germinet terra herbam virentem* 236
14 *Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant &c.* 169
2 2 *Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum &c.* 54
19 *Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis ipſum eſt nomen eius* 331
3 5 *Eritis ſicut Dij* 96. 182
6 *Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum &c.* 182
16 *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios* 210
4 4 *Et reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain vero &c.* 187
5 1 *Liber generationis Adam: in die qua creauit Deus hominem* 57
6 12 *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam* 301
13 *Finis vniuerſæ carnis venit coram me: repleta eſt terra &c.* 153
7 11 *Anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die &c.* ibidem
13 *In articulo diei illius ingreſſus eſt Noe, & Sem & Cham &c.* 154
19 *Et aquæ præualuerunt nimis ſuper terram, opertique ſunt &c.* 386
8 12 *Expectauitque nihilominus ſeptem alios dies, & emiſit columbam* 380
16 *Egredere de arca tu, & vxor tua, & filij tui & vxores &c.* 344
21 *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum &c.* 385. 386. 395
22 *Cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis, frigus & æſtas &c.* 63
9 1 *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram: & terror veſter &c.* 344
5 *Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu &c.* 65
11 4 *Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim &c.* 330
12 2 *Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi &c.* 254
8 *Aedificauit quoque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius* 109
14 18 *Erat enim ſacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei &c.* 197
15 6 *Credidit Abram Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam* 388
17 1 *Poſtquam vero nonaginta & nouem annorum eſſe cœperat &c.* 234
1 *Ambula coram me, & eſto perfectus* 234. 286
18 20 *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt &c* 65. 84
24 *Si fuerint quinquaginta iuſti in ciuitate, peribunt ſimul? &c.* 385
19 2 *Declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi &c.* 275
24 *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham &c.* 152
20 5 *In ſimplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum &c.* 253. 282
21 1 *Viſitauit autem Dominus Saram* 268
22 1 *Tentauit Deus Abraham, & dixit* 289
24 23 *Eſt in domo patris tui locus ad manendum?* 276

25 7 *Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum ſeptuaginta &c.* 275
8 *Congregatuſque eſt ad populum ſuum* 297
34 *Parui pendens quòd primogenita vendidiſſet* 370
27 12 *Timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere* 318
28 11 *Cumque veniſſet ad quemdam locum, & vellet in eo requieſcere* 276
20 *Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam &c.* 185.255
29 8 *Non poſſumus, donec omnia pecora congregentur* 297
31 29 *Valet manus mea reddere tibi malum* 329
36 *Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum &c.* 270
53 *Per timorem patris ſui Iſaac* 225
32 9 *Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Iſaac: Domine qui &c.* 224.255
11 *Erue me de manu fratris mei Eſau, quia valde eum timeo &c.* 283
29 *Interrogauit eum Iacob: Dic mihi, quo appellaris nomine? reſpondit &c.* 255
34 30 *Odioſum feciſtis me Chananæis, & Pherezæis &c.* 291
35 2 *Iacob verò conuocata omni domo ſua, ait: Abijcite Deos &c.* 223
5 *Cumque profecti eſſent, terror Dei inuaſit omnes &c.* 283
28 *Et completi ſunt dies Iſaac centum octoginta annorum &c.* 275
42 38 *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos* 34
46 1 *Profectuſque Iſrael cum omnibus quæ habebat, venit &c.* 224.275
47 29 *Et facies mihi miſericordiam & veritatem* 103
48 15 *Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea vſque in &c.* 186.283
49 9 *Requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum?* 81
32 *Finitiſque mandatis quibus filios inſtruebat, collegit &c.* 275
50 17 *Obſecro vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum &c.* 270.385

Ex Exodo.

2 14 *Quomodo palàm factum eſt verbum iſtud?* 378
25 *Et reſpexit Dominus filios Iſrael, & cognouit eos* 364
3 7 *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem &c.* 83
8 *Et ſciens dolorem eius, deſcendi vt liberem eum de &c.* 364
16 *Viſitans viſitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt &c.* 54.268
6 3 *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo &c.* 241.277
10 4 *Ecce ego inducam cras locuſtam in fines tuos: quæ operiat &c.* 386
22 *Extenditque Moyſes manum in cælum, & factæ ſunt tenebræ horribiles &c.* 383
12 27 *Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſiuit ſuper &c.* 219
14 14 *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis* 390
17 *Glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius &c.* 258
25 *Fugiamus Iſraëlem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos* 248
15 2 *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem* 397
19 *Ingreſſus eſt enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius &c.* 191
20 *Sumpſit ergo Maria propheteſſa, ſoror Aaron, tympanum &c.* 397
16 4 *Egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiunt per ſingulos &c.* 289
6 *Veſpere ſcietis quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti &c.* 258
19 16 *Iamque aduenerat tertius dies, & mane inclaruerat &c.* 338
20 5 *Deus tuus fortis, Zelotes, viſitans iniquitatem &c.* 64
7 *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* 253.333
8 *Memento vt diem ſabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis &c.* 238

12 *Honora patrem tuum & matrem tuam* 258.331
18 *Cunctus autem populus videbat voces & lampades &c.* 69
21 24 *Oculum pro oculo, dentem pro dente &c.* 321
22 26 *Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante &c.* 74
27 *Si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum* 97
23 3 *Pauperis quoque non miſereberis in iudicio* 196
15 *Non apparebis in conſpectu meo vacuus* 140
18 *Nec remanebit adeps ſollemnitatis meæ vſque mane* 276
25 40 *Et fac ſecundùm exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt* 295
32 19 *Cumque appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum, & choros* 354
33 20 *Non enim videbit me homo, & viuet* 372
34 5 *Cumque deſcendiſſet Dominus per nubem, ſtetit Moyſes cum eo &c.* 269
7 *Qui aufers iniquitatem, & ſcelera, atque peccata* 270
25 *Neque reſidebit mane de victima ſollemnitatis* 276
40 32 *Operuit nubes tabernaculum teſtimonij, & gloria Domini &c.* 296

Ex Levitico.

11 45 *Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum &c.* 89
18 5 *Cuſtodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis* 178.237
17 *Turpitudinem vxoris tuæ & filiæ eius non reuelabis &c.* 298
19 13 *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vſque mane* 276
14 *Nec coram cæco pones offendiculum* 304
29 *Ne proſtituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo* 298
20 14 *Qui ſupra vxorem filiam, duxerit matrem eius, ſcelus operatus eſt &c.* ibid.

Ex Numeris.

13 23 *Nam Hebron ſeptem annis ante Tanim vrbem Ægypti condita eſt* 375
15 31 *Verbum enim Domini contempſit* 370
16 22 *Fortiſſime Deus ſpirituum vniuerſæ carnis* 333
41 *Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Iſrael &c.* 373
20 2 *Conuenerunt aduerſum Moyſen & Aaron: & verſi in ſeditionem, dixerunt* ibidem
27 16 *Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui &c.* 333

Ex Deuteronomio.

4 15 *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die qua locutus eſt &c.* 140
24 *Quia Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt* 214
5 28 *Audiui vocem verborum populi huius quæ locuti ſunt tibi: bene omnia &c.* 69
6 5 *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* 109.176.252
7 26 *Quaſi ſpurcitiam deteſtaberis, & velut inquinamentum &c.* 122
8 10 *Vt cum comederis & ſatiatus fueris benedicas Domino Deo tuo* 228
11 12 *Quam Dominus Deus tuus ſemper inuiſit &c.* 377
12 1 *Hæc ſunt præcepta atque iudicia, quæ facere debetis &c.* 309
32 *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino* 134
17 18 *Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi &c.* 175
18 22 *Per tumorem animi ſui propheta confinxit, & idcirco non timebis eum* 225

19 18 *Cum-*

19 18 *Cumque diligentiſſimè perſcrutantes, inuenerint falſum &c.* 81.298
19 *Reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit* 75.321
26 18 *Et Dominus elegit te hodie vt ſis ei populus peculiaris &c.* 250
27 26 *Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis huius &c.* 134
28 1 *Si autem audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque &c.* 338
30 11 *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt &c.* 237 308
14 *Sed iuxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* 237. 308
32 1 *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Concreſcat &c.* 169
37 *Vbi ſunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam?* 358

Ex Iosve.

2 9 *Noui quòd Dominus tradiderit vobis Terram: etenim irruit in nos &c.* 248
19 *Sanguis ipſius erit in caput eius* 47
4 3 *In loco caſtrorum, vbi fixeritis hac nocte tentoria* 276
5 14 *Noſter es, an aduerſariorum?* 138
7 9 *Et quid facies magno nomini tuo?* 222
19 *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere, atque &c.* 331
9 13 *Veſtes & calceamenta quibus induimur, trita ſunt, & penè conſumpta* 391
10 12 *Sol contra Gabaon ne mouearis* 370
14 12 *Da ergo mihi montem iſtum, quem pollicitus eſt Dominus &c.* 375

Ex libro Ivdicvm.

1 10 *Pergenſque Iudas contra Chananæum, qui habitabat in Hebron &c.* 375
6 26 *Et ædificabis altare Domino Deo tuo in ſummitate petræ huius &c.* 303

Ex primo Regvm.

2 3 *Recedant vetera de ore veſtro, quia Deus ſcientiarum eſt* 370
8 *Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem &c.* 331
6 5 *Iuxta numerum prouinciarum Philiſthinorum quinque anos &c.* 248
10 9 *Immutauit ei Deus cor aliud* 391
13 14 *Sed nequaquam regnum tuum vltrà conſurget &c.* 88
14 9 *Manete donec veniamus ad vos* 370
27 *Porrò Ionathas non audierat cum adiuraret pater eius populum &c.* 102
16 7 *Nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor* 107.288
20 3 *Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantùm (vt ita dicam) gradu &c.* 317
21 1 *Venit autem Dauid in Nobe ad Achimelech ſacerdotem &c.* 306
22 9 *Vidi, inquit, filium Iſai in Nobe apud Achimelech filium Achitob &c.* 307
23 25 *Iuit ergo Saul & ſocij eius ad quærendum eum: & nunciatum eſt Dauid &c.* 376
25 10 *Quis eſt Dauid? & quis eſt filius Iſai? hodie increuerunt ſerui &c.* 155, 366. 370
26 19 *Si Dominus incitat te aduerſum me, odoretur ſacrificium &c.* 309.310.376
20 *Et nunc non effundatur ſanguis meus in terram coram Domino &c.* 307
27 1 *Et ait Dauid in corde ſuo: Aliquando incidã vna die in manus Saul &c.* 376
30 1 *Cumque veniſſent Dauid & viri eius in Siceleg die tertia &c.* 373

Ex

Ex secvndo Regvm.

2 3 *Sed & viros, qui erant cum eo, duxit Dauid, ſingulos cum domo ſua &c.* 375
5 7 *Cepit autem Dauid arcem Sion* 360
12 2 *Diues habebat oues & boues plurimos valde : pauper autem nihil habebat &c.* 242
22 37 *Dilatabis greſſus meos ſubtus me : & non deficient tali mei* 287
23 14 *Et Dauid erat in præſidio* 360

Ex tertio Regvm.

3 6 *Et dediſti ei filium ſedentem ſuper thronum eius, ſicut eſt hodie* 9
10 1 *Regina Saba, audita fama Salomonis, venit tentare eum in ænigmatibus* 289
4 *Videns autem regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domũ &c.* [illegible]74
18 36 *Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſraël, oſtẽde hodie quia tu es &c.* 281
22 17 *Quaſi oues non habentes paſtorem* 236

Ex qvarto Regvm.

4 38 *Pone ollam grandem, & coque pulmentum* 216

Ex libro Iob.

1 1 *Et erat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum* 223. 286
2 3 *Et recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam ſuam* 286
6 15 *Fratres mei præterierunt me, ſicut torrens qui raptim tranſit* 264
8 20 *Deus non proyciet ſimplicem, nec porriget manum malignis* 286. 287
11 11 *Ipſe enim nouit hominum vanitatem* 292
14 5 *Breues dies hominis ſunt* 243
14 *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea* 380
24 8 *Quos imbres montium rigant, & non habentes velamen, amplexantur lapides* 358
25 4 *Numquid iuſtificari poteſt homo comparatus Deo, aut apparere &c.* 285. 385
28 16 *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonycho &c.* 178
29 11 *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat &c.* 377
31 32 *Foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit* 276

Ex Psalmis.

1 3 *Omnia quæcumque faciet, proſperabuntur* 108
6 *Nouit Dominus viam iuſtorum : & iter impiorum peribit* 312
2 2 *Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus &c.* 198
5 *Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos* 198. 352
8 *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam &c.* 124. 305
12 *Nequando iraſcatur Dominus, & pereatis* 317
3 4 *Tu autem Domine ſuſceptor meus* 324
4 4 *Scitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum* 374
5 5 *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es : neque habitabit &c.* 287
13 *Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum &c* 263. 264

7 10 Scrutans corda & renes Deus 288.289
13 Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit &c. 149
8 4 Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunã & ſtellas &c. 168
9 3 Lætabor & exultabo in te 263
10 Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione 34.186.319
13 Non eſt oblitus clamorem pauperum 316
10 14 Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adiutor 80.278
8 Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius 388
13 2 Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum &c. ibid.
15 5 Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei 91
8 Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam &c. 218
16 2 Oculi tui videant æquitates 388
17 37 Dilataſti greſſus meos ſubtus me: & non ſunt infirmata veſtigia mea 287
42 Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret, ad Dominum 319
18 8 Lex Domini immaculata conuertens animas 239
21 5 In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt, & liberaſti eos &c. 146
25 5 Odiui Eccleſiam malignantium 299
28 9 Et in templo eius omnes dicent gloriam 331
31 6 Verumtamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt &c. 153
33 16 Oculi Domini ſuper iuſtos 398
20 Multæ tribulationes iuſtorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus 357
34 18 Confitebor tibi in eccleſia magna 299
36 25 Iunior fui, etenim ſenui; & non vidi iuſtum derelictum 45
35 Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani &c. 341
39 2 Expectans expectaui Dominum 282
7 Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi &c. 124
13 Circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus 146
43 23 Exurge, quare obdormis Domine 69
45 1 Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis 18.365
48 6 Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me 179
49 20 Sedens aduerſum fratrem tuum loquebaris &c. 2
23 Sacrificium laudis honorificabit me 34
50 6 Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: vt iuſtificeris &c. 394
7 Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis &c. 385.386
9 Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lauabis me &c. 181
10 Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt oſſa &c. 182
53 1 Deus in nomine tuo ſaluum me fac: & in virtute tua libera me 183
61 5 Cucurri in ſiti: ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant 288
67 1 Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius 69
67 27 In eccleſiis benedicite Deo Domino, de fontibus Iſrael 299
68 27 Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt: & ſuper dolorem &c. 36
70 12 In auxilium meum reſpice 219
74 6 Nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem 370
9 Quia calix in manu Domini vini meri plenus miſto. & inclinauit ex hoc in hoc 91
75 1 Notus in Iudæa Deus: in Iſraël magnum nomen eius 49.251.376
77 36 Et dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua mentiti ſunt ei. Cor autem &c. 288
79 2 Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare coram Ephraim &c. 150.319
81 6 Ego dixi: Dij eſtis, & filij excelſi omnes 89

83 5 *Beati, qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te &c.* 343
88 16 *Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam* 103
21 *Inueni Dauid ſeruum meum: oleo ſancto meo meo vnxi eum* 17
48 *Numquid vanè conſtituiſti omnes filios hominum?* 56
93 4 *Effabuntur, & loquentur iniquitatem: loquentur omnes &c.* 370
11 *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt* 8
94 8 *Hodie ſi vocem eius audieritis* 9
98 4 *Tu paraſti directiones: iuſtitiam & iudicium in Iacob tu feciſti* 63
103 4 *Qui facis angelos tuos, ſpiritus: & miniſtros tuos ignem vrentem* 151
18 *Petra refugium herinaceis* 110 145
22 *Ortus eſt ſol, & congregati ſunt: & in cubilibus ſuis collocabuntur &c.* 267
30 *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ &c.* 336
34 *Iucundum ſit ei eloquium meum* 183
104 14 *Non reliquit hominem nocere eis: & corripuit pro eis reges &c.* 275
106 25 *Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ: & exaltati ſunt fluctus eius* 339
26 *Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos &c.* ibid.
112 5 *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat &c.* 83.225.364
113 1 *In exitu Iſraël de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro* 205.223
1 *Non nobis Domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam.* 250
8 *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis* 287
16 *Cælum cæli Domino; terram autem dedit filiis hominum* 249
17 *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt &c.* 314
115 13 *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo* 123
118 4 *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis* 3.240
6 *Tunc non confundar, cùm perſpexero in omnibus mandatis tuis* 299
29 *Viam iniquitatis amoue à me* 182
32 *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum* ibid.
35 *Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum: quia ipſam volui* 239
45 *Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquiſiui* 299
49 *Memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti* 268
85 *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: ſed non vt lex tua* 236
131 13 *Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem ſibi* 186
138 2 *Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam* 5
7 *Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? &c.* 72
144 9 *Suauis Dominus vniuerſis: & miſerationes eius ſuper omnia opera eius* 268
145 7 *Facit iudicium iniuriam patientibus* 24
146 4 *Qui numerat multitudinem ſtellarum: & omnibus eis nomina vocat* 334
148 1 *Laudate Dominum de cælis: laudate eum in excelſis &c.* 222
150 6 *Omnis ſpiritus laudet Dominum* ibid.

Ex Proverbiis.

1 26 *Ego quoque in interitu veſtro ridebo* 8
2 16 *Vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit ſermones ſuos* 29
3 11 *Diſciplinam Domini, fili mi, ne abiicias &c.* 241
6 19 *Proferentem mendacia teſtem fallacem* 313
10 4 *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa* 389
29 *Fortitudo ſimplicis via Domini* 325
11 20 *Abominabile Domino cor prauum: & voluntas eius in iis qui &c.* 156

13 12 *Spes quæ differtur, affligit animam: lignum vitæ &c.* 320
14 5 *Profert autem mendacium doloſus teſtis* 313
26 *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis eius erit ſpes* 358
16 21 *Qui ſapiens eſt corde, appellabitur prudens* 181.400
17 23 *Munera de ſinu impius accipit, vt peruertat ſemitas iudicij* 298
18 10 *Turris fortiſſima, nomen Domini: ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur* 325
18 *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque diiudicat* 81
23 *Cum obſecrationibus loquetur pauper* 377
19 5 *Et qui mendacia loquitur, non effugiet* 313
21 1 *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor regis in manu Domini &c.* 191
14 *Munus abſconditum extinguit iras* 298
24 8 *Qui cogitat mala facere, ſtultus vocabitur* 297.298
9 *Cogitatio ſtulti peccatum eſt* 298
25 19 *Dens putridus, & pes laſſus, qui ſperat ſuper infideli in die anguſtiæ* 287
30 13 *Generatio cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ eius in alta ſurrectæ* 157

Ex Eccleſiaſte.

1 2 *Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes: vanitas vanitatum &c.* 363
7 *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat &c.* 249
3 1 *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub cælo &c.* 368
5 1 *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum &c.* 8
7 *Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia &c.* 71.328

Ex Sapientia.

2 15 *Grauis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis &c.* 209
24 *Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* 219
11 22 *Multum enim valere, tibi ſoli ſupererat ſemper &c.* 269

Ex Eccleſiaſtico.

2 11 *Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt &c.* 264
14 *Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis, & manibus maleficientibus &c.* 264
19 *Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita ſunt ei &c.* 265
3 27 *Qui amat periculum, in illo peribit* 272
15 1 *Qui timet Deum, faciet bona: & qui continens eſt iuſtitiæ &c.* 176

Ex Iſaia.

1 1 *Viſio Iſaiæ* 306
15 *Cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis &c.* 294
21 *Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? &c.* 301
6 3 *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus ſanctus &c.* 332
8 6 *Pro eo quòd abiecit populus iſte aquas Siloë, quæ vadunt cum ſilentio &c.* 238
23 2 *Tacete qui habitatis in inſula* 370
28 13 *Et erit eis verbum Domini: Manda, remanda; expecta, reexpecta* 168
29 13 *Populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem eius &c.* 148
30 18 *Propterea expectat Dominus vt miſereatur veſtri* 319

31 3 *Equi eorum, caro, & non ſpiritus* 190
38 18 *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te &c.* 35
40 4 *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur &c.* 256
48 5 *Ne fortè diceres : Idola mea fecerunt hæc, & ſculptilia mea &c.* 122
53 2 *Non eſt ſpecies ei, neque decor : & vidimus eum, & non &c.* 208
55 10 *Quomodo deſcendit imber & nix de cælo, & illuc non reuertitur &c.* 290
63 3 *Torcular calcaui ſolus, & de Gentibus non eſt vir mecum* 212
64 4 *Oculus non vidit &c.* 382

Ex Ieremia.

3 21 *Vox in viis audita eſt, ploratus & vlulatus filiorum Iſraël* 377
8 19 *Ecce vox clamoris filiæ populi mei, de terra longinqua: Numquid &c.* 378
13 16 *Date Domino Deo veſtro gloriam antequam contenebreſcat, & antequam &c.* 161
51 56 *Quia venit ſuper eam, id eſt ſuper Babylonem, prædo, & &c.* 321

Ex Threnis.

2 15 *Sibilauerunt, & mouerunt caput ſuum ſuper filiam Ieruſalem* 209
5 15 *Verſus eſt in luctum chorus noſter* 391

Ex Ezechiele.

Caput primum 339
18 23 *Numquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus &c.* 350
34 2 *Væ paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos : nonne greges &c.* 236

Ex Daniele.

3 64 *Benedicite omnis imber & ros Domino : Benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.* 336

Ex Osea.

7 1 *Cùm ſanare vellem Iſraël, reuelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ* 392
13 9 *Perditio tua Iſraël : tantummodo in me auxilium tuum* 272

Ex Amos.

1 2 *Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam* 187
8 *Tenentem ſceptrum de Aſcalone* 123

Ex Iona.

1 7 *Et cecidit ſors ſuper Ionam* 123

Ex Habacvc.

2 3 *Si moram fecerit, expecta illum : quia veniens &c.* 290.314.380
3 1 *Pro ignorantiis* 38
2 *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis* 278

Ex Malachia.

1 6 *Filius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum: ſi ergo pater ego ſum &c.* 258

Ex Matthæo.

4 16 *Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & ſedentibus &c.* 241
5 4 *Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram* 276
34 *Non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei eſt &c.* 79
37 *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod his abundantius eſt, à malo eſt* 94
6 1 *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus &c.* 115
8 *Scit enim pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum* 194
7 15 *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium &c.* 133
16 *A fructibus eorum cognoſcetis eos* 88.379
16 *Numquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus?* 4
22 *Amen dico vobis non noui vos: diſcedite à me &c.* 25
10 22 *Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit* 114.197.264
30 *Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt* 368
11 28 *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis* 228
13 8 *Et dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum &c.* 108
15 8 *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè eſt à me* 107
19 17 *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata* 239
20 22 *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* 123
21 23 *Acceſſerunt ad eum docentem, principes ſacerdotum, & ſeniores populi, dicentes &c.* 157
23 37 *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina &c.* 312
24 24 *Vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi* 130
27 *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vſque in Occidentem* 153
26 39 *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte* 31.214
65 *Blaſphemauit: quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc &c.* 368
27 7 *Emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum* 318
18 *Sciebat enim quòd per inuidiam tradidiſſent eum* 219
35 *Poſtquam autem crucifixerunt eum, diuiſerunt veſtimenta eius &c.* 217

Ex Marco.

4 24 *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis* 380
8 35 *Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam &c.* 230
9 22 *Omnia poſſibilia ſunt credenti* 262
14 38 *Spiritus quidem promptus eſt, caro verò infirma* 127

Ex Lvca.

1 68 *Quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ* 54

Ex Ioanne.

1 1 *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum* 214
4 *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominũ: & lux in tenebris lucet* 194.265
10 *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus &c.* 207.259

13 *Neque ex voluntate carnis,neque ex voluntate viri,ſed ex Deo nati ſunt* 231
14 *Et verbum caro factum eſt,& habitauit in nobis &c.* 141.213
16 *De plenitudine eius nos omnes accepimus,& gratiam pro gratia* 220
3 8 *Spiritus vbi vult ſpirat: & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat &c.* 151.336.337
4 24 *Spiritus eſt Deus* 336
34 *Vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius* 9
52 *Interrogabat ergo horam ab eis,in qua melius habuerit. & dixerunt &c.* 73
5 6 *Vis ſanus fieri* 392
17 *Pater meus vſque modò operatur,& ego operor* 57
30 *Non poſſum ego à me ipſo facere quidquam. Sicut audio, iudico &c.* 9
31 *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo,teſtimonium meum non eſt verũ &c.* 18
39 *Scrutamini Scripturas,quia vos putatis in ipſis vitã æternam habere &c.* 178
6 27 *Cibum qui permanet in vitam æternam,quem filius hominis dabit vobis* 228
8 34 *Qui facit peccatum,ſeruus eſt peccati: ſeruus autem non manet in domo &c.* 179.180
46 *Quis ex vobis arguet me de peccato?* 188
9 21 *Ipſe de ſe loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos &c.* 366
10 1 *Qui non intrat per oſtium in ouile ouiũ,ſed aſcẽdit aliunde,ille fur eſt &c.* 242
7 *Ego ſum oſtium ouiũ Omnes quotquot venerũt,fures ſunt & latrones &c.* 398
28 *Et non rapiet eas quiſquam de manu mea* 325
30 *Ego & Pater vnum ſumus* 202
38 *Et credatis quia Pater in me eſt,& ego in Patre* 120
11 9 *Nónne duodecim ſunt horæ diei? Siquis ambulauerit in die &c.* 267.303
25 *Ego ſum reſurrectio & vita* 128
39 *Iam fœtet, quatriduanus eſt enim* ibid.
42 *Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me. ego autem ſciebam &c.* 281
15 13 *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat &c.* 127
25 *Quia odio habuerunt me gratis* 280
17 1 *Pater venit hora, clarifica filium tuum,vt filius tuus clarificet te &c.* 227
19 41 *Erat autem in loco,vbi crucifixus eſt,hortus; & in horto monumẽtum &c.* 129
21 17 *Paſce oues meas* 236

Ex Actibus.

2 1 *Et cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter &c.* 337
24 *Solutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo* 128
33 *Dextera igitur Dei exaltatus,& promiſſione Spiritus ſancti accepta &c.* 227
36 *Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſraël, quia & Dominum eum & Chriſtum,&c.* 9.228
41 *Qui ergo receperunt ſermonem eius, baptiZati ſunt: & appoſitæ ſunt &c.* 227
46 *Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo &c.* 228
3 26 *Vobis primùm Deus ſuſcitãs filium ſuũ,miſit eum benedicentẽ vobis &c.* 325
4 12 *Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos &c.* 122
27 *Conuenerunt verè in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerũ tuum Ieſum &c.* 7
5 38 *Et nunc dico vobis,diſcedite ab hominibus iſtis,& ſinite illos: quoniam &c.* 19
14 14 *Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, annunciantes vobis &c.* 229
16 *Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit,benefaciẽs de cælo &c.* 166

Ex epiſtola ad Romanos.

1 21 *Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt &c.* 172
3 24 *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto &c.* 358
4 4 *Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam &c.* 389
6 *Sicut Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iuſtitiam &c.* 383
5 4 *Spes autem non confundit* 206.263
7 5 *Cùm enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum quæ per legem erant &c.* 257
14 *Scimus enim quia lex ſpiritualis eſt* 239
24 *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* 183
8 1 *Nihil ergo damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Ieſu &c.* 387
14 *Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei* 398
18 *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam &c.* 127
9 16 *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei* 399
10 2 *Quòd æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam* 266
5 *Iuſtitiam qui fecerit homo, viuet in ea* 178
18 *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* 170
11 32 *Concluſit Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur* 110
35 *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* 194
13 4 *Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. ſi autem malum feceris, time &c.* 72

Ex prima ad Corinthios.

1 29 *Vt non glorietur omnis caro* 213
2 6 *Sapientiam loquimur inter perfectos: ſapientiam verò &c.* 259
14 *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei &c.* 336
8 1 *Scientia inflat. Siquis ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognouit &c.* 266
9 10 *Quoniam debet in ſpe, qui arat, arare* 263
10 13 *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis &c.* 101
20 *Quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo &c.* 122
12 31 *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro* 274
13 10 *Cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* 308

Ex secunda.

2 14 *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem &c.* 10.230
3 5 *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis &c.* 398
18 *Nos verò omnes, reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem &c.* 296
4 4 *In quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium &c.* 199
5 19 *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi* 207.211
21 *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit* 225
6 15 *Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial?* 9
11 6 *Nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia* 266

Ex

Ex epiſtola ad Galatas.

2 20 *Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus* 398
3 9 *Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham* 254
10 *Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt &c.* 179
4 28 *Nos autem fratres ſecundùm Iſaac promiſſionis filij ſumus. Sed quomodo &c.* 179. 397

Ex epiſtola ad Epheſios.

3 9 *Quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo* 381
4 10 *Et deſcendit primùm in inferiores partes terræ* 127
4 14 *Circumferamur omni vento doctrinæ* 5
17 *Vt iam non ambuletis, ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui &c.* 239

Ex ep. ad Philippenſes.

2 6 *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo &c.* 120
9 *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen &c.* 196
13 *Deus eſt enim, qui operatur in vobis velle & perficere &c.* 351
3 20 *Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt: vnde etiam Saluatorem expectamus &c.* 261

Ex ep. ad Coloſſenſes.

1 26 *Myſterium quod abſconditum fuit à ſæculis & generationibus &c.* 277. 381
2 14 *Quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci &c.* 387

Ex ſecunda ad Theſſalonicenſes.

2 11 *Vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati* 199

Ex ſecunda ad Timotheum.

2 5 *Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit* 194
19 *Cognouit Dominus qui ſunt eius* 5
3 7 *Semper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes* 399

Ex ep. ad Titum.

2 13 *Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei* 380

Ex ep. ad Hebræos.

1 3 *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius &c.* 141
14 *In miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem capient ſalutis* 55
2 5 *Non enim Angelis ſubiecit Deus orbem terræ futurum &c.* 57
3 6 *Et gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus* 201
4 15 *Tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato* 259
5 7 *Exauditus eſt pro ſua reuerentia* 226. 362
6 7 *Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem &c.* 108
7 19 *Nihil enim ad perfectum adduxit lex* 239

11 32 *Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac &c.* 158
12 28 *Itaque regnum immobile ſuſcipientes, habemus gratiam: per quam ſeruiamus placentes Deo, cum metu & reuerentia. Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt* 214.225
13 8 *Ieſus Chriſtus heri & hodie: ipſe & in ſæcula* 9

Ex ep. Iacobi.

1 17 *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt &c.* 250
27 *Et immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo* 294
2 18 *Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus. & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam* 72
5 4 *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat &c.* 148

Ex prima Petri.

1 6 *In quo exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus &c.* 110
11 *Scrutantes in quod vel quale tēpus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti &c.* 114
15 *Sed ſecundùm eum, qui vocauit vos, ſanctum: & ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis.* 387
24 *Quia omnis caro vt fœnum* 213
2 24 *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum &c.* 398
3 18 *Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis &c.* 396
4 2 *Vt iam nō deſideriis hominum quod reliquum eſt in carne viuat temporis* 387
5 6 *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam* 36

Ex secunda Petri.

1 14 *Certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei &c.* 171
3 9 *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire &c.* 46

Ex prima Ioannis.

1 8 *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus &c.* 396
10 *Mendacem facimus eum, & verbum eius in nobis non eſt* 388
2 16 *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt &c.* 25.180
3 19 *In hoc cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus; & in conſpectu eius &c.* 387.388
4 10 *Non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos* 290
18 *Perfecta charitas foras mittit timorem.* 176

Ex ep. Ivdæ.

1 19 *Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes &c.* 337

Ex Apocalypsi.

3 12 *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei &c.* 252
21 1 *Et vidi cælum nouum, & terram nouam* 276
4 *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum &c.* 71
22 14 *Beati, qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine Agni: vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ &c.* 296

INDEX EORVM QVÆ IN HIS COMMENTARIIS DOCENTVR.

ABrahami peregrinatio. pag. 48
Acroſticha. 262
Actionum humanarum examen. 44
Adam. 108.387
Adami filiorum turba qualis. 107
Adinuentiones. 321
Adoptionis promiſſum. 400
Adoratio Deo debita. 332
Aduocati propriè qui dicti. 282
Aduocati apud Deum qui. ibidem
Ægrimoniæ remedium vnicum. 100
Ægrotantis partes. 265
Ægrotantium anxietas & vota. 279
Æquinoctia & ſolſtitia. 171
Ærumna ruſticum vocabulum. 391
Alienæ mentis iudicium. 133
Allocutio diuina. 337
Ambitio. 96.181
Ambitionis artes. 96
Ambulare. 114
Amicitia vulgaris. 366
Amor & odium curæ comites. 73
Amoris diuini victoria. 214
Amoris duplex affectio. 144
Angeli. 55
Angeli in Ægypto percutientis myſterium. 219
Anguſtiarum ſummus gradus. 364
Anima. 76.253.313.349.362
Animæ definitio Platonica. 125
Animæ munia valetudinem indicant. 33
Anima pro vita. 127
Animas conuertere quid. 173
Animalis homo. 336
Animantes dijs dicatæ. 149
Animus. 33.76.336.362
Animus in corde. 93
Animi deliquium. 102
Animi humani partes. 193
Animi lucerna. 158
Animi officia. 125
Animi portiones. 76
Animi puritas. 252
Animi vis duplex. 33
Annonæ materia. 20
Antichriſtus. 8
Antilibanus. 341
Antiquum obtinere. 267
Appetitus pugna & artes. 180
Aqua. 3
Aquæ duplices. 336
Aquæ pecori ſalubres & inſalubres. 237
Aquarum genera ſumma. 215
Aquilo ventus. 371
Arbor bona. 3
Arbor ſterilis nulla probatur. ibidem
Arborum bonarum fructus. 4
Architectura. 44
Architecturæ ſcopus. 50
Argenti purgatio. 98
Aſylum. 121
Athei hominis ratio & oratio. 78
Athei quales. 106
Atheorum conſilia & mens. 321
Auaritia. 117
Aulæ vitia. 25
Aura. 336
Aurum Ophir. 177
Aurum purum putum. ibidem
Auri nobilitas & nomina. ibidem
Auxilij diuini opportunitas. 74
Auxilium Dei accelerantia. 516

B.

BAbylon. 110
Beatitas humana. 387
Beatitas vera. 105
Beatitudo quibus contingat. 2.388
Beatitudinis partes. 389
Bella gerentium turba duplex. 300
Belli hominibus aduerſus euangelium ſuſcepti cauſſa. 7
Bellorum cauſſæ. 300
Bellorum gerendorum ratio. 184
Benedicere. 125
Benedictio. 254
Benedictio Abrahæ promiſſa. ibidem
Benedictus Dominus, formula. 374
Beneficentia. 252
Blaſphemia in Spiritum ſanctum. 210
Boni nihil non acceptum habemus. 193
Bona vera. 104.194
Bonitas. 24
Bonitas diuina. 269
Bonorum fines. 104

C.

Cades deſertum. 342
Calix. 123
Calices. 91
Calumniatores. 293
Cantandi plures formæ. 60
Capio verbi etymologia. 389
Caput mouere. 208
Carminum & inſtrumentorum muſicorum genera. 32
Caro. 127
Caſtigationis modus. 33
Catonis dictum. 235
Cauſſa cadere. 15
Cauſſa finis ſeu propoſitum. 321
Cedo verbum. 330
Cedri Libani. 341
Ceruæ tonitruum pauore abortiunt. 342
Cherubim angelicus ordo. 150
Cherubim propitiatorio impoſita maris ac fæminæ forma. ibidem
Cherubim ſignificatio. ibidem
Chriſtus ab omnibus rebus præter homines exceptus. 207
Chriſtus bis clarificatus. 9
Chriſtus Deo ſacratus. 210
Chriſtus Eccleſiæ intereſt. 222
Chriſtus formam ſerui accepit. 120
Chriſtus in corde terræ. 204.211
Chriſtus omnium ferè Pſalmorum ſcopus. 195
Chriſtus omnibus ſuis partibus Deo dicatus. 126
Chriſtus paſtor vigilantiſſimus. 398
Chriſtus Patris gloriæ procurator. 221
Chriſtus vt dicatur derelictus. 203
Chriſti agonia. 202.212
Chriſti amor. 214
Chriſti anima cur dicta vnica. 220
Chriſti caro. 127
Chriſti carnis puritas. 203
Chriſti certamen & victoria. 126
Chriſti conceptionis ſingularitas. 210
Chriſti corpus & ſpiritus in paſſione. 215
Chriſti expectatio. 256
Chriſti ex reſurrectione vita. 128
Chriſti humiliatio. 207.225
Chriſti humiliatio & exaltatio. 203
Chriſti infantia & virginis lac. 210
Chriſti in omnes gentes auctoritas. 9
Chriſti in paſſione certamen. 213
Chriſti ius ſiue mandatum. 9
Chriſti obedientia. 114.214
Chriſti paſſionum ſpectatores. 218
Chriſti regnum. 8
Chriſti tentationes poſtremæ. 213
Chriſti veſtium myſterium. 218
Chriſti veſtium ſortitio. 217
Chriſti victoria omnibus gentibus ſalutaris. 256
Chriſti vota. 227
Chriſto commortui. 230
ſub Chriſto ouium ſecuritas. 398
ad Ciuilia munia qui optandi. 291
Clamor. 65
Cæli. 167
Cæli ſummum. 172
de Cælo proſpicere. 107
Cælorum diuiſio. 167
Cælorum & naturæ vniuerſæ doctrinæ ratio. 168
in Cælis habitare. 8
Cognoſcere. 5
Cognoſcere Deus vt dicatur. 364
Columna. 252
Concupiſcentia carnis. 25
Concupiſcentiæ vetitum. 179
Concupiſcentia oculorum. 25
Confeſſio. 196.394
Confeſſio peccatorum. ibidem
Confeſſionum cauſſæ. 331
Confuſio. 369
Conſcientiæ accuſatio. 391
Conſcientiæ admonitio. 240
Conſcientiæ cruciatus. 91
Conſilium. 188
Conſilium actionum fundamentum. 125
Conſilij inopia. 101
Conſilia in corde. 288
Conſiliorum examen. 288
Conſiliorum vanitas. 362
Cor. 45.127
Cor duplex. 95
Cor & renes in ſacrificiis. 126
Cor pars princeps in corpore. 188
Cornu. 145
Corpus peccati. 183
Corpus peccati triceps. 267
Corporis & ſanguinis Domini ſacramentum. 242
Corpori eidem rarò inſunt robur & decor. 340
Crucis claui. 217
Crucis victoria. 201
Crudelitas extrema. 217
Culpa. 270
Cultus externi locus & vtilitas. 308
Cuniculus. 306

Dare

D.

DAre pro concedere. 51
David Chriſti typus. 362
Dauidis anguſtiæ. 376
Dauidis diſcrimina. 317
Dauidis fides. 370
Dauidis perſona veri & æqui ſuſtinet partes. 142
Dauidis rerum hiſtoriæ vtilitas. 184
Dauidis vtriuſque afflictio. 366
DE præpoſitio. 186
Decalogi præceptorum lux & puritas. 175
Decor. 196
Delicta. 180
Denuntiatio & adhortatio. 6
Detractores & garruli. 2.115
Dextera. 197
à Dextris eſſe. 126
DEVS. 247
Deus altiſſimus. 197
Deus amplis naribus. 350
Deus exercituum. 250
Deus immotus vbique locorũ preſens. 150
Deus in cælis. 50
Deus locus dictus. 252
Deus multus miſericordiæ. 273
Deus notus in Iudæa. 376
Deus paſtor ſummus. 234
Deus pauperum vindex. 83
Deus quibus ignoſcat. 261
Deus quibus notus. 49
Deus ſanctus. 205
Deus vbique. 72
Deus vnus. 245
Deus vt ſe gerat erga homines. 155
Dei amor 378
Dei amor in hominibus requiſitus. 109
Dei auris inclinatio. 359
Dei auxilium in aduerſis. 186
Dei conſilia. 150
Dei cultus. 34
Dei cum miſericordia integritas. 90
Dei curſus. 150
Dei dona quibus contingant. 196
Dei erga hominem cura. 53
Dei erga Iſraelem prouidentia. 205
Dei erga probos & improbos qualis cura. 319
Dei erga ſanctos ſingularis cura. 325
Dei exercitus. 153
Dei familiarior cura. 242
Dei imago. 140
Dei in homines beneficia. 183
Dei inuiſibilitas à prophetis deſcripta. 150
Dei iudicium. 207.285.379
Dei laus. 34
Dei laudes. 222
Dei lenitas. 332
Dei miſericordia & iudicium. 64
Dei nomen. 221.240.332
Dei nomẽ ad ſalutem quibus agnitum. 246
Dei nomina. 247
Dei notitia. 166
Dei notitiæ & cultus gradus tres. 212
Dei oculi. 89
Dei opportunum ſubſidium. 34
Dei patientia. 69
Dei potentia. 262.332
Dei propoſitum de ſalute hominum. 325
Dei prouidentia. 71
Dei quies & maieſtas. 343
Dei quieti dicatus locus. 296
Dei regnum. 88
Dei riſus. 8
Dei ſedes. 308
Dei ſolium. 89
Dei ſpiritus. 335
Dei ſtudia. 65
Dei templum. 88.148
Dei tribunal. 24.63
Dei veritas ac fides. 254
Dei via. 312
Dei viſcera. 268.
Dei vox. 337
Dei vox terribilis & lenis. 340
Dei vocis lenitas. 344
Dei vocis vis. 339
Dei vocis vis & decor. 340
Dei vultus. 69
Deo inuiſos credit vulgus eos quibus res ſunt minùs proſperæ. 370
Deum nihil latere poteſt. 289
Deum querentes 64
à Deo & in Deum omnia. 197
de Deo & prouidentia opiniones. 48
ex Deo nati. 231
Deorum filij. 329
de Deorum inuiſibili preſentia Homerica comparatio 150
Diabolus canis dictus. 219
Dies. 186
Dies veri. 195
Digitorum vſus. 52
Diluuij cauſſa. 153
Diluuij exemplum. 343
Diræ. 79
Directiones Dei. 63
Diſciplinæ olim verſibus traditæ. 169
Ditiorum filij quales. 139
Diuina caſtigatio. 241
Diuinitatis ſumma ratio. 159

Diuites Deo cari habentur. 138
Diuitiæ. 194
Diuitiæ ſanctis apud Deum repoſitæ. 371
Doctrinæ diuinæ commoda. 239
Dolus. 389
Doloſus. 26
Dominus cor maximè intuetur, homines opera primùm. 253
Domus Aaron. 223
Domus Iſrael. ibidem
Domus ſeculorum. 113
Donum ſpiritus ſancti. 227

E.

Ecclesia. 299
Ecclesia ex ſāctis & infirmioribus. 222
Eccleſia paſcuæ locus. 237
Eccleſia vetus. 246
Eccleſiæ per euangelium propagatio. 246
Eccleſiæ vota. 186
Epicureorum de prouidentia error. 106
Epiſcopi nomen. 398
Equus. 399
Errantiū correctio ex diuina bonitate. 271
Erratum. 384
Erubeſcere. 263
ET coniunctio. 39.307.343
ET illationis vice. 259.394
Euangelij ad legem præſtantia. 398
Euangelij effectus in iis qui ſalui fiunt, & in iis qui pereunt. 229
Euangelij pręſtantia. 177
Euangelij propagatio. 228
Exaudire. 185
Exodus expleta in Ieruſalem. 211
Expectatio diuini iudicij. 45
Externa ornamenta pietatis. 4

F.

Facies Dei. 20.309.372
Faciei diuinæ auerſio. 309
Facinus. 384
Fallere. 182
Faſcinatio. 372
Felicitas æterna quibus promiſſa. 276
Felicitas non niſi à Deo. 194
Felicitas vera. 140
Fides. 234.252
Fides ex diuina virtute. 262
Fidei laudes. 158
Fidei vis. 262
in Fide duę perſonæ. 234
Fidentia. 289
Fiducia. 127
in Figura omnia contigere patribus. 276
Filij. 107
Firmamentum. 167
Fiſcus regius. 111
Flagitium. 384
Fluminum vſus. 249
Fœderis ritus. 123
Feminina pro neutris. 305
Fortis. 171
Fortiter. ibidem
Fortitudo. 24
Fortitudinis partes. 144
Foſſa. 67
Fouea. 47
Fouea corruptionis. 129
Fraus & induſtria. 253
Fructum facere. 4
Frugi ſeruus. 121
Fulgura animos prouidentiam negantium maximè turbant. 151
Fulminum cauſſa. 342
Fulminum quę formæ. 90
Funes menſorij. 124
Furiarum apud poëtas ſignificatio. 181
Futuri ſignificatio. 250.264
Futuri ſignificatio apud Hebræos. 14

G.

Gemitus. 148
Gemmarum & auri præſtantia. 177
Generatio. 109.255
Gentes. 7
Gentium philoſophi. 104
Gentium vocatio. 228
Gloria. 167
Gloria gloria, vetus acclamatio. 343
Gloria & honor Deo debita. 331
Gloria Patri & Filio &c. 343
à Gloriæ communione excluſi. 296
Gratia. 266
Gubernationis humanæ partes. 72

H.

Habitare in puluere. 127
Hærere. 370
Hebræi quibus verborum coniugationis modis careant. 299
Hebron vrbs. 375
Heros. 145
Heroum nomen. 329
Hodie vox. 9
Holocauſta. 187
Homo angelis minor. 55
Homo mundi cauſſa. 54

Homi

Hominis amplificatio ex diuina viſitatione. 55
Hominis felicitas. 383
Hominis lapſus. 182
Hominis lapſus in tenebras. 384
Homini omnia animantia paruerunt & parent. 56
Hominum ad beatitatem conditio quæ optima. 92
Hominum generis diuiſio. 7
Hominum partitio ſumma. 379
Hominum paſtio. 236
Hominum proteruia. 69
Hominum virtus & officium. 320
Honos. 194
Hoſtiæ. 187
Hoſtiæ contactus. 294
Hoſtium vtriuſque Dauidis abolitio. 198
Humana doctrina. 239
Humana facultas. 185
Humana ſtultitia. 105
Humana terra. 108
Humanæ conditionis locus triplex. 382
Humanæ conſuetudinis partes. 93
Humani generis partitio. 327
Humani generis per ſecula cõditiones. 384
Humilitas. 66
Hypocriſis. 81
Hypocriſis rhinoceroti comparata. 220
Hypocritæ. 379

I.

Iacob. 223
Iacob à ſocero vexatus. 107
Iacobi curator Deus. 105
Iacobi imitatio & amplificatio omnibus gentibus propoſita. 255
Iacobi vota. 255
Idolorum inutilitas. 122
IEHVEH nomen. 332
IEHVEH nomen ineffabile apud Hebræos. 333
IEHVEH nomen non omnibus gentibus cognitum. 380
IEHVEH nomen quibus cognitum. 216
IESV CHRISTI hiſtoria. 164
Ignis. 133.215
Ignis efficacia ad probationem. 289
Ignis natura. 214
Ignis vis. 198
Ignorantia. 270
Ignorantiæ. 181
Illuſtris. 182
Impij. 2.5.3 9
Impietas. 5
Impiorum felicitas. 138
Impiorum pauor coruſcante ac tonante cælo. 339
Impotens. 146
Imprecatio. 79
Improbi. 2.5.74.90
Improbi quales. 5
Improborum claſſes. 379
Improborum de prouidentia impia ſententia. 82
Improborum inſolentia in vexandis pauperibus. 75
Improbitas. 5.320
Improbitas quantum probitati officiat. 373
Imputandi & imputationis ratio. 387
Infantes qualiter Deum laudent. 51
Infantium vox IAH. ibidem
Inferi. 349
Inferiores partes terræ. 127
Infernum. 34.68.127.147.349
Indigentia. 68
Inimicorum Chriſti duo genera. 216
Inimicorum Dauidis & Chriſti exitus. 304
Inimicorum Dauidis oratio. 154
Inimicorum irriſio in aduerſis. 35
Iniquitas. 25.90.109.270
Iniuria publica iudicium Dei maturat. 65
Iniuriæ genus duplex. 67
Iniuriæ vindicta. 321
Innocentia. 252
Innocentia & ſimplicitas Deo grata. 287
Innocentiæ vſus & fructus. 285
Inopes. 68
Inſtrumentorum muſicorum fides. 93
Intellectus. 76
Intelligens quis dicatur. 107
Interitus. 67
Inuidia diaboli. 219
Inuidia Iudæorum. 219
Inuidiæ remedium. 372
Inuocare nomen Domini. 109
Ira Dei. 149
Ira Dei igni comparata. 149
Iræ diuinæ breuitas. 349
Iſrael. 110.223
Iſrael terra Deo grata. 377
Iſraelis Dei hiſtoriæ ſumma ratio. 113
Iſraelis felicitas ex Deo. 323
Iſraelis nomen. 282
Iſraelis prefidium. 283
Iſraelitarum de Dei erga ſe gratia præſumptio. 250
Iſraelitarum error. 2 1
Iſraelitarum falſa iactatio. 250
Iſraeliticæ fidei exemplum. 185
Iter. 272

Iter

Iter & via. 266
Itineris opportunitas. 267
Iudex qualiter affectus eſſe debeat. 41
Iudicis probi cura. 75
Iudicium. 271
Iudicium diuinum. 5
Iudicium diuinum iniuriæ vindex. 67
Iudicium ex euentu peruerſiſſimum. 209
Iudicij & miſericordiæ imploratio. 131
Iudicij munus duplex. 63
In iudicio Dei partes. 607. 387
Iudicia. 176. 238
Iugum Chriſti. 8
Iurare. 79
Iuramentorum genus duplex. ibidem
Iurare per caput. ibidem
Iuriſiurandi formæ. 40
Iuſti. 5
Iuſtorum ex tribulatione lætitia. 357
Iuſtitia. 5. 63. 115
Iuſtitia diuina. 140
Iuſtitia & fides. 115
Iuſtitia humana. 390
Iuſtitia legalis. 140
Iuſtitiæ ſacrificium. 19
Iuſtificatio. 383

L.

LAbani in Dauidem odium & temeritas. 58
Labium doloſum. 95
Labium durum. ibidem
Labium ſimplex. ibidem
Labium pronunciationis inſtrumentũ. ibid.
Lacus. 349
Laudare. 125
Leo. 39. 220
Leo violentiæ ſymbolum. 220
Leuare animam. 262
Lex. 173
Lex diuina anguſta. 239
Lex diuina cui auro comparata. 177
Lex pædagogus ad Chriſtum. 178
Lex ſeruos Dei generat. ibidem
Lex via dicta ſiue ſemita & orbita. 239
exleges feris ſimiles. 399
Legis commodum alterum. 240
Legis diuinæ beneficium. 3. 236. 384
Legis diuinæ beneficium & officium. 392
Legis diuinæ cauſſa. 271
Legis diuinæ partitio. 173
Legis diuinæ pręſtantia. 172
Legis effecta. 175
Legis finis & ſucceſſus. 178
Legis impotentia. 179
Legis munera. 271
Legis vis. 179
Legis vtilitas. 240
Legem nemo facit ex illis qui ſub lege. 180
ſub Lege hominum conditio. 399
Libanus mons. 341
Lingua magniloqua. 96
Linguæ primęuæ vtilitas. 282
Linguæ vſus. 115
Litatio in ſacrificiis. 187
Locorum ſacrorum frequentatio. 296
Lucis & tenebrarum pugnantia. 383
Lugentium habitus. 354
Lupus. 39
Luxationis cauſſæ. 215

M.

MAchabæorum vexillum. 189
Maior propoſitio ſępe omittitur. 287
Malefactores. 293
Malelucratores. 298
Malepatratores. 297
Malum. 25
Mandata ſiue iuſtitiæ. 174
Manus. 197. 220. 362
Manuum lotio ante ſacrificium. 294
Meminiſſe. 268
Memoria duplex. 62
Mendacium loqui. 26
Mentis ſedes cor. 126
Metuere. 224
Miniſtri paſſionis Chriſti qui ac quales. 216
Mira virtutis diuinæ erga fideles exempla. 262
Miſerationes Dei. 268
Miſericordia. 103
Miſericordia Dei. 267
Miſericordia & veritas. 115
Miſericordia vt dicatur virtutes diuinas præcedere. 268
Miſericordiam mirificare. 374
Montani iuuenis morbus. 99
Morbus non celandus apud medicum. 392
Morborum cauſſæ. 31
Mortificatio philoſophica. 390
Morti proximis qualis ſudor. 215
Mortui corporis conditiones. 353
Mortuorum recordatio & deſiderium. 357
Multi vox. 19
Mulus. 399
Mundi improbitas. 129
Munera. 187

N.

NAres. 154
Naſus. 77. 350
Natura ſub Deo. 149

Natu-

Naturæ conſideratio. 72
Naua. 236
Negare. 84
NEMEN Cymbricum vocabulum. 334
Nequam. 146
Nequities. ibidem
Noahhi iuſtitia. 395
Nocentes. 297
Nomen. 333
SEM hoc eſt NOMEN pro IEHVEH. 333
Nominis definitio. 334
Noui fœderis myſterium. 345
Noui fœderis Sancti. 141
Noui teſtamenti Sancti, fratres Chriſti dicti. 222
Nox. 383
Numinis in terram deſcendentis maieſtas poëticè deſcripta. 148
NVNC, vox. 10

O.

OBſcurus. 182
Obſequium. 234.252
Occulta. 182
Octaua. 93
Oculi & ſupercilia ſuperborum. 157
Odium duplex. 280
Odium gratis. ibidem
Odium iniurioſum. ibidem
Officij humani ſumma. 115
Officij integritas nō ſuperbè allegata. 155
Oliua. 4
Opera Dei. 167
Operantes iniquitatem. 320
Operarij iniquitatis. 25.36
Opitulationis opportunitas. 323
Opus. 168.320
Orantes quid appellare & allegare ſoleant. 281
Orantium habitus. 294
Orationis partes. 22
Orbis. 248
Orbita. 134
Ortelij laus. 244
Ortelij theatrum geographicum. ibidem
Oſſa dinumerare. 217
Oſſium compago. 215
Otij mala. 291

P.

PAcificum ſacrificium. 19
Pacti conditiones. 240
Palatium. 319
Palpebrarum vſus. 89
Paſcuorum prouiſio. 235
Paſſer. 87
Paſtoralis cura, politicę gubernationis imago. 234
Paſtoris boni partes. ibidem
Paſtoris pedum ac virga. 241
Patrum veterum votum. 182
Pauor. 225
Pauperes. 68.75.80
Pauperum tutor Deus. 278
Pauperes ſpiritu. 228
Peccatores. 2
Peccatorum hominum claſſes tres. ibid.
Peccatum. 270
Peccatum generis. 385
Peccatum perſonæ. ibid.
Peccati deformitas. 395
Peccati generis expiatio. 386
Peccato generis nemo immunis. 396
pro Peccato ſacrificium. 19
Peccata à Chriſto ſuſcepta. 214
Peccatorum genera duo. 216
Perditio vnde. 272
Perfectus. 286
Perſonarum tria capita in iudicio diuino. 90
Pertinaciæ pœna. 161
Peruerſitatis & contumaciæ exitium. 322
Peruerſorum genera duo. 320
Philoſophica gentium doctrina. 174
Pietas veterum. 395
Pietatis doctrinæ ſumma. 284
Pietati veræ grauiſſimum telum. 210
Pij hominis mores & mens. 294
Piorum clamor. 29
Piorum commune votum. 395
Piorum querimoniæ & preces ad Deum. 317
Piorum vitæ exercitatio. 131
Piorum votum, vita æterna. 194
Plebs Domini. 109
à Plurali ad ſingularem tranſitio. 230
Pœnarum humanarum quis Deo vſus. 35
Pœnitentia. 393
Poëtarum artificium. 246
Populi. 7
Portæ. 66
Portæ inferi. ibidem
Portæ mortis. ibidem
Poſſeſſiua pro adiectiuis. 240.257
Potentiores ELIM dicti. 328
Potentiorum factio. 327
Potentiorum inſana ratio de Dei potentia. 334
Potentiorum inſana ſuperbia. 329

à Potentioribus oppreſſi quæ pati ſoleant. 366
Poteſtas omnis à Deo. 89.329
Præceptum. 175
Præmium. 320.321
Prauitas. 156
Principes in caſtigatione quales. 32
Principis ac iudicis auctoritas. 359
Principum aulæ. 27
Principum gratia. ibidem
Probus. 89
Probi viri partes. 253
Probi aliqui nimia miſericordia notantur. 90
Probi omnes in Dei tutela. 45
Proborum & improborum vitæ exitus. 197
Proborum & ſimulatorum diſcrimen. 264
Proborum mens. 327
Probitas. 320
Probitatis partes. 156
Probrum. 116
Promiſſa Abrahami quos ſpectent. 251
Promiſſa diuina. 290
Promiſſa diuina expectantium & quærentium partes. 314
Prophetarum preces. 29
Propoſitum. 188.320.321
Prouidentia Dei erga pios. 368.371
Prouidentia diuina in terris. 53
Prouidentia ſingularis Dei erga homines. 345
Prouidentiæ argumentum. 72
Prouidentiæ aſſertio. 321
Prouidentiæ cura altera. 68
Prouidentiæ diuinæ maximum argumentum. 135
Prouidentiæ diuinæ opportunitas. 18
Prouidentiæ fides ad conſolationem. 31
Prouidentiæ materia. 68
Prouidentiæ ratio. 279
de Prouidentia Chaldæorum error. 106
de Prouidentia Dei vetus controuerſia. 42
de Prouidentia & Deo opiniones. 48
de Prouidentia & Deo quorundam error. 327
de Prouidentia querimoniæ argumentum. 74
de Prouidentia ſtultæ ſententiæ. 106
Proximus. 116
Prudentia. 399
Pſalmorum inſcriptionum ratio. 328
Pupillæ munimenta. 136
Purus. 175

R.

Ratio. 76
Recta tractatio. 107
Rebus gerendis opportuna. 360
Rectum & curuum. 174
Redemptionis humanæ myſterium. 203
Regis munus. 43
Regum animum qualem eſſe deceat. 191
Regum arcana. 187
Regum in bellis mens. 188
Regnum cæleſte quibus promiſſum. 229
Regnorum mutationis cauſſa. 67
Regula. 169
Rhinoceros. 220
Reipublicæ rectè conſtitutæ pulchritudo. 174
in Remunerationem aſpicientes quales. 290
Renes. 45
Renes affectuum ſedes. 288
Renes cupidinum ſedes. 116
Repetitio. 259
Reptilium quorundam tactus impurus. 226
Rerum gerendarum ratio. 192
Reſurgere in iudicio. 5
Retributio. 321
Reuerentia. 226
Robur arbor. 341
Rupes ſiue petra, nomen Domini. 286

S.

Saccus. 356
Sacci forma. ibidem
Sacrificium ante belli initium. 187
Sacrificium pro peccato. 19
Sacrificia vetera. 393
Sacrificiorum communicatio. 122
Sacrificiorum formæ. 19
Sacrorum frequentatio. 294
Sagittariorum mos. 199
Salus ex gratia Dei. 240
Salus ex Sion. 110
Salutis diſciplina. 392
Salutis humanæ arcanum. 381
Salutis myſteria, diluuium & rubri maris tranſitus. 396
Salutis opportunitas & iucunditas. 365
Salutis via. 266
Salutem impetraturi partes. 252
ad Salutem quibus conditionibus vocati. 113
Sanctum. 332.349
Sanctus. 94

San-

Sancti. 378
Sanctorum cura. 72
Sanctorum noui teſtamẽti feliciſſima conditio. 242
Sanctorum patientia & fides. 380
Sanctorum refugium. 372
Sanctitas abſoluta. 176
Sanctitas Dei. 332
Sanguinem requirere. 65
Sapientiæ partes. 236
Sarcaſmos. 209
Sarion ſiue Dilectus mons. 341
Scelus. 270
Scientiæ vocabulum. 266
Sæculum. 195.257.292
Securitas. 234
Semita. 266
Sentire. 5
Septenarius. 98
Sepulchrum. 147
Sepulchrum commune. 318
Sepulchrum ſupplicio affectorum. 318
Sepulchrorum formæ. 349
Sepultura occiſorum in bello. 318
Sermonis ſimplicitas. 94
Seruorum vſus. 121
Signa ſiue vexilla. 20
Silo. 147
Simplicitatis probatio. 287
Simulatores. 292
Singularitas prouidentiam probat. 73
Sion & templum loca Deo delecta. 186
Sionis filia. 66
Sodomorum conflagratio à Domino de cælo. 152
Sol. 3.170
Sol cur SEMES dictus. 170
Solis hiſtoria 171
Solis iuſtitiæ efficientia. 384
Solis occurſus. 172
Solis vſus. 171
Sontium ſepultura. 129
Sortium ratio. 123
Spes fidei comes. 287
Spes in ſolo Deo. 363
Spei certitudo. 263
Spei virtus. 206
Spe legitima nemo fruſtratur. 264
Spiraculum. 76
Spiritus. 76.127.336.362
Spiritus bona. 166
Spiritus diuerſa efficientia. 337
Spiritus diuini prærogatiua. 333
Spiritus in tempeſtatibus vis. 339
Spiritus vis. 336
Spirituales, ibidem
Spiritus naturalis Deo ſeruit. 337
Spiritus naturalis miniſteria. 337
Spiritus naturalis vis. 339
Steriles mulieres Deo ingratæ, vulgaris ſententia. 370
Succedere. 159
Super. 249
Superbia. 379
Superbia & ambitio. 181
Superbia vitæ. 25
Superbiam facientes. 379
Surgere. 69
Surgere in iudicio. 5

T.

Tabernaculi & templi figura. 148
Tabernaculi partes. 319
Tabernaculi probatio. 296
Tabernaculi pulchritudo. 295
Tabernaculi ſacri myſterium. ibid.
Tabernaculi ſacri ſignificatio. 306
Tabernaculi vſus. 170
Templi ſanctitas. 186.296
in Templo quæ canere & recitare ſolerent. 295
Temporum ætas. 61
Tenebræ. 241
Tenebræ exteriores & interiores. 383
Tenebræ palpabiles. ibid.
Tenebrarum à luce ſeparatio. ibid.
Tenebrarum & lucis pugnantia. ibid.
Terra. 3
Terra promiſſa. 276
Terra viuentium. 314
Terra vna. 245
Terræ motus. 342
Terræ nomina. 248
Terræ per ſortes diuiſio. 124
Terrę poſſeſſio, Chriſtiani regni imago. 257
Terræ ſitus & natura. 249
Terrarum & maris globus. ibid.
Terror. 225
Teſtes. 313
Teſtimonia. 173.238
Timere. 224
Timentes Deum. 223
Timentes Dominum. ibid.
Timor. 305
Timor Dei. 338
Timor Domini. 27.175
Timor Domini ad charitatem via. 176
Tollere palmas, & tollere manus. 319
Topazium. 177
Tranſgreſſionum ſemitæ. 133
in Triumphis mos. 189

Tropici. 171
Tutela diuina piis promiſſa. 275
Tutelæ Dei exempla in patribus. 275

V.

VAnitas. 320
Vanorum aucupium. 253
Vatum vota. 68
Velle. 154
Venandi duplex ratio. 67
in Veniæ mentione verborum ſacrorum vſus. 385
Venter. 215
Ventus. 336
Veraces. 379
Verba dare. 26
Verbi diuini præſtantia. 97
Verbi diuini virtus. 172
Verbum veritatis. 240
Veri. 379
Veritas. 103
Veritas nuda. 94
Veritas ſermonum. 115
Veſper. 350
Vexillorum inſignia. 189
Via. 78.114.272
Via militaris. 159
Via vera. 267
Viæ morum ratio. 114
Viæ Domini. 272
Viatoris boni partes. 266
Victorię confirmatio. 161
ad Victoriam quæ neceſſaria. 144
Victorum ac triumphantium in vrbium ingreſſu mos. 256
Videre. 314
Vincula. 8
Vir. 208
Vir ſanguinum. 26.297
Virginis lac & Chriſti infantia. 210
Virginis partus. ibidem
Virium experimentum. 365
an Virtus ad felicitatem ſufficiat. 104
Virtus diuinæ virtutis. 380
Virtutis comes inuidia. 85
Virtutes diuinæ ſiue attributa. 233
Virtutum diuinarum ſanctitas. 349
Virtutum omnium ſummum exemplum Ieſus Chriſtus. 120
Virtutum vera ratio. 286
Viſitare. 54.268
Vita hominis duplex. 194
Vitæ conſuetudo cum quibus. 291
Vitæ genera. 290
Vitæ inſtitutio. 238
Vitæ integer. 114
Vitæ tranquillitas. 116
Vitæ vſus. 34
Vitæ hominis duæ. 303
Vitij genus duplex. 288
Vitiorum genus duplex. 25
Vitiorum genera. 384
Vitiorum partitio. 291
Viuere. 138
Voluntas bona. 193.351
Vota. 193
Votorum in duris norma. 31
Votorum ſanitas. 253
Vſura. 117
Vulgare iudicium. 86.102
Vulgaria dicta. 370
Vulgus odit damnatos. 367
Vulgi mos. 208

Z.

ZZELAH. 187.260

FINIS.

APPROBATIO.

Hæc Commentaria R. quondam Domini Benedicti Ariæ Montani Hiſpalenſis in XXXI. Pſalmos ſunt docta & pia, quæ digna iudico, vt typis mandata in multorum manus perueniant. Anno 1602. 15. Februar.

Egbertus Spitholdius Zutphanienſis, Plebanus & Canonicus Antuerpienſis, librorum Cenſor.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
cIↃ. IↃc. v.


LABORE ET CONSTA

20-V.s

128/74
UNIVERSIDAD DE SEVILLA
Biblioteca UNIVERSIDAD D SEVILLA
600720146
i28790650

128

74